This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

L 9

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF
JAMES JACKSON HIGGINSON
(CLASS OF 1857)
OF NEW YORK

JUNE 15, 1917

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUINTI CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI

LIBRI SUPERSTITES.

VOL. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUINTI CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

LIBRI SUPERSTITES

EX EDITIONE FRID. SCHMIEDER

CUM SUPPLEMENTIS

NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1825.

Digitized by Google

L 9

Harvard College Library
June 15, 191.
From the Library of
James J. Higginson
New York

Digitized by Google

appellantes montes quosdam Indicos. Illi ipsi autem adsentatores specum quamdam sacram in Paropamisadis ostendentes Alexandro, locum esse dixerunt, in quo Prometheus vinctus olim fuerit, eoque Herculem ad liberandum eum venisse: in argumentum ejus rei trahentes vaccas, quæ ibi conspiciantur signo clavæ inusto, quod esset Herculis insigne. Ut hac ratione ad utrosque orbis terminos pervenerit Hercules: ideo etiam Alexandrum, secundum adulatores istos, neque illi, neque adeo Baccho absimilem esse, cum et ipse eodem quo illi penetraverit, &c. Iidem autem adulatores, ut tradunt veteres, Caucasi nomen indiderunt tam Paropamiso, quam Emodo, et Imæo (seu potius Imao) Indicis montibus.' Quæ magnam partem hausisse videtur ex Arriano v. 1. 12. Certe quæ hoc capite, aliisque seqq. scripsit Curtius, dubitare non sinunt, quin per hunc Caucasum, ad quem jam agmen pervenit, intelligendus sit Paropamisus. Idque diserte tradit Arrian. v. 1. 21. 'Taurus, &c. Paropamiso monti committitur, quem Macedones Alexandro militantes Caucasum appellabant, studio (ut fertur) Alexandri res gestas amplificandi: quasi Caucasum continuata victoria Alexander superasset. Fieri autem potest, ut hic ipse mons cum altero Scytharum Caucaso coëat, quemadmodum Taurus cum hoc: atque ego quidem idcirco superius (III. 6. 1.) hunc montem Caucasum vocavi, et deinceps hoc nomine appellabo.' Quæ postrema ad evitandam confusionem probe notanda sunt tam Arrianum legenti, quam alios auctores; nam et alios hoc consilio usos, et forte hunc ipsum Curtium, licet animadvertere. Sane videtur Arrianus, postquam superiora scripsisset, demum errorem hunc deprehendisse, eamque excusationem hoc loco protulisse, ut potius nonnulla ratione, quam per imperitiam Caucasi nomen Indicis montibus tribuisse videretur. Idque ex eodem Indic. c. 20. certius apparet, quia ibi expresse negat Caucasum fuisse vocandum in his partibus montem: quod tamen superioribus locis in medio reliquerat. Ceterum hoc modo non tam auxisse eos gloriam Alexandri, quam minuisse docet maximus auctor Strabo lib. XI. qui dignus est audiri: 'Quæ autem augendæ gloriæ vulgata sunt (sic enim verto τὰ πρὸς τὸ ἔνδοξον θρυλληθέντα) etsi in iis consentiant omnes, tamen qui confinxere, adulandi quam veritatis fuerunt studiosiores. Quale est, quod Caucasum in montes Indicos eisque vicinum mare orientale transtulerunt, a montibus qui supra Colchidem et Euxinum mare siti sunt, quos Græci Caucasum nominant, amplius XXX. stadiorum millibus ab India distantes: ibique Prometheum vinctum fabulose tradunt, cum nihil ulterius versus ortum Solis cognovissent. Bacchi enim et Herculis in Indos expeditio posterius tempore commentum præ se ferunt: quippe cum Hercules Prometheum mille post annis dicatur solvisse. Fuit sane gloriosius, Alexandrum usque ad Indicos montes, quam usque ad intimum Euxini sinum et Caucasum subegisse Asiam: sed gloria montis, nomenque, et quod Jason cum suis longissimam creditus est expeditionem fecisse progressus usque ad Caucaso vicina loca, quodque traditum fuit, Prometheum in extremis terræ finibus ad Caucasum fuisse alligatum: hæc, inquam, fecerunt, ut gratiam regis se inituros putarent, si nomen Caucasi in Indiam transportassent.' Atque eadem fere repetit lib. v. Ceterum ista nominum confusio tam Curtium hoc loco, quam et Ptolemæum, in graves errores induxit: illum ut uni monti adscriberet simul, quæ separatim ad alterutrum pertinent; hunc ut Ἀλεξάνδρου στήλας ultra septemtrionalem Caucasum poneret: quas ultra hunc Indicum fuisse

Digitized by Google

ponendas Salmasius ille ad Solini cap. 38, pag. 789. docet: idque etiam ostendunt illa Dionysii versu 1162. 'Emodos montes adiit, quorum sub radice Volvitur orientalis ingens unda Oceani. Ubi duabus columnis positis in finibus terræ, Exultans ad fluentum rediit Ismeni.' Ex eodem fonte illum quoque Curtii errorem manare, quod ex hoc suo Caucaso orta flumina in Ponticum mare scribit, mox demonstrabimus. Multa etiam de utroque hoc Caucaso disputat in periplum Arriani Stuckius. *Freinsh.*

Cujus dorsum Asiam dividit] Tauro hæc conveniunt, non Caucaso, sive Ponticum intelligas, sive Indicum. Error ex eo natus, quod Caucasios montes non modo inter Ponticum et Caspium, sed etiam inter Paropamisum, et Imaum audiverunt poni, quos putarunt cohærere. Sic Plinius quoque VI. 13. 'Persarum,' inquit, 'regna inter duo maria Persicum et Hyrcanum Caucasiis jugis attolluntur.' *Cellar.* Ex Salmas. p. 555.

Mare quod Ciliciam subit] Taurus est, non Caucasus, minus Paropamisus, qui mare Cilicium spectat. *Cellar.*

§ 20 *Committitur Caucaso*] Neque Colchico Caucaso Taurus committitur proxime: aliorum nominum juga intersunt. Salmas. ex Plin. p. 555. Vulgaris tamen opinio est, Taurum Asiam dividere, ejusque ramos esse utrumque Caucasum, tam qui Pontum spectat, quam qui Indiam. *Cellar.*

§ 21 *Et Ponticum*] Supra ad VII. 3. 4. Curtium defendi posse diximus, si emendes, *et Indicum;* sed verius est ipsius esse hallucinationem, ex confusione ea ortam, quam fecit communicatum Indicis montibus Caucasi vocabulum. Hoc ut manifestius fiat, consideremus, quod modo monuimus, quot res diversis montibus adscribendas uni tribuerit. Primo dicit Alexandrum venisse ad Caucasum montem, Indicum intelligens: mox, 'cujus dorsum Asiam perpetuo juge dividit;' quod de Indico est falsissimum; de Pontico dubium; ea enim res ab Arriano Ind. I. 4. et aliis Tauro tribuitur. Ideo in pace Antiochi jubetur rex, 'Asia omni quæ cis Taurum est decedere,' apud Liv. XXXVII. 45. 9. idem judicium est de sequentibus: mox, 'sic inter se tot juga:' id de Caucaso Pontico et Tauro verum est sic connecti; sed de Indico hoc Caucaso vel Paropamiso, docendum fuerat. Ergo cum de fluminibus ex his montibus exortis verba facit, toto animo ab Indico Caucaso aversus, Ponticum magis videtur cogitasse. Quem iterum in sequentibus amandat, Indicumque recipit, eum eo ipso tempore 17. 'dierum spatio superatum' scribit. Et statim tamen ad verum Caucasum redit, quando de Promethei fabula subjicit. Denique cum Alexandriam ibi conditam ait, iterum de Indico monte intelligendus est. Ergo et quod de Pontico mari scribit, id excipere flumina ex his montibus nascentia, sic capiendum est, ut intelligantur ea, quæ ex Caucaso proprie ita dicto, continentibusque jugis orta in mare Ponticum influunt. *Freinsh.*

§ 22 *Promethea*] Fabulam Promethei non ad hunc Caucasum pertinere, jam in superioribus notis explicatum est. Nec tamen nocet addere, verum locum ejus visum ab Arriano, ut ipse testatur in periplo Ponti Euxini I. 34. Item a Pompeio, cum res iis locis gereret, Appianus in Mithrid. et Apollonio apud Philostratum in vita II. 2. *Freinsh.*

§ 23 *Seniorum*] Unus Ms. *servorum*, quod verum puto: nam cur idem bis diceret? *Seniores* et *ii quorum opera uti desisset*, nonne iidem sunt? Scribam: *Septem millibus servorum, et Macedonum præterea inutilibus, quo-*

Digitized by Google

rum, &c. Confer Notam ad X. 2. 8. infra. Etiam in Ditmari Chronico III. m. simile mendum deprehendi. Sic omnino fuit: 'Duo genera hominum in ea oppida imposuit, servos, et milites inutiles.' Infra VII. 6. 27. 'Incolæ novæ urbi dati captivi, quos reddito pretio dominis liberavit.' De inutilibus militibus, tam Cambysi ante Alexandrum, quam ipsi, sæpius ita visum est. Sic enim colonia 'fuit Cambisu (Cambysis) inter Nelos et Marchadas, deductis eo ægris exercitus.' Plin. VI. 29. 2. apud eumd. VI. 27. 21. Charax oppidum 'conditum est primum ab Alexandro Magno: qui colonis ex urbe regia Durine (quæ tum interiit) deductis, militumque inutilibus ibi relictis, Alexandriam appellari jusserat.' Hanc ipsam urbem denuo sic auxit colonis, ut tradit Arrian. IV. 4. 12. 'Pervenit Alexandriam, quæ apud Paropamisadas condita fuerat, quum primam expeditionem in Bactra faceret: præsidemque illius loci amovit, (de quo dixerat supra III. 6. 1.) quod non bene officio suo functus fuisse videretur: pluribusque colonis in Alexandriam, ex finitimis et Macedonibus, qui inutiles bello erant, deductis,' &c. Idem fecit in Alexandria ad Tanaim: 'Urbem, quam condere statuerat, viginti dierum spatio muro circumplexus, eam Græcis mercenariis habitandam dat, et finitimis barbaris, quibus sua sponte eo commigrandi voluntas fuit, nonnullis etiam Macedonibus, qui inepti bello erant.' Arrian. IV. 1. 17. Idem observavit in urbe Arabica quam condidit; nam 'coloniam eo deduxit ex Græcis mercenariis, voluntariis, et qui aut senectute, aut casu aliquo inepti bello facti erant.' Arrian. VII. 4. 21. Supra quoque idem nobis notatum ad V. 2. 16. Sic Augustus finito bello Hispano condidit Augustam in Lusitania cognomento Emeritam; quod ibi τοὺς ἀφυλικωτέρους τῶν στρατιωτῶν, *seniores militum*, collocarat. Dio lib. LIII. *Freinsh.* Placet emendatio Freinshemii, pro *militibus, inutilibus* legentis, et delentis sequentia, *quorum opera uti desisset*, nempe hoc glossema est illius *inutilibus*. Quod autem *seniorum* mutat in *servorum*, haud perinde potest placere. Unde enim illi servi, et cur ex servis conderet civitatem, aut quæ denique potuit esse concordia inter servos et Macedonas? Itaque τὸ *seniorum* retinendum. Duplex genus memorat, ex quo civitas illa debuit constare. Unum Macedonum eorumque veteranorum ac seniorum, alterum gentis cujuslibet et inutilium. Sunt autem *inutiles* hic intelligendi, non ob ætatem, sed corpora vulneribus mutilata et corrupta. Quo sensu usurpavit et Pacatus, ut in notis ad eum a me pluribus est demonstratum. Adde Nostrum X. 1. 25. *Schefferum.*

Alexandriam] Quam deinceps propter errorem supra notatum ex Indicis finibus transtulerunt ad Septentrionalem Caucasum, ut Sanutus in Secretis Fidel. Cruc. III. 13. 5. ex Haythono. 'Alexandri oppidum' appellat Plinius VI. 17. 23. ex Bione et Diogneto: additque 'hanc urbem sub ipso Caucaso esse positam.' quod de Indico Caucaso, sive Paropamiso capiendum, ut patet ex dictis, et Arriano III. 6. 1. et IV. 4. 12. De ea sentit Strabo lib. XV. 'Exacta ibi (in Paropamisadis) hieme, et urbe condita, habens Indiam superne ad dextram, per summa montium transivit Bactrianam.' *Freinsh.* Stephanus Byzantius corrupte, παρὰ Παραταμισάδαις, sed perperam conjungit, aut confundit potius, ἐν τῇ Σογδιανῇ, quum diversæ urbes sint, in diversis gentibus positæ, nec continuis, sed interjacente Bactriana. *Cellar.*

CAP. IV. § 1 *Sicut illis gentibus mos est*] Fluctuant ista verba, nec scias satis ad præcedentia referenda, an

Digitized by Google

sequentia. Ad illa meo animo non debent: ad hæc debent, sed non hoc tantum. Transponi etiam velim, ne quid ambiguitatis relinquatur: *Diis patriis sacrificio rite facto, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas, sicut illis gentibus mos est, de bello consultabat.* Nam hunc morem designat in conviviis et compotationibus deliberandi: qui Persis præter ceteras gentes familiaris, etsi non minus usitarunt Germani olim nostri. Tacito quidem auctore, ad quem vide, quid in hanc rem antiquorum rituum unica fax Lipsius annotarit, e Strabone, Ammiano, Athenæo, Homero, Plutarcho, quibus insignem istum Curtii locum adjungo supernumerarium testem. Adjungo, si fas: nam illud quidem mihi nefas, inde quidpiam subducere, cujus sacro sancta habeo scrinia, quæ sacrilege compilentur. *Acidalius. Mos est*] Quem ex aliis quoque auctoribus, puto Herodoto I. 133. Athenæo IV. 10. VI. 4. et 5. Scholiaste Aristoph. in Equites ad verba Οἶνον γὰρ εὗρον, Suida in verbo Οἶνον πιεῖν, Maximo Tyrio Orat. XII. Ammiano XVIII. 10. f. Curtio hoc loco, et Strabone lib. XV. docet Brisson. de regno Pers. lib. II. pag. 219. Idem majoribus nostris tribuit Tacit. Germ. cap. 22. ubi Lipsius. Illud notandum, quod apud Athenæum X. 10. Ctesias et Duris scribunt, 'Ex omnibus festis diebus eo solo, quo Persæ Mithræ sacra faciunt, regem inebriari.' Eum ergo morem etiam Curtium hoc loco in animo habuisse putem: eoque præmisisse de sacrificio diis facto: ut ita Bessus, qui pro rege se tum gerebat, nihil tum præter legem Persarum fecisse videatur. Noli ad consuetudinem populi Rom. transferre, quod Æmil. Paulus apud Liv. XLIV. 22. 6. queritur: 'In omnibus circulis, atque etiam, si Diis placet, in conviviis esse, qui exercitus in Macedoniam ducant,' &c. nec enim de iis loquitur, quibus de ratione belli serio deliberandum erat: sed conditionem ducum miseratur, quorum consilia gestaque ab otiosis, et, ut fere solet, imperitis inter pocula et mensas reprehendi examinarique consuevissent. *Freinsh.*

Inter epulas de bello consultabat] Persæ de rebus eorum maxime seriis ebrii deliberabant: quod autem consultantibus placebat, id die postero ædium præfectus jejunus proponebat: quod si jejunis etiam placeret, tunc id perficiebant; sin minus, omittebant: rursus vero, si quid sobrii proposuissent, ebrii decernebant, ut Herodotus, Athenæus, et Suidas tradunt. *Popma.*

§ 2 *Nunc paucitatem spernere*] *Spernere incipiunt* vulgo, et mox *orditur dicere*, ut lubet. Sed si licet tamen, neutrum probaverim, aut si alterutrum recipiendum omnino sit, posterius minus displicuerit. *Modius.*

Famam] Non muto, sed quid si *fortunam*? Acidalius. *Hostium famam*] Forte, *hosti vim ac famam*. Heinsius.

§ 5 *Oxum*] Leg. *Oxon*. Idem.

§ 6 *Chorasmios, Dahas, Sacasque*] Infra VIII. 1. 8. Chorasmi Massagetis et Dahis regionum confinio junguntur. Ptolemæo VI. 2. Chorasmii in Sogdiana juxta Oxum amnem Oxianorum finitimi. Sacæ vero ibidem ab ortu Sogdianæ adponuntur. Dahæ Massagetis et Sacis finitimi, gens, æque ac illi, Scythica. Plinius VI. 17. *Cellar.*

Tanaim amnem] Editi, *et ultra Tanaim amnem*, quod mihi quoque melius videtur ita legi. Sequitur postea, *et alius præsens terror adfertur, Scythas, qui ultra Tanaim amnem colunt, adventare Besso ferentes opem.* Modius. *Ultra Tanain*] Jaxartem fluvium, qui inter Scythiam et Sogdianam delapsus mari Hyrcano infunditur. Plinius VI. 16. 'Flumen Jaxartem Alexander militesque ejus Tanaim putavere.' *Cellar.*

§ 7 *Hanc sententiam*] Iterum editi,

Digitized by Google

Unam hanc sententiam. Modius.

§ 8 *Cobares*] An leg. *Œbares*? hoc enim Persicum nomen; potest tamen et illud fuisse. Diodorus Siculus XVII. 83. *Bagadaram* appellat, qui rem copiosius exponit. *Freinsh.*

Magicæ artis] Multa super Magis et Magia supra ex Brissonii regno Persico allata et disputata, quæ tu apud eumdem videbis lib. II. p. 179. Hic Curtius videtur de Magia superstitiosa, præstigiatrice, et dæmoniaca loqui. Omnis magiæ, naturalis, artificialis, et præstigiatricis formas describit doctissimus noster Delrius Disquis. Mag. I. 2. quem consules. Curtius de artificiali videtur loqui, cum 'artem' appellat. *Raderus.* Qui intercedentibus paucissimis lineis, aliter atque aliter de mente Curtii pronuntiat: quem de magica arte, qualis apud Persas fuerat, sentire, hoc est, mixta ex naturali et præstigiatrice, facile quivis intelligat. Nam quod propter vocabulum 'artis,' de artificiali sentire putat, nimis leve argumentum est: cum et aliæ species, vel ab uno Plinio compluribus locis 'artis' nomine appellentur. Vide Acidal. ad Curt. VII. 7. 9. et Beroaldi Præfationem in Asinum Apuleianum. *Freinsh.*

Vanissimi] Idem de ea arte judicium est Plinii, infinitis prope locis: unum ex potioribus adscribam. Sic ergo librum XXX. orditur: 'Magicas vanitates sæpius quidem antecedentis operis parte, ubicumque caussæ locusque poscebant, coarguimus, detegemusque etiamnum: in paucis tamen digna res est, de qua plura dicantur: vel eo ipso, quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit,' &c. Ipsosque adeo Magos atque circulatores vulgari appellatione 'vanos' appellatos, ex verbis Capitolini in M. Antonino cap. 13. 'Vano cuidam, qui diripiendo urbis occasionem cum consciis requirens,' &c. putat Heraldus ad ista Arnobii lib. I. 'Magicarum artium ludi.' Sed in Capitolini loco aliam lectionem, *Plano cuidam*, ex libris vett. et ratione, præferunt eruditissimi commentatores. Ceterum artis magicæ ludibrium etiam agnoscit Propertius illo versu Eleg. I. 1. 19. 'At vos deductæ quibus est fallacia Lunæ.' Ubi 'fallaciam' dicit Lunæ deductæ; recte sentiens Magorum carminibus non ipsam Lunam sede sua detrahi, sed mortalium oculos vana specie deludi, ut id fieri arbitrentur. *Freinsh.*

§ 9 *Scire servo esse*] Membranis gratia, a quibus hæc est lectio: vulgo erat, *scire se utilius parere dicto*, &c. præ illis male. *Modius.* E membranis Modius inseruit illud *servo*, quod mihi aspectu primo durum videbatur. Amicus enim erat ille sane, non mancipium: itaque jam mutaturus eram, *Is cum præfatus esset, se vero scire, utilius esse parere dicto:* ea forma, qua lib. III. 'At Darius, ut erat sanctus ac mitis, se vero tantum facinus negat esse facturum:' cum in memoriam redii sæpe in Curtio repetitæ ejus vocis, et pariter de amicis lib. VI. 'Si Darium ob hoc vicimus, ut servo ejus traderemus imperium.' Lib. IV. 'Eadem liberalitate dat mihi filiam suam, nempe quam scit alicui servorum suorum nupturam. Multum vero mihi præstat, si me Mazæo generum præponit.' Lib. V. 'Darius captivus servorum suorum.' Et ibidem Darius ipse pessimum mancipium Nabarzanem appellat. Non ergo inconcussum modo per mē, sed et stabilitum sit, quod Modius sine tibicine ullo posuerat aut fulcro. Ceterum nomen an verum habemus hujus amici, sive servi? Diodorus non *Cobarem* indigitat, sed *Bagodaram*, *τινὰ τῶν ἑταίρων*, inquit, *ὄνομα Βαγοδάραν*. Alii dispicient. *Acidalius.* *Servo*] Eadem fere sententia in istis Plauti Mil. Glor. II. 5. 56. 'Sc. Quid propius fuit, Quam ut perirem, si locutus

Digitized by Google

fuissem hero! Pa. Ergo si sapis, Mussitabis. Plus oportet scire servum, quam loqui.' *Freinsh.* Quia ex sinistro consilii eventu proprium illi periculum est. M. Terentius ad Tiberium apud Tacitum Ann. VI. 8. 'Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.' *Cellar. Scire servo*] Forte, *scire se servo.* Heinsius.

Poculum ei] Relinque mirari Glareani ad hunc locum somnia, et vide quid sit, aut unde, quod in Sigebergensi codice perscriptum exstat, pro, *poculum ei, et jam.* Modius. *Poculum*] Bessus Cobari tradidit poculum, ut colligitur ex sequentibus: Forte ipsum etiam nomen ejus inserendum, *Bessus poculum ei, &c.* est enim in nonnullis lib. magna hic lacuna. Nescio autem an non interpretandum hoc sit de more, qui et apud Græcos fuit, ut in symposiis audiretur ille, qui haberet calicem. Unde acutissimus ille jocus in Demosthenem apud Plutarch. cap. 35. Cum enim ille calice insignis cælaturæ, aliisque donis ab Harpalo acceptis, male audiret, seque purgare volentem 'non audiret populus, exsurgens quidam salse ait: Non audietis Athenienses istum, qui calicem habet?' Ubi inter varias lectiones a Stephano subnexas egregium est scholium: *Ἐν γὰρ τοῖς συμποσίοις τὴν κύλικα ἔχοντες ᾖδον τὰ λεγόμενα σκολιά. Nam in compotationibus qui calicem habebant, canebant scolia, quæ appellantur.* Ut nimirum eo quasi insigni totum sodalitium agnosceret, cujus esset cantilena, adque eum se obverteret: quem morem in nonnullis Galliæ locis exacte observari vidi. Sunt autem σκολιὰ, *μέλη παροίνια*, sive *cantiunculæ potatoriæ*, interdum et amatoriæ, quales inter vinum cani solent, cujus generis sunt pleraque, si non omnia, Anacreontica. Vide eruditissimas Animadvers. Casaub. in Athenæum XV. 14. Pertinet eodem et Platonis locus in Convivio, ubi Eryximachus: *Πῶς οὖν, ὦ Ἀλκιβιάδη, ποιοῦμεν; οὕτως οὔτε τι λέγομεν ἐπὶ τῇ κύλικι, οὔτε τι ᾄδομεν; Ecquid agimus, Alcibiades? ita neque dicimus quidquam super calicem, neque canimus?* Et mox: 'Tu autem quum neque dixeris, et tamen satis biberis, debes optimo jure dicere.' Ii sermones *ἐγκυκλίους λόγους* sunt Athenæo in princ. operis. An igitur et apud Persas talis consuetudo fuerit, an, ut sæpe fieri solet, ab una gente ad aliam transtulerit Curtius, doctorum esto judicium. *Freinsh.* Videtur deesse quid. *Heinsius.*

§ 10 *Duci*] Antonius Histor. Part. I. tit. 3. cap. 2. § 14. verba hæc recensens scribit *dici*; quod fieri possit: illud non perinde, Cobari ea tribui tamquam ad Alexandrum Babylonem contra magorum placitum ingredientem prolata. Illam autem lectionem, *dici*, etiam probare videtur Cunæus, qui sic expressit ista Curtiana in Sardis venalibus, a Mirandula pronuntiari faciens. *Freinsh.*

Suo quisque negotio] Vide Lipsii notas ad sua Politica III. 8. 9. *Freinsh.*

§ 11 *Turbida*] Turbida hæc fecerant, qui vocem unam inserendo legebant, *turbida facta sunt consilia, &c.* Sed ita solent insani illi de plebe magistri. *Modius. Turbida*] Quod hic sequebatur vocabulum *facta*, cum Bong. Cod. et Radero dispunxi. *Freinsh.* At cur hoc Cl. Modio detrahitur, quem Raderus modo sine ulla explanatione est secutus? *Snak.*

Obstat metus] Affine est quod notat Tacitus III. 67. 2. in Silano reo: 'Proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat.' Et ex apologia Demetrii locus prolixior apud Livium XL. 15. 10. unde pauca hæc exscribam: 'Attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid objiceretur, intelligere potui: nedum satis sciam quo modo me tuear.' Omisi autem vocem *aliis*, quæ hic præcedebat in quibusdam edd. elegantius

Digitized by Google

enim sic dixit, *obstat metus, aliis cupiditas*, quam si dixisset, *aliis metus, altis cupid.* quales formæ loquendi Taciti dictionem valde commendant peritis et adsuetis. *Freinsh.* Pluribus exemplis hanc loquendi elegantiam confirmavit literarum lumen J. Fr. Gronovius ad Liv. III. 37. *Snak.*

Cupiditas] Cupidinem atque iram pessumos consultores vocat Sallust. Jug. 64. 4. et in fine capitis: 'animo cupienti nihil satis festinatur.' Quomodo et Claudian. de Raptu Proserp. III. 137. 'nulla ruenti Mobilitas, tardos queritur non ire jugales,' &c. Et Liv. XXIX. 35. 9. 'Desiderio indigentium auxilii tardius cuncta movebantur.' Ita cupido festinationem parit, quo nihil rectis consiliis cogitari possit iniquius. Id sapientissime ex Fabii persona Livius XXII. 39. f. expressit: 'Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio improvida est et cœca.' *Freinsh.*

Unumquemque] Hic tarbant membranæ, scribuntque, *expertus es utramque quod ipse reperieris aut solum aut optimum dicere.* Sed scribant, ita demum erit commodum, mihi, ut ita scribam, numquam persuadebunt. *Modius. Unumquemque*] Mss. *utramque.* Forte, *usu namque.* Heinsius.

§ 12 *Magnum onus*] Vide Gruter. Discurs. ad Tacit. V. *Freinsh.*

§ 14 *Suspenderat exspectationem*] Hæc ita esse legenda primus advertit Palmerius, ex hac membranarum vitiosa scriptura. *In his audientium dederat spem*, et illa vulgata parum bona lectione, *in his audientium suspensam dederat exspectationem sui.* Modius. Correxit ita Palmerius, Modius edidit. Ab utroque nos dissentimus. Minore licentia fecerim, *in his audientis* (quod est *audientes*) *suspenderat exspectatione sui.* Vide vulgatam lectionem: videbis ex ejus vestigiis hanc eductam. nam quid ego etiam dicam, quod ipse statim agnoscis, Latinum magis esse, suspendere aliquem exspectatione, quam alicujus exspectationem? *Acidalius.* Sic etiam Loccenius tanquam de suo. *Suspenderat exspectationem* Acidalius vere emendavit, *In his audientis* (quod est *audientes*) *suspenderat exspectatione sui:* cui suffragatur ipse Curtius IX. 7. 20. eodem modo locutus, 'Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat.' *Raderus.* Offendor tamen adhuc illo principio, *In his;* forte fuit, *Ut his audientis susp. exp. sui; tum eons. aperit.* Aliter enim ne quidem probe cohæreant. Vel, *Mentis* (pro *mentes*) *audientium suspenderat.* Freinsh. Freinshemius vult, *ut his:* mihi videtur scripsisse, *tam his*, et mox, *cum consilium aperit*, vel, *interim his*, servatis ceteris. *Scheffer. Ut his* ediderunt Freinshemium secuti Tellierius et Cellarius. *Snak.*

§ 15 *Flumina opponet*] Editi, *et armis flumina opponet.* placet. *Modius. Et armis*] Forte, *et armatis.* Heinsius.

Strenuum metum] Inde illud vulgo notum, 'pedibus timor addidit alas,' ex Virg. Æneid. VIII. 224. Respexit Euripid. in Supp. φόβος μὲ ἀναπτεροῖ. *Freinsh.*

§ 17 *Incipies justus*] Rursus editi, *incipies forsitan justus esse rex.* Modius.

Umbra quoque virgæ] De equorum docilitate, &c. Lipsius, supra ad VI. 6. 18. De la Cerda ad Æn. IV. 41. 'Et Numidæ infræni cinguntur.' Et nos ad Martial. Epigr. IX. 23. 'Et Massilæum virga gubernet equum.' Miror tamen, nec ab illis, nec a nobis hanc nobilissimum Curtii locum animadversum et notatum, quem Gruterus contulit in suas gnomas, 'Equum generosum etiam umbra virgæ rexeris.' Scripsit et Simon homo Græcus, quem Xenophon laudat, librum de Equestri re; et Xenophon ipse: in quo de equo umbra virgæ regendo nihil. *Raderus.* Hunc Curtii locum cum aliis a Radero citatis advertit Dausqueius ad illa Silii I.

Digitized by Google

217. ' Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.' *Freinsh.*

§ 19 *Vi contineretur*] Illud *vi* huc non de meo violenter intrusi, sed ex membranis modeste inserui. *Modius.* Modeste, ait Modius, inserui illud *vi* ex membranis : utcumque est, furcillis ego vicissim præceps ejiciendum censeo. *Acidal.*

§ 20 *Cæli intemperiem*] Colonienses membranæ, *quamdiu propter temperiem*, omissis quæ interjiciuntur vulgo, sed parum recte. *Modius. Propter cæli intemperiem*] Quia mitius ex Perside et vicinis regionibus in Indiam iter est, quam in Bactrianam per nives Parapamisi sive Caucasi. *Cellar.*

§ 21 *Clientum*] Hi erant, qui propius magnatibus devincti, magna beneficia fere perpetua fide pensabant, ne in extremis quidem patronos suos deserentes. Ergo olim stante re Rom. ' ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur.' Tacit. III. 55. 2. proin apud eumdem XIII. 37. 1. maxima Tiridatis erat vis in ' propriis clientelis.' Et Pompeii filio graviter inculcat ' clientelas ' a patre relictas Cato apud Hirtium de Bell. Afr. cap. 22. Nihil ergo mirum, si vicissim pro ipsis omnem lapidem movebant patroni, illustri Cæsaris exemplo, quem ita de se dixisse ex Agellio v. 13. comperimus : ' neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus.' *Freinsh. Clientium manu*] Clientes addictiores amici erant veterum magnatum, qui beneficiis majoribus obligati fidem præ ceteris debebant suis illis heroibus. *Barth. Adversar.* LIII. 11.

Oxo amne] Membranæ, et plerique omnes impressi codices *mox amne*, scilicet literam ultimam vocis *fidem* adhæsisse principio sequentis, factumque hinc *moxo*, quod quum pro monstro esset, scripsisse stultos sapientiæ imitatores *mox amne*, &c. Modius.

Ad famem] Malo legere *prope famem*, ut apud Tacit. H. III. 21. 1. ' prope seditionem ventum.' *Bernegger.*

§ 23 *Sesama*] *Sesama* et *Sesamum* Latinis. Plinius XVIII. 10. ' Sesama ab Indis venit.' Columella XI. 7. Petronius post princ. Plautus Pœnulo I. 2. 113. (ubi Taubmannus) alii in neutro dixerunt ' Sesamum.' Græcis Σήσαμον apud Theophrastum VIII. 5. et Dioscoridem II. 121. Homerum Βαπαχ. vs. 36. Σωσαμίς : Arabibus *Semsem* aut *Sensera*. Italis *Sesamo*. Hispanis *Jorgilium* et *Alegria*. Gallis *Jugoline*. Germanis spuria voce *Leindotter* aut *Flachsdotter*, quam tamen vocem docti rejiciunt, nec formam penicillo vel cælo expressam, et subjectam probat Matthiolus ad Dioscor. II. 92. quos leges, Galenum quoque lib. VIII. de Simplic. Medicamentis. Videntur, ut est in notis ad illa Petronii, ' Mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa,' antiqui dulciariis operibus, palati gratia, sesamum aspersisse. Macedones tamen ab esu Sesami abstinuere, sed liquore inde expresso, velut oleo artus inunxere. *Raderus.* Videatur Atlas Major pag. 346. m. Ctesiæ Indica cap. 11. *Freinsh.*

Perunguebant] Ad mitigandum frigus quod uncta membra commodius ferunt : tum quia oleum habet calorem quem corpori communicat : tum etiam quod eo obliti pori facilius excludunt externum frigus. Ea ratione Annibal ad Trebiam vicisse Romanos legitur apud Florum II. 6. 12. ' Hostes frigidum et nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent, &c. nostra nos hieme vicerunt.' De creberrimo apud veteres olei usu etiam vulgo notissimum. *Freinsh.*

§ 24 *Siros*] Fuerunt scrobes subterraneæ, vel speluncæ, vel cryptæ,

Digitized by Google

vel putei, in quibus triticum etiam ad 50. annos poterat incorruptum servari. De Siris Varro de Re Rust. I. 57. 'Quidam granaria habent sub terris uti speluncas, quas vocant σιροὺς, ut in Cappadocia ac Thracia.' Vitruvius VI. 8. 'Qui autem fructibus rusticis serviunt, in eorum vestibulis stabula, tabernæ; in ædibus cryptæ, horrea, apothecæ, ceteraque quæ ad fructus servandos.' Columella I. 6. 'Possunt etiam defossa frumenta servari, sicut transmarinis quibusdam provinciis, ubi puteorum in modum, quos appellant Syros, exhausta humus editos a se fructus recipit.' Plinius XVIII. 30. 'Servantur in scrobibus, quos Syros vocant, ut in Cappadocia et Thracia, &c. Varro auctor est, sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium vero centum.' Observa interim apud scriptores nunc Latina vocali scribi *Siros*, nunc Græca *Syros*: Suidæ Σιρὸς duplici ρ et Σεῖρος, 'Sirrhus, fossa in qua semina conduntur.' Etymologus vocem παρὰ τὸ τοὺς σίτους τηρεῖν deducit, quasi vox sit composita pro σιτηρὸς, *a conservandis frumentis* ficta et dicta. *Rader.* 'Conditoria frugum occulta' sunt Marcellino XXXI. 18. ubi de Thracia loquitur. Quod magis etiam firmet sententiam Casauboni in Athen. IV. 3. in verba Anaxandridæ βολβῶν σιρὸν δωδεκάπηχυν, ubi ait: 'Σιρὸς est fovea in usum granarii vel apothecæ cavata. Hesych. etiam πίθον interpretatur; quia in doliis præter vinum etiam alia servabant. *Siros* vocant auctores rei rusticæ Varro et Columella. Varro hoc amplius, sirorum in Thracia plurimum fuisse usum, scribit: cur igitur hic (in Athenæo) mutemus ubi de rege Thraciæ sermo est?' In Ungaria autem vina frumentaque sic recondi usitatissimum esse, ex indigenis regionis comperio. *Freinsh.*

§ 25 *Jumenta . . . cædere jussi sunt*] Ælianus Variar. Hist. XII. 37. scribit ipsum quoque Alexandrum nimia fame adactum jumentorum cæsorum carnem edisse: cum etiam ligna ad coquendum defecissent, crudas carnes comedisse, silphium tamen sumtum concoctionem juvisse. *Loccen.*

Carne] Vide supra ad v. 6. 17. De hoc itinere Strabo lib. XV. 'Via erat nuda arborum, nisi quod rari aderant terebinthi frutices, summa alimenti inopia, ut jumentorum carnibus vescerentur, atque iis crudis propter lignorum penuriam: sed ad hanc cruditatem concoquendam silphii copia præsens auxilio erat.' Quod idem ex Æliano supradicto loco notavimus. Silphium autem Latinis 'laserpitium' vocari ex Plinio XIX. 3. notum est; et ex eodem XII. 17. longe aliud esse 'mastichem.' Ergo non recte confundit Silvius in Hist. de Asia cap. 79. ubi dicit quosdam putare, 'Silphium, id est mastichen,' alibi non nasci quam in Chio insula. *Freinsh.*

§ 26 *Mitesque fructus*] Hoc est, dulces, maturitate percoctos: sic 'mitia poma' Virgil. Ecl. 1. 'Uvas a sole mitescere' Cicer. in Œcon. apud Gell. XV. 5. et 'mare infuso paludis humore mitescere.' Nostro dicitur VI. 4. Metonymice, 'mitiora' (soli) et 'mitior terra' VII. 4. fertilitatem notavit: per translationem 'mite ingenium' VIII. 3. 15. 'mitissimus dominus' X. 5. 9. *Cellar.*

§ 27 *Venti*] Sic fere Plutarch. Alex. cap. 46. Arrianus III. 1. 11. describit Ammonitidem: 'Quotiescumque Auster ea in regione spirat, magna vi arenæ viam obruit, ita ut omnia viarum vestigia obducantur, et perinde ut in pelago, qua eundum sit cerni præ arena non possit. Neque enim signa ulla sive notæ ad viam exstant, non collis, non arbor, non certi tumuli, ex quibus viatores itineris rationem colligere, ut nautæ ex astris, possint.' Et de his regionibus VI. 5. 31. 'Duces, deletis a vento

Digitized by Google

viæ vestigiis, viæ sese oblitos esse dicebant. Neque enim in arena, quæ densa æquaque omni ex parte viam obduxerat, eam cognosci posse, quod neque arbores juxta viam positæ essent, neque firmus aliquis certusque collis exstaret: neque ex astris noctu, aut ex sole interdiu itineris rationem observarent,' &c. Vide et seq. notam nostram. *Freinsh.*

A Pontico mari] A Caspio sive Hyrcano, ut sæpe dictum. Quamquam qui a Caspio in Bactrianam venti spirant, etiam ab Euxino mari, quod eodem tractu est, dici possunt spirare. Nisi forte in hoc loco idem accidit, quod notavimus proxime ad cap. 3. hujus libri. *Cellar.*

§ 28 *Sidera observant*] Vide quæ notavimus ad ista Flori III. 5. 28. de Pompeio: 'In Septentrionem Scythicum, iter, tanquam in mari, stellis secutus.' Totum hunc Curtii locum eleganter componit cum Silio III. 655. Dausqueius; ubi de Ammone. De locis Arriani proxime adductis dubius sum, an rectius sit huc trahere, ut idem dicat, quod et ratio suadet, et alii auctores probant: nullis aliis viæ signis exstantibus, homines ea per loca facientes iter, nt nautas, astris pro ducibus usos. Silius III. 664. 'Errantem campo, et semper media arva videntem Sidoniis Cynosura regit fidissima nautis.' Lucan. IX. 495. 'nec sunt discrimina terræ Ulla, nisi ætheriæ, medio velut æquore, flammæ: Sideribus novere vias.' Plinius IV. 5. 6. de Syrte minori: 'E terra autem siderum observatione ad eam per deserta harenis, perque serpentes iter est:' ubi illa 'e terra autem' non concoquo; nec tamen cogitandi jam habeo tempus, nisi quod appareat omnia se rectius habitura, si particula prior abjiciatur. Si teneas, legam 'Æterna.' 'Æterna siderum observatione,' hoc est, longa, perpetua, sicut in Nostro IV. 1. 22. 'æternæ sordes.' Sed ad alia propera-ramus. Ælian. Hist. An. VII. 48. 2. 'relictis urbibus (in Africa) quarum situm ex astris forte (quod aiunt) conjiciebat,' &c. Sic ergo hi loquuntur, ut Arrianus: nulla esse signa, quibus itineris rationem colligere, ut nautæ ex astris, possint. Non ergo tandem habebant eadem astra, quæ nautæ: aut nautæ alio doctore quam necessitate inceperunt astra observare, cum nullum aliud viæ haberent indicium. Quid ergo si tentemus in priori Arriani loco rescribere? Ὥστε καὶ οἱ ὄδεται τεκμαίρονται τὴν πορείαν, καθάπερ οἱ ναῦται, τοῖς ἄστροις· et in altero: Ὥστε πρὸς τὰ ἄστρα ἐν νυκτὶ ἢ μεθ' ἡμέραν πρὸς τὸν ἥλιον μελετῆσθαι σφίσι τὰς πορείας. *Freinsh.*

§ 29 *Interdiu*] 'Namque dies confundit iter,' Silius III. 663. *Freinsh.*

§ 30 *Itaque Bactriani*] Eloquar an sileam? hoc totum mihi de glossemate suspectum est. Adscripserat fortasse id ad oram libri sui hoc loco, qui notare volebat, non esse itaque mirum, cum tanta hominum equorumque multitudo in Bactris gignatur, si Curtius ante dixisset solos Bactrianos triginta millia explevisse: moveor etiam ut suspicioni meæ fidem habeam, quia eadem fere verba, quæ supra leguntur, hic denuo repeti video. Nihil tamen affirmo, sed ut re incerta JC. solent, amplius deliberandum censeo. *Modius. Itaque*] Hæc omnia usque ad illa, *Ipsa Bactra*, temerariam glossam esse judico; forte desumpta ex III. 2. 4. 'In quis eques triginta millia implebat:' quia ibi statim 'Barcanorum' nomen sequitur, pro quo multæ editi retinebant 'Bactrianorum:' cumque nihil omnino sensum juvet, immo contaminet tantum, et illepido glossemate interpellet: aliud etiam argumentum Sebisius suppeditavit: nimirum tantulum numerum non facere ad demonstrandam populosissimæ gentis multitudinem, quam supra v. 10. 3. adeo prædicaverat, ut diceret, 'mul-

Digitized by Google

titudinem juniorum, exercitus quos amiserat Darius, æquasse.' Idque jam post prœlium ad Arbela. *Freinsh.* Vulgares libri inter num. 30. et 31. interponunt, *Itaque Bactriani equites XXX. millia expleverant*, sed glossam temerariam esse nemo non videt, ideoque cum Tellierio absoidimus. *Cellar.*

Bactra caput] Propert. III. 10. 26. de Semiramide, 'Jussit et imperio surgere Bactra caput.' *Loccenius.*

§ 32 *Nondum*] Iterum ergo victi ab Antipatro: nam supra VI. 1. Antipater Agidem acie profligavit, et occidit. Itaque altera hæc Laconum est defectio. *Raderus. Nondum*] His verbis se ipsum explicat Curtius, non de nova defectione se loqui, sed de bello Spartano, quod supra initio libri sexti descripserat. Ejus autem eventum nondum sciebat Alexander, sed tantum qui principia motus ejus nuntiarent, per tanta terrarum spatia demum ad eum pervenerunt. Valde igitur falluntur, qui defectionis ejus caussam vel ad Philotæ supplicium, vel ad edictum, quo rex jubebat exules Græcorum a suis recipi, putant referendum; nam utrumque hoc gestum Antipatri de Lacedæmoniis victoria posterius fuit. Nec sane bis cum Laconibus pugnavit Antipater; ut ex hoc loco male intellecto volunt exculpere. *Freinsh.*

Ultra Tanain] Ultra Jaxartem, Sogdianæ terminum, quem falso Macedones Tanaim putaverunt esse, ut supra n. 6. notavimus. *Cellar.*

Erigyius] Breviter id tangit Arrianus III. 5. 27. quem ab interpretum levi errato libero: 'Artabazum Persam, et Erigyium Caranumque unum ex sociis.' Non hæc est mens Arriano, sed hoc vult: 'Art. Persam, et Erig. Caranumque ex amicis.' De eo quod 'socios' interpretantur, ubi 'amicos' debebant, jam ad III. 11. 27. et VI. 9. 21. semel atque iterum dictum est: nunc accedit, illa verba, τῶν ἑταίρων, non ad unum Caranum pertinere, sed haud minus ad Erigyium. certum hoc, si aliunde non esset, ex ipsius verbis apud Curtium mox n. 34. 'Quales amicos et milites Alexander habeat, ostendam.' *Freinsh.*

§ 33 *Virtim*] Singulari certamine, ut Vopiscus in Probo cap. 9. Eutropius II. 2. 3. vocat. *Cellar.*

§ 34 *Dux exercitus*] Ita sum ausus scribere ex ductu literarum, et sola conjectura, cum inepte sane vulgo esset, *dux illius exercitus.* Modius.

Galea demptâ] Is siquidem mos erat alloquendi milites, vel ipsum etiam regem. Curt. lib. IX. 'Quem ut videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim regem alloqui mos est) hortari cœperunt, ut caussam exercitus ageret.' *Popma. Galea demptâ*] Nescio cur hoc referant ad morem alloquendi regem, de quo infra IX. 3. 4. Non enim hæc caussa caput nudavit Erigyius, sed accepta barbari conditione, qui sic obtulerat certamen, ostentandæ virtutis caussa; quomodo Paul. Warnefrid. de Gest. Longobard. I. 20. Heruloe omnino nudos pugnasse scribit, 'operientes solummodo corporis verecunda.' Sed de capite intecto usitatius: ita 'spectatus et Sacrovir pugnam pro Romanis ciens, ostentandæ, ut ferebat, virtutis,' apud Tacit. A. III. 41. 4. Ita minor 'Cyrus nudo capite pugnam exspectans constitit. Aiunt ceteros etiam Persas capitibus nudis aleam prœlii subire.' Xenophon Ἀναβάσ. I. Ut ita hic quoque Satibarzanes eam observarit consuetudinem, hostique provocanti morem gesserit Erigyius, ne deterior virtute, vel periculi metuentior videretur. *Freinsh.*

§ 35 *Duorum*] Non displicet; vide tamen num fuerit *ducum*? Freinsh.

§ 36 *Sarissam*] Macedonicam hastam. Vide notata IV. 15. 13. *Cellar.*

§ 38 *Arma tradunt*] Quod deditionis non signum modo, sed pignus.

Digitized by Google

Idem aliquoties reperias apud Livium, ut l. XXIX. 3. 2. 'Tradentibusque arma et dedentibus sese.' XL. 41. 3. 'In deditionem venerunt, armaque tradiderunt.' XL. 16. 7. 'Per deditionem Ligures recipi, et receptis arma adimi.' Thucyd. IV. 7. 20. Εἰ βούλοιντο τὰ ὅπλα παραδοῦναι καὶ σφᾶς αὐτοὺς Ἀθηναίοις. Apud Justinum XXIV. 5. 3. Ptolemæus Macedoniæ Rex 'Gallis se pacem daturum negat, nisi Principes suos obsides dederint, et arma tradiderint, non enim fidem se, nisi inermibus, habiturum.' Adde Xenophont. Cyropæd. lib. VII. ubi de Ægyptiis. *Freinsh.*

§ 39 *Defectionem eorum*] *Defectum* liber Sigebergensis. *Modius.*

Cognovissent] Hoc ita dicentem Curtius facit Alexandrum, non quod revera sic esset, nec enim principio motus sui Lacones cognoscere poterant, ubi futurus esset Alexander, cum ejus rei nuntius ad eum perveniret; sed quia tum primum de defectione diu ante facta audit; tanquam de re nova, et quæ modo accidisset, ex communi hominum more pronuntiat. *Freinsh.*

§ 40 *Spolia Barbari*] Vulgo *spolia Barbarica*, in quo ut non disputo, ita mox cum Sigebergensibus membranis lego *præ se ferens*, pro *præferens*. Modius. Vide notas III. 11. 7. *Cellar.* Modius legit *præ se ferens*; sed nihil necesse est. Vide nos ad Vellei. Pat. II. 116. *Heinsius.* De *spoliis opimis* vide Cl. Perizon. c. 7. Animadvers. Histor. *Suak.*

CAP. V. § 1 *Sogdianorum*] Certissimam Glareani emendationem quidni recipiam? Qui enim illi *Susitani*, quos hic legebamus? De Sogdianis autem sermonem esse, evidentissima nota ostendit num. 19. hujus cap. 'Quæ in Susitanis acta erant cognoscit:' ea autem in Sogdianis acta fuisse, extra dubitationem est. *Freinshemius. Sogdianorum*] Libri ante Glareanum editi *Susitanorum*, obscuro gentis nomine. Sed hæc ante trajectum Oxi facta, qui terminus Sogdianæ est Straboni et Ptolemæo. Aut ergo aliud nomen substituendum, aut eis Oxum etiam pars Sogdianæ reducenda, uti Dionysius Periegeta vs. 746. de eadem regione: Ἧς διὰ μέσσου ἐλίσσεται ἱερὸς Ὦξος. *Cellar.*

§ 3 *Accendit*] Forte *intendit*; quamquam infra n. 7. 'Rursus desiderium humoris accensum est.' *Heinsius.*

Arenas vapor æstivi solis] Hunc locum omnia ἀτοπήματα multis parasangis superare autumat Cl. Clericus, Judicii cap. 2. § 4. dum Curtius sub 'benignissimo cœlo glacialem Zonam invenit, et tenebras Cimmerias, in tractibus ad Septentrionem Parapamisadarum sitis torridam deprehendit Zonam. Non aliter potuisset loqui de itinere per Meridianos tractus Persidis, aut ad Jovem Hammonem.' Certe, his similia habet Arrian. lib. VI. ubi de reditu Alexandri per solitudines Gedrosorum, qui populi meridianam Persici imperii oram, ad Oceanum Indicum, incolebant. Fortasse Gedrosos cum Sogdianis miscuit Curtius, aut alium eos confundentem nec satis tempora distinguentem secutus est; ut ait idem Judic. de Curt. cap. 11. § 4. Non hoc adeo ineptum est, 'ut,' sicut ait Vir Cl. 'omnia ἀτοπήματα multis parasangis antecedat,' quod Curtius, qui in parte quadam Paropamisadarum, et in montibus istis altissimis mense Novembri immane frigus memoraverat, idem in quibusdam Sogdianorum locis, vel campis desertis, sterilibus, siccis, arenosis, tempore æstatis maximum solis æstivi vaporem, quo omnia istic torreantur, memoret. Sunt sane Sogdiani ad Septentrionem Paropamisadarum siti, ultra Oxum maxime fluvium; hos tamen campos citra hunc fluvium exstitisse, manifeste ostendimus. Quin incerta etiam est hæc lectio 'Sogdianorum,' quum Mss. et editi ante Glareanum habeant 'Susi-

Digitized by Google

tanorum,' quod potuit esse nomen obscurioris inter, aut juxta Bactrianos, populi. Sed fuerint Sogdiani, etiam citra Oxum, certe hæc deserta fuerunt, et haud dubie in inferiore ac remotiore tractu a fluvio, quum in ripas tantorum fluminum terra non facile reperiatur tam sicca et deserta. Ita vero erunt hi campi circa gradum 43. latitudinis Septentrionalis, eodem in climate quo Meridiana Gallia, aut Septentrionalis Italia. In hoc autem climatis tractu, aut in illis Galliæ et Italiæ partibus si reperiuntur campi 400. stadiorum sicci, arenosi, deserti, 'in quibus ne modicus quidem humor exsistat,' istic vero an adeo absurdum foret, deprehendi aut narrari 'immodicum terræ fervorem' media æstate, ut proinde exercitus per eos interdiu duci vix possit? Crediderim equidem Græcos, ut pleraque expeditionis suæ incommoda, ita et hunc camporum vaporem, et Paropamisadarum frigus oratoria αὐξήσει aliquantulum extulisse, eosque secutum Curtium; sed rerum summam, cujus in auctore ita ex professo exagitando ratio potissimum haberi debebat, veram fuisse, et nihil continere ἀτόπου, nedum 'ut omnia ἀτοπήματα multis parasangis superet,' nullus dubito: certe nullam ejus tantum ex climatis et situs argumento rejiciendæ aut explodendæ rationem video. *Perizon. Curt. Vind.* p. 142. 143.

§ 5 *Nocturnum iter*] Sic postea in Gadrosis plurimum itineris noctu confecit. Arrian. VI. 4. 15. et 22. quem cum hoc loco comparare possis. *Freinsh.*

§ 6 *Deficere*] In vulgatis libris est *deficere cœperunt*; sed cum in scriptis *defecere* legeretur, facile ei fuit, qui morem solemnem sciolis istis, qui omnia interpolant, notum haberet, advertere illud *cœperunt* a glossa esse. *Modius.*

§ 7 *Hominibus*] Vennstius absit, nec est forte nisi e glossa. *Acidalius.* *Hominibus*] Bene Acidalius abesse rectius putat. *Heinsius.*

§ 8 *Aqua*] Hic quidem non dubium quin additamentum sit *aqua*. Non enim jam aquam, sed vinum et oleum ingurgitarant. Dele, et mox *infusum* etiam scribe, ut humorem utrobique capias. Ad finem fors fuat, *an regerere* scriptum auctori. *Acidalius.* Acidalius a glossa potestatem in contextum adspirandi putat factam, proscribendamque vocem *hominibus*, nec placet eidem in sequentibus *aqua* post oleum et vinum; nihil ego muto, omnibus exemplaribus contra obtestantibus, et *aqua* pro omni potione in posteriori versu accepta videtur, humor infusus et egestus vel regestus Acidalii non sapit. *Raderus.* Acidalii conjectura de *aqua* potior videtur explicatione Raderi, cui ibi ea vox pro quovis humore putatur posita. In seq. fortean fuit *sine modo infusa vom. cog. regerere*; ut sic verbo neutro omnia quæ prius dixerat complecteretur. *Freinsh.*

§ 9 *Meminisset orabant*] Editi, *meminisset sui orabant*, plane inepte. Neque enim sui meminisse Alexandrum volebant amici, sed animi sui magnitudinem solam deficienti exercitui remedio esse posse. *Modius.*

§ 10 *Occurrerent*] Forte, *succurrerent*. Heinsius. Recte forsan, quia proxime antecesserat *duo occurrunt*. Alioqui Curtio non aliena hæc verbi significatio. IV. 3. 3. 'Igne concepto latius fundere incendium cœpit, quod priusquam posset occurri, turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit.' Et VI. 7. 29. 'Occursu satellitum inhibitus.' Et VIII. 3. 4. 'Percussurus uxorem, nisi prohibitus esset fratrum ejus occursu.' Horat. I. Serm. 4. 185. 'Sic dulcis amicis Occurram.' Persius Sat. III. 63. 'Venienti occurrite morbo.' Plin. N. H. XXVI. 7. 'Cuicumque sanguinis vitio intus occurrit.' *Snak.*

§ 11 *Ille percontatus*] Editi et scrip-

Digitized by Google

ti omnes, *ille accipit: percontatus quibus aquam portarent, filiis ferre cognoscit.* Sed aut de reliquis quoque meis conjecturis dubitabis, quisquis es, aut hanc veram esse credes lectionem, quam expressi: præsertim cum statim sequatur, 'Tunc poculo pleno (sicut oblatum est) reddito,' quod satis arguit, illud *accipit* σχολιαστικῶς ab aliquo huc intrusum esse, *Modius.*

§ 12 *Nec solus bib. sustineo*] In toleranda siti primus omnium, quod equidem meminerim, præivit exemplo fortissimus Hebræorum rex David II. Reg. cap. 2. (imo illa Davidis non sitis, sed lubido fuit) Cato proximus huic, si verus Lucanus IX. 497. quem historicum potius quam poëtam egisse veteres (Martial. XIV. 194.) censuerunt; qui in siccis Nasamonum arenis sitibundus, oblata aqua, 'Excussit galeam, suffecitque omnibus unda:' quam nemo post respuentem ducem sitivit, adeoque omnibus suffecit; ut et in Alexandri alio simili facto Plutarch. 76. notavit. Ab eodem facto laudatur Theodosius minor, de quo ita Sozomeni interpres Præfat. in lib. I. Hist. Ecclesiast. 'Paullo ante sane, cum Heracleam Ponti civitatem videre, et vetustate collapsam erigere satageres, per Bithyniam messis tempore iter faciebas. Cum vero te satellitum quispiam a sole vehementer urente in ipso meridie multo sudore ac pulvere conspersum cerneret, tanquam gratificaturus, phialam tibi admodum splendide solaribus radiis relucentem obtulit, ac suavem quemdam potum illi, aqua frigida mixtum, infudit. At tu potentissime, accepta hac phiala, virum munificentia remunerasti. Cum vero milites universi phialam illam suspicerent, felicemque illum, qui ex ea bibiturus esset, judicarent, poculum viro illi, o generose, reddidisti, et quomodo ipsi placeret, usurpare jussisti. Videris itaque mihi haud immerito Alexandrum Philippi virtutibus tuis superare; cui miles quidam sedulus et officiosus, ab illis qui eum celebrant, cum per loca arentia exercitum Macedonum duceret, aquam inventam hausisse et obtulisse, ille vero non bibisse potum illum, sed effudisse dicitur.' Sed errat Sozomenus, qui effusam ab Alexandro aquam affirmat. Nec Soi, sive Sœbidæ virtus tacenda, quam Plutarch. in Lycurgi Vita cap. 3. et Apophth. Lacon. cap. 108. laudat: 'Cum esset in loco aspero et arido Sœbidas, et circumsideretur a Clitoriis, dicitur pactus cum hostibus, ut ipsis terram bello partam cederet, si milites una cum ipso e vicino fonte bibissent; nam eum fontem hostes obsederant. Icto fœdere, congregatis ad se omnibus pollicitus est, se daturum ejus regionis imperium ei, qui non bibisset. Porro cum nemo sibi temperaret, sed bibissent omnes, ipse post omnes descendit in fontem: et aqua conspersus hostibus etiamnum præsentibus abiit, ac regionem occupavit, ut qui solus non bibisset.' Eodem stratagemate et exercitum a sitis periculo liberavit, et hostem elusit, et regnum sibi vindicavit tolerantia. Non erat obstrictus inimicis ex fœdere, quia non omnes cum ipso biberant; nec milites fefellit, quia nemo præter ipsum a potu abstinuit. Quod si hostes voluissent ad arma currere, jam nactus locum pugnæ commodiorem, ac fonte potitus, facile poterat illis esse par. Austriacorum quoque supremus apex et conditor imperii Rudolfus I. dum contra Othocarum Imperii æmulum bello decertaret, ipseque cum exercitu siti æstuaret, gnathones illius agresti colono zythi hydriam per vim abstulere, et Imperatori detulere; sed ille, re cognita, 'reddite,' inquit, 'homini vasculum suum; nam ego exercitui, non mihi sitiebam.' (Æn. Sylvius lib. III. Com. in Panormit.)

Digitized by Google

Nos ad Alexandri sitim non simplicem redeamus: sæpius ille hanc domuit, vicit, et pro illa gloriam hausit. Alibi mentio illius facta ex Plutarcho cap. 76. 'Dum consectatur Darium itinere laborioso et prolixo (nam diebus undecim 3300. stadia confecit) plerique lassitudine sunt confecti, et præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in utribus a flumine mulis portabant, conspicientesque Alexandrum medio jam die siti maceratum, impleverunt confestim galeam, eique obtulere. Requirente eo quibusnam aquam afferrent, Liberis nostris, respondere,' &c. *Raderus.* Ceterum suspicor Plutarchum de eadem re loqui, nec sæpius idem quam semel accidisse. Licet in aliqua circumstantia variet; sed hoc solemne est. Sic enim et in ea variatur, quod alii redditam iis, qui attulerant aquam, scribunt; alii effusam, ut Sozomenus immerito reprehensus paullo supra, Polyæn. Strateg. IV. 3. 25. et Frontin. Strat. I. 7. 7. qui idem id accidisse scribit 'per deserta Aphricæ itinera,' scilicet cum Hammonem peteret: alii 'apud Parapamisadas,' alii 'apud Gadrosos.' Arrian. VI. 4. 30. vide; alii alibi. Non eadem tolerantia fuit Lysimachus, sed 'apud Getas siti eo redactus, ut se cum toto exercitu in potestatem hostium dederet, postea cum frigidam bibisset, Dii boni, inquit, quam ob brevem voluptatem, summam amisi felicitatem!' Plutarch. Apophth. cap. 49. et cap. 16. de Sanit. Tuenda. Catonis exemplum supra ex Lucano citatum, historica fide firmat idem Plut. in Cat. cap. 12. Inter ceteras virtutes etiam a sitis tolerantia laudat Annibalem suum Silius I. 261. 'Exercetque sitim, et spectato fonte recedit.' *Freinsh.*

§ 13 *Eos abesse*] Rectius *se abesse*; interdum tamen has particulas confundi, Index ostendet. *Freinsh.* *Se abesse*] Sic Freinshemius: at mox n. 26. 'Nisi illi qui vinxerant jussu Alexandri fecisse ipsos ementiti.' VII. 6. 18. 'Illi, nec de fide, nec de potentia regis, ipsos dubitare.' Ibid. n. 26. 'Ingens militum certamen inter ipsos fuerat.' *Heinsius.*

§ 14 *Ac suis ferre*] Vulgo, *ac suis opem ferre*, non æque probo. *Modius.*

§ 15 *Intercluso spiritu*] Sic postea in Gadrosis Alexandri militum 'multi, ardore sitique pressi, aquarum copiam nacti, immodico potu interierunt.' Arrian. VI. 4. 27. Idem etiam evenit M. Antonio copias e Media reducente in Armeniam, ubi post diutinam inopiam avide inhiantes cibo potuique milites, supra duodecim millia morbo perierunt. Plut. Anton. cap. 66. Hoc igitur casu edoctus Alexander 'deinceps nequaquam castra prope fluvios locavit, sed vigintí minimum stadiis remota,' ut Arrian. VI. 4. 28. observat. Et aliud etiam elegans ejus factum narrat Polyæn. Strat. IV. 3. 28. quo a bibendo milites absterruit, per præconem jusso proclamari, amnem, præter quem tum ducebat, mortiferam aquam habere. *Freinsh.*

§ 16 *Nec aut cibo*] Membranæ, *nec ante cibo refectus, aut potu, quam, &c.* Sed quid tum faciemus, ut mittam sequentia, illo, *constitit?* Modius.

Constitit] Eadem M. Catonis abstinentia. Lucan. IX. 591. 'Ultimus haustor aquæ, cum tandem fonte reperto Indiga cogatur latices potare juventus, Stat dum lixa bibat.' *Cellar.*

Animi motu] Iterum membranæ, *metu;* verum illud rectum est. *Modius.*

§ 17 *Circumquaque amnem*] Adhuc membranæ, *circumquaque amne nudo, et materia maxime sterili:* male. *Modius.* Distingue: *nec pons erigi poterat, circumquaque amnem nudo solo:* ita rectius construxeris, ceperis facilius,

Digitized by Google

quaque circum amnem. Haud inelegánter, absque alio tamen apud Curtium exemplo, quem vix putem sic locutum. Et abest sane *quaque* istud aliis libris omnibus, ut insertum sine ratione magis suspiceris; nisi forte aliter attemperanda illi reliqua, et legendum, *circumquaque amne nudo, et solo materiæ maxime sterili*. Nam et *amne* perscribitur alicubi, *materiæ* autem, utro modo malis, omnino rescribendum. Supra, 'Et quia sterilis est terra materiæ, nudo etiam montis dorso.' *Acidalius. Circum*] Sic plures libri, probante Acidalio; nam alii, *circumquaque*, quod vix construas cum voce sequenti, *amnem*: mox mallem *materiæ*. Freinsh.

Utres] Unde acceptos? ex pellibus et papilionibus, sub quibus miles in tentoriis degebat, inquit Arrianus III. 6. 8. *Raderus*. Habuerunt etiam sine dubio jam confectos plurimos utres, quibus aquam, aliaque portaverant, ut in Africano itinere, supra IV. 7. 12. Porro de ea ratione trajiciendorum fluminum multa congessere Stewech. ad Veget. III. 7. Casaub. in Sueton. Cæs. 47. 4. et Lipsius Poliorcet. II. 5. Quibus non habeo quod addam, præter locum Gregoræ II. 8. de barbaris nationibus Scytharum potentia pulsis: *διφθέραις ἀντ' ἄλλης σχεδίας κάρφης πεπληρωμέναις τὸν Ἴστρον διέβησαν* ubi *κάρφη*, quo vocab. et Arrianus v. 2. 16. in eadem re utitur, Nostro *stramenta* sunt, significantissimo vocabulo, ut testatur Vulcanius in Præfat. in Arrianum, quam etiam vocem inepte in *sarmenta* mutari a quibusdam Casaubonus citato loco judicat. *Freinsh. Utres*] Quos partim in supellectile militari habuerant ad aquam portandam aut vinum, partim novos ex pellibus tentoriorum confecerunt, nam materiam eorum Arrian. lib. III. vocat *διφθέρας ὑφ' αἷς ἐσκήνουν οἱ στρατιῶται. Cellar.*

§ 19 *Sogdianis*] Alii *Susitanis*; cur mutaverim, initio hujus capitis ostensum est. Eodem loci putem intercidisse vocem, *acta, quæ in Sogd acta erant, cognoscit*. Freinsh.

§ 20 *Nefastum*] Ita veteres libri; recentes *nefas tunc*. Modius. An *nefas tum?* Raderus. Quid hic *nefastum?* nefastum est a festo, cujus nescio qui possit in his esse locus: itaque alii maluerunt *nefas tum*, divisa voce. Verum et particula *tum* hic plane otiosa. Itaque vix dubito, quin scripserit Curtius *nefarium in Bessum*. Scheffer.

Titulus facinoris speciosus præferebatur, vindicta Darii. Sed fortunam, non scelus oderant Bessi] Forsan unitatis numero potius, *oderat*; ut de Spitamene solo capias, de quo volnisse solo Curtius videtur: etsi potes et de aliis simul, quos in societatem sceleris acceptos statim narrat. *Facinoris*, an *facinori* malis, hilum non interest, nec calamum vorterim, aut manum. *Acidalius. Oderant*] Malim *oderat*, cum Acidalio; maxime ob id, quod statim sequitur: 'nam ut cognovit,' &c. *Freinsh. Titulus facinoris*] Prætextus, ut v. 10. 'Titulum sollemnis officii occulto sceleri præferens.' Adde Justin. v. 1. 8. XV. 4. 13. *Cellar.*

§ 21 *Cogitatæ rei*] Addita voce *cogitatæ*, quæ in libris excusis nulla est, locum explevi. *Modius.*

Promtius adeunt] *Addunt* membranæ, quod ne temere damnes cave. *Modius.* Forte *adsunt*. Sebisius. Modii codices etiam *addunt*; leg. *se addunt*. Heinsius.

§ 24 *Regni*] An *regio insigni?* Freinsh.

Spolium occisi regis] Ita omnino legendum contra omnes libros, qui habent, *quam spoliis occisi regis induerat*. Modius. Mss. *quam e spoliis*, quod nescio cur non maluerint recipere in textum, cum ellipsis hic sit admodum dura. Cogitandum tamen, an non scripserit Curtius, *quam spo-*

Digitized by Google

lium occisi regis induerat. Scheffer. Quæ est Modii lectio. *Snak.*

§ 25 *Sui sceleris*] Leg. *suo sceleri.* Heinsius.

Non Dario iniquos] Deos puta. *Scheffer.*

Alexandro propitios] Membranæ ad unum omnes, *sed Alexandro propitio insecutos;* quæ quid sibi velint ἐτέχνω. *Modius.*

Etiam hostis adjuvisset] Quomodo hoc pertinet ad probandos Deos propitios? dices, quia eo hostes impulerunt. At hoc verbis istis indicandum erat, ac forte indicaverat Curtius, sed verba sunt corrupta: suadet quod in Mss. prope omnibus, pro *adjuvisset*, legitur *adjuvissent*, quo haud dubie Dii respiciebantur. Sed sic *hoste* scribendum. *Adjuvissent hoste*, pro *adjuvissent cum hoste*, id est, per hostem, quod loco huic est maxime conveniens. *Scheffer. Adjuvissent*] Satrapæ provincias, munitas urbes, et thesauros tradendo; Bessus Darium interficiendo; Spitamenes ac socii vinciendo Bessum. *Cellar.*

§ 27 *Lectis DCCCC.*] Editi *relictis*, membranæ *electis;* hinc scripsi *lectis*; et si nihil interest, me an membranas sequaris potius, dum vulgatam lectionem falsam scias. Arrian. lib. III. πρὶν δὲ διαβαίνειν τὸν ποταμὸν τῶν τε Μακεδόνων ἐκλέξας τοὺς πρεσβυτάτους. *Modius. Electis DCCCC.*] Modius ita recte; nam et Arrianus III. 6. 9. ἐκλέξας τῶν Μακεδόνων τοὺς πρεσβυτάτους, *eligens seniores Macedonum.* Loccen. Sic et edd. nonnullæ, quas secuti sumus. *Freinsh.*

Terna denarium] Iterum editi, *terna Darium*, et non ignoro monetæ genus hoc nomine Persis fuisse, sed nihil tamen muto. *Modius.*

Ut liberos generarent] In spem militiæ, et emeritorum parentum successionem. *Loccen.*

§ 28 *Dum Bessus perducitur*] Editiones, *tum Bessus producitur*, pessime. *Modius. Tum Bessus perducitur*] *Delph. et Var. Clas.* Bessus ad regem perducitur infra VII. 5. 36. cum jam agmen pervenisset ad Tanaim amnem: nulla igitur caussa est, cur per hanc glossam interveniat rebus Branchidarum. Qui autem *Tum* in *Cum* mutant, mentem Auctoris in alienum sensum transferunt. *Freinsh.*

Branchidæ] Branchidæ, cum Miletum transirent, templum, quod Didymaon appellatur, in gratiam Xerxis violarunt: quo nomine pœnam veriti, demigrantes in Asiam longius Branchidas oppidum condidere, quod veteris odio flagitii rerum potitus Alexander, solo exæquavit. *Popma. Branchidæ*] Strabo lib. XI. testis: 'Circa hæc loca eum etiam Branchidarum urbem excidisse, quos eo Xerxes collocarat, ultro eum a patria secutos, quod pecuniam Dei in Didymis et donaria prodidissent: at Alexandrum sacrilegia eorum et proditionem abominatum, urbem delevisse.' Callisthenes apud Strab. lib. XVII. 'Cum Apollo Branchidarum oraculum deseruisset, ab eo tempore quo templum a Branchidis Xerxem sequentibus spoliatum fuit, et fons defecisset.' Idem Strabo lib. XIV. 'Post Posidium, seu Neptunium, Milesiorum deinceps est oraculum Didymei Apollinis in Branchidis sursum versus octodecim stadia. Incensum est a Xerxe, ut et alia omnia templa præter Ephesium. Branchidæ cum fugienti Persæ thesauros Dei tradidissent, una abiverunt, ne pœnas cogerentur dare sacrilegii et proditionis. Postea temporis Milesii templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem sine culmine mansit: nam ambitus delubri pagi amplitudinem æquat: estque intus et extra lucus pretiosus: alia delubra oraculum et sacra continent. Ibi fabulæ Branchum fuisse dicunt, et amorem Apollinis. Ornatum est templum donariis antiquarum gentium sumptuosissime.' *Rade-*

Digitized by Google

rus. Fuerunt autem hi Branchidæ non populus aliquis, aut civitas, sed familia Milesia, cui creditum erat templi illius sacerdotium, ut Paphii Cinyradibus, apud Tacit. H. II. 3. 3. ita dicta a Brancho generis auctore. Strab. lib. IX. ubi de Delphis, et cæde Pyrrhi: 'Hujus Machærei de stirpe postea natum ferunt Branchum, qui templo apud Didyma præfuit.' Inde templum hoc Statius Theb. VIII. 198. vocat 'intonsi penetralia Branchi.' Et Theb. III. 478. 'patrioque æqualis honori Branchus.' Plura de eo Cœl. Rhodig. A. L. IV. 23. His ergo, et, ut facile colligitur, clientibus et servitiis eorum sedem ultra Oxum attribuit Xerxes, quorum posteri deinceps aucti, in parvuli oppidi frequentiam excreverunt. *Freinsh.*

Jussu Xerxis] Qui idem etiam ceteris Græcis mandavit, ut patria tradita, meliores terras præbiturum sequerentur. Herodotum vide. Item ex Bœotia traduxit nonnullos, de quibus Diodor. XVII. 110. Ejusmodi translationes gentium plures leguntur. Sic enim Philippum Justinus VII. 5. 7. ait, 'populos et urbes, ut illi vel replenda vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transtulisse:' quo loco plura ejus generis exempla notavit Amantius. Socer. quibus adde Eusebium de Ocho, qui Judæos ita transtulerit: sicut prius eorumdem partem Thegelat-phalasar IV. Reg. 15. 29. et Herodotum V. 15. et Pæonas. et VI. 119. de Dario, qui Erythræos. *Freinshemius.*

Didymeon] Rescribe *Didymæon*, quamvis apud Strabonem lib. XIV. etiam 'Απόλλωνος Διδυμέως legatur ab recto 'Απόλλων Διδυμεύς, *Apollo Didymeus.* Becanus Goropius rursus exoticam adfert Didymei vocis originem, quam Noacho attribuit, multisque paginas de Didymæo, et Brancho, et Philesio disputat in Francicis, et aliis. Ceterum cur Apollo *Didymæus* sit appellatus, docet Macrobius Saturnal. I. 17. ' 'Απόλλωνα Διδυμαῖον vocant, quod geminam speciem sui numinis præfert ipse, illuminando formandoque lunam. Etenim ex uno fonte lucis, gemino sidere spatia diei et noctis illustrat. Unde et Romani solem sub nomine et specie Jani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.' Est mentio hujus Apollinis apud Sozomenum Hist. Eccles. I. 7. et 17. Arnobium post pr. lib. VI. Apulei. lib. V. Lactantium Firmian. de Vera Sapient. IV. 13. ubi exstat de Christo oraculum, quis fuerit. Est et apud Orpheum in Apollinis suffimento manna, mentio Didymeos: Βάκχε, καὶ Διδυμεῦ ἑκάεργε, λοξία ἀγνέ. Idem et Branchum et Miletum laudat in Argonauticis paullo post principium: *Raderus.* Nos *Didymeon* scripsimus, Διδυμεῖον, qua terminatione finire solent ædificiorum vocabula, a propriis nominibus appellationem habentia; ut ab 'Αχιλλεὺς 'Αχιλλεῖον, apud Plin. V. 12. et alia multa, quæ refero in Ind. sic a Διδυμεὺς, quomodo præter alios et Origeni fine lib. I. contra Celsum vocatur, Διδυμεῖον. Ergo sic scribitur in Appiani Syriaca: ubi de oraculo Nicatori Seleuco reddito, apud Sueton. Calig. 21. 4. 'Destinaverat, &c. Mileti Didymeum peragere.' Mileti dixit, non quod in urbe esset, sed in ditione ejus, et territorio, ἐν τῇ Μιλησίᾳ, ut loqueretur Herod. Sic igitur et Plutarch. intellige in cap. 27. De his qui sero puniuntur a numine. Unius enim fere diei itinere ab urbe collocat Plin. V. 29. 14. 'In Ionia primus sinus Basilicus, Posideum promontorium et oppidum, oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymei Apollinis, a litore stadiorum viginti; et inde centum octoginta Miletus.' Ubi simul explicantur illa Straboni supra relata *serum verus circiter XIIX. stadia.* Strabo scripsit, ἀναβάντι, ad-

Digitized by Google

scendenti: id Plinio est 'a litore:' notum enim τὰ ἄνω Græcis esse, quæ recedunt a mari introrsus terram, ut contra τὰ κάτω, quæ vergunt ad mare. Porro nescio quam ob caussam, cum hunc Curtii locum in suas Enneades conjiceret Sabellicus, *Didymaonis templum* scripsit, quasi *Didymaon* Dei nomen esset. Scimus quidem quid sint Didymaones, sed huc pertinere non arbitramur. Id ergo templum, ut vidimus, non uno nomine innotuit. Plinius et ex eo Mela I. 17. 'Branchidarum' appellationem vetustiorem fuisse scribunt; 'Didymæi Apollinis' recentem. 'Didymæa limina' vocat Statius Theb. VIII. 199. Lucianus de eo loquens, contentus est 'Branchidas' appellare, post pr. Pseudomantis: quomodo et Herodotus I. 46. et 157. quem valde miror de isto sacrilegio, et transjectis Branchidis tacuisse. A Persis tantummodo vastatum scribit VI. 19. Videtur autem locus ubi Branchidæ templumque fuerunt, quamquam a sacerdotibus vulgo nominaretur, vero nomine 'Didyma' fuisse dictus. Ita certe Stephanus. Sed et Herodotus, ἱερὸν τὸ ἐν Διδύμοισι vocat: et Strabo lib. IX. *templo apud Didyma*, et alibi etiam Didyma, ut loci ejus nomen profert. Imo Pausanias lib. II. diserte τὸν ἐν Διδύμοις τοῖς Μιλησίων Ἀπόλλωνα a Canacho Sicyonio fabricatum refert: et lib. V. iterum 'in Didymis Milesiorum' aram sanguine victimarum ab Hercule exstructam. Sed et Froben. hoc loco sic edidit: *Didyma.* Ab iis igitur Didymis videtur appellatus fuisse Deaster ille 'Didymæus,' sive 'Didymeus,' ut vulgo solebant a loco vocari, ubi colebantur. Magnam autem ejus dignationem postea quoque fuisse constat ex Plinio VI. 16. f. ubi Demonax Herculis, Liberi, et Alexandri terminis superatis, 'aras Apollini Didymæo statuit:' unde forte conjici possit Demonactis patria. Deinde ex Ulpiano tit. XX. ubi scribit 'Apollinem Didymæum,' cum paucis aliis diis, quibus SCtis aut Principum Constitut. id beneficii concessum erat, heredem posse scribi. Quamquam oraculum illud, cum multis aliis, quæ ibi nominantur, adventu Christi conticuerit, ut refert Nazianzenus in Carm. ad Nemesium sub finem. *Freinsh.*

§ 29 *Externo sermone*] Adhuc editiones, *paullatim a domestico externoque sermone degeneres*, non recte ad sententiam. *Modius.*

Militarent] *Militabant* dicerent alii. *Raderus. Militarent*] Sic rectius quam *militabant;* loquitur enim tamquam ex verbis regis, convocate Milesios qui militant mihi: quæ referens aliter vix recte narret, quam, *jussit, ut qui militarent, &c.* Freinsh. Scribo, *militabant*, vel *militarant*. Scheffer.

§ 30 *Milesii gerebant*] Ita sine dubio legendum esset; etiamsi non addiceret Bong. I. ex Ms. codicibus. Sequitur ergo statim, *His sive, &c. mallent;* ut sentias sermonem esse de pluribus. *Freinsh.*

Proditionis ergo] Et interpunctio hæc, et scriptio a me sunt. Vulgo erat, *Vetus odium miles gerebat in Branchidarum gentem. Proditis ergo sive injuriæ.* In membranis quibusdam, *Vetus odium miles gerebat in Branciderum gentes proditis ergo: his sive, &c.* Vides quam non longe a lectione, quam libri veteres referebant, recesserim, et tamen, quod sine jactatione liceat, recte locum emendavi. *Modius. Proditis ergo*] Milesiis puta; hos enim, vel potius thesauros templi apud eos prodiderunt; sed cogitandum, an non scripserit Noster, distinxeritque, *Vetus odium Milesii gerebant in Branchidarum gentem proditi: ergo sive injuriæ, &c.* Scheffer.

Liberum arbitrium] Ita etiam Livius XXXII. 37. 'Quinctio liberum arbitrium pacis ac belli permissum.' Et XXXVII. 1. 'Senatui liberum de

Digitized by Google

se arbitrium permitterent,' ut non sit, quod in epitheto tautologiam metuas. *Cellar.*

§ 31 *Occurrentibus, Brancidas*] Servavi, quod in membranis repereram. Alioqui potest etiam legi, *Postero die occurrentes Brancidas secum procedere jubet;* vel, *postero die occurrentibus Brancidis secum procedere jubet.* Modius. *Occurrentibus*] Militibus Alexandri Milesiis ad audiendam regis sententiam. *Raderus.*

§ 33 *Supplicum velamentis*] Membranæ, *nec commercio linguæ, aut supplicio*, quomodo si legatur, illud *supplicio* valebit supplicatione, precibus, uti eo Sallustius lubenter utitur. Sed nos sane, quia proba est lectio excusa, et sequitur *precibusque*, nihil, si sapere volumus, mutandum censebimus. Plautus: 'Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes. Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.' Virgil. 'Velati ramis oleæ veniamque rogantes.' *Modius.* Velamenta quoque et infulæ in habitu supplicum erant: Livius XXV. 25. 'Legati cum infulis et velamentis venerunt, precantes ut cædibus et incendiis parceretur.' Tacitus Hist. I. 66. 'Velamenta et infulas præferentes flexere militum animos.' Et III. 31. 'Mox velamenta et infulas pro muris ostentant.' *Cellar.*

Ut dejicerent] Glossema teneo, *ut dejicerent;* quo quid opus, cum alias et sententia, et oratio plena? Superfluit omnino hoc, quod tamen si glossa non est, vide an cum præcedentibus levi correctione sic nectendum: *illi inermes passim trucidantur, nec aut commercio linguæ aut supplicum velamentis precibusque inhiberi crudelitas potest: qui tandem ut deficerent, fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod urbis vestigium exstaret.* Cum homines crudelitati deficerent, in tecta urbis et mœnia, lucos denique et humum ipsam sævierunt. *Acidalius.* *Ut dejicerent*] Acidalius tanquam glossema inducenda putat. Nec ego aliter existimo. *Raderus.* *Ut dejicerent*] Hoc pro glossemate habent Acidalius et Raderus; me non offendit: sic enim construo: *Tandem, ut dejicerent fundamenta murorum, ab imo* (ea scilicet) *moliuntur.* Ut ne fundamenta quidem urbis superessent, adeoque tota solo æquaretur, ea fundamenta ab imo moliuntur: plano, ni fallor, sensu. *Freinsh.* Leg. *dejicerent*, vel forte *dejecturi.* Heinsius.

§ 34 *Nec mora quoque lucos*] Typographicum hoc quoque mendum, nec amplius opinabar: cum in aliis reperi omnibus eodem scriptum modo, nisi quod particulam transponebant, *lucos quoque sacros*, quod plane rectius, si reliqua scriptura recta; quam suspectam facit et hoc ipsum *quoque*, et magis illud *nec mora τοιγαρούν* emendo vero, *nemora quoque lucosque sacros*, quod ita se probat ipsum, ut nec verbulo sit probandum. *Acidalius.* Recte emendavit Acidalius, agnovi Curtium, et restitui. *Freinsh.*

§ 35 *Justa ultio*] Incusat ergo hoc Alexandri factum. 'Nec sane et qui maxime Alexandrum admirantur et amant, ex quorum numero nos quoque sumus, laudare solent,' ait Timo apud Plutarch. cap. 27. De his qui sero a numine puniuntur: ipse tamen velut excusare videtur, quod æquum sit, ut bonorum posteris bene esse, sic malorum male. Sed ut pœna in malorum posteros justa esset, (et certe esse divinis literis approbatur) non ideo statim quivis eam juste exigeret: haud magis quam eodem loco Agathocles, qui 'subsannans Corcyræos, quærentes cur ipsorum insulam popularetur, respondit: Quia mehercle majores vestri Ulyssem hospitio exceperunt: et Ithacensibus itidem expostulantibus, quod milites ipsius eorum oves auferrent, At vester, inquit, rex, cum ad nos venisset, præterea etiam excæcavit pastorem.' Ita supra ex Gemisto de Paropami-

Digitized by Google

sadis audivimus, eos post tot sæcula injuriis ab Alexandro illatas, in Peloponnesiis ulcisci voluisse. Sic etiam usitatissimum est, et in omnibus fere Curtianis concionibus observatum, instigari exercitus in mutuam perniciem, commemorandis majorum injuriis: at si quæ interim beneficia intervenere, altum de his silentium est, ne forte remittat furor, et vindictæ cupido. Similis ultionis specimen idem Alexander edidit incensa Persarum regia: de quo facto quid alii, quid ipse postea senserit, supra ad v. 6. 1. Sic idem Tyrios adfixit cruci, propter majorum scelus, si fides Justino XVIII. 3. 18. Vide Gentil. de Jure Belli p. 195. Apud Sallust. H. I. 2. 5. vituperatur Sulla, 'qui solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in postfuturos composuit.' De qua re vide insignem locum Dionysii Halicarn. lib. VIII. 92. *Freinsh.*

Adeo Xerxi] *Ideo et Xerxi* membranæ. *Modius.* Vide Cl. Burmann. ad Phædr. I. 4. 7. *Snak.*

§ 36 *Tanain*] Plinius VI. 16. 8. 'Finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Jaxarte, quod Scythæ Silyn vocant: Alexander militesque ejus Tanaim putavere esse.' Atque idem fere Strabo lib. XI. et Arrianus III. 6. 15. ubi hunc 'Alexandri Tanaim alio nomine Orxantem a finitimis barbaris appellari Aristobulus dicit,' eumque e Caucaso oriri; ubi itidem Alexandrinum Caucasum, hoc est, Paropamisum montem, intelliges. 'Orexartem' appellat Plutarchus Alex. cap. 80. quem pro Tanai Macedones habuerint. Quidam apud Stephanum, in *Τάναις*, 'Jaxartem,' alii longius, opinor, a vero discedentes, 'Acesinem.' Esse vero eumdem, quem hodie *Rha* vocant, inter alios et Volaterranus affirmat lib. XIII. Anthropologiæ, ubi de Alexandro agit; et Bonfin. a pr. Hist. Ungar. *Freinsh.*

Ad Tanaim] Jaxartem, ut semel et iterum diximus ad VII. 4. Quod enim Mæotim, quæ Tanaim haurit, et Caspium mare conjungi veteres putarunt, ut ex Strabone ad cap. 7. mox adnotabimus; fluvios etiam majores, in utrumque se infundentes, pro uno habuerunt. *Cellar.*

§ 37 *Et hoc solatio*] Forte *sed hoc solatio.* Heinsius.

§ 38 *Persolvisti. Ibi*] Nihil proclivius fuerat emendare *persolvisti tibi. Ille facinus, &c.* Ipse, invaso regno, et nomine regis assumpto, mercedem sibi eam parricidii persolverat. *Acidalius. Persolvisti tibi*] In mercedem sceleris tibi regium nomen sumsisti. Ceterum *tibi* pro vulgari *ibi*, distinctione paullo transmota, ex Acidalii ingenio est. *Cellar.* Recte Acidalius *persolvisti tibi. Ille.* Heinsius.

§ 39 *Usurpare*] Bongarsius malebat *usurpasse;* idque præsenti Bessi conditioni videatur aptius. *Freinsh.* Id tamen non insuitatum Latinis, ut præsenti tempore efferant rem præteritam, docebit consummatissimus J. Fr. Gronovius Observat. IV. 20. *Snak.*

Qui si] Forte *quod si cessasset.* Heinsius.

§ 40 *Oxyatrem*] Sic quidam impressi codices, quomodo etiam Arrianus; alii *Oxatrem* habent. Plutarchus in Alexandro *Exatrem* vocat. *Popma.*

Auribus] De aurium mutilatione supr. v. 5. 6. dictum. Non autem est dubium in hoc tam vario tamque exquisito Bessi supplicio respexisse Alexandrum id, quod apud Justin. XI. 15. monuisse scribitur deficiens jam Darius: 'Quod ad ultionem pertineat, jam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse causam, quam negligere, illi et indecorum et periculosum esse: quippe cum in altero justitiæ ejus, in altero etiam utilitatis causa versetur.' Ubi Berneggerus. Mutilationem autem

Digitized by Google

membrorum etiam in Besso non probat Arrian. IV. 2. barbari moris eam esse judicans. *Freinsh.*

Sagittis configerent] Diodor. XVII. 83. refert, cum in Bessum Oxathres Darii frater et consanguinei ejus omnia contumeliarum et cruciatus genera exercuissent, minutatim etiam corpus ejus concidisse, et membrorum frusta fundis in partes varias projecisse. Arrian. IV. 2. Bessum prius auribus naribusque mutilatum, deinde capitali supplicio affectum. Plutarchus cap. 48. narrat, Bessum reclinatis duabus arboribus Alexandri jussu alligatum, ut ad naturalem statum valido cum impetu redeunte utraque, ille in diversa avelleretur. *Popma.*

§ 41 *Ab alio melius*] Vox *melius* a libris veteribus est. *Modius.*

Certo ictu] A peritia sagittandi laudatur et Domitianus apud Sueton. 19. 2. Theodoricus apud Sidon. Epist. 1. 2. Commodus apud Herodian. Philoctetes apud Homer. Iliad. B. 718. ubi Eustath. et Dictys Cretens. princ. lib. III. Gratianus apud Auson. in Panegyrico, Victorem, et Paul. Diaconum. Honorius apud Claudian. in IV. Consul. ejus, vs. 528. Mopsus Saguntinus apud Silium, Hormisda apud Zonaram tom. 3. alliique plurimi quos producit Zwingerus Theatri vol. II. lib. v. p. 398. *Freinsh.*

Aves] Intellige volantes, quomodo Harpyias intercepisse Hercules fingitur. Ita Eurytion, 'Plaudentem nigra figit sub nube columbam,' apud Virgil. Æn. v. 516. quod expressum ex Homero Iliad. Υ. 874. *Freinsh.*

§ 42 *Celebri usu*] Apud Persas enim 'publice instituta erant jaculandi sagittandique certamina.' Xenoph. lib. I. Cyropæd. et Herod. I. 136. 'Liberos suos a quinto anno incipientes usque ad vicesimum, tribus tantum instituunt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui.' Quod sagittandi studium, ut pleraque alia, ex Persarum institutis hausere Parthi, de quibus Justin. XLI. 2. 5. *Freinsh.*

Tamen ingens] Sigebergensis Codex, *tum ingens*, quod aliam sententiam efficeret, sed omnino non nimis veram. Quando enim, aut apud quos fuit celebrior ars destinata certo ictu feriendi, quam tum apud Persas? *Modius.*

§ 43 *Eo loco*] Amabant enim homines injuriam passo ita exhibere solatium; eoque respiciebat Sophocles sub fin. Electræ, ubi introducit Ægisthum atque Orestem ita verbigerantes: 'ÆG. Quid attinet in domum me duci? nam si honestum est Quod agitis, cur tenebris opus est? quin statim interficis? OR. Ne impera, sed vade ad eum locum, ubi interfeciati Patrem meum, ut ibidem et tu cadas.' Hæc ex Grutero ad ista Sueton. Galba 20. 9. caput Galbæ, 'eo loco, ubi jussu Galbæ animadversum in patronum fuerat, objecit.' Pharnuches excussus ab equo, jussit 'abducto in locum, ubi dominum straverat, crura cum genibus abscindi.' Herodot. VII. 88. Sic etiam 'famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos, compluribus placuit; ut et conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, et solatio sit cognatis et adfinibus interemptorum eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia fecissent.' l. 28. § pen. de Pœnis. Idem etiam divinam justitiam aliquoties observasse, non ethnica modo exempla sunt, falsis tamen numinibus tributa; sed et fida certaque alia. Ita Turullium in Co insula, ubi in luco Æsculapii arbores sacras ceciderat, interfectum Dio lib. LI. notat. Val. Max. I. 1. 19. etiam in ipso luco interemptum scribit. 'Appio Claudio consule, Pop. Rom. non ab hostibus, sed a Diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat: ibi statim classe demersa, ubi ille præcipitari pullos jusserat, quod pugnare ab his

Digitized by Google

vetaretur.' Florus II. 2. 29. ad quem similia quædam notavimus. *Freinsh.*

Cap. VI. § 2 *Vigiuti*] Arrianus sub fin. lib. III. triginta millia numeravit. *Raderus.*

§ 3 *Sagitta ictus*] Plutarch. de Fort. Alex. II. 21. hoc vulnus miris modis auget. 'In Maracandis,' inquit, 'sagitta crus vulneratus, ita ut a tibiæ radio fractum os dissiliret.' In Græco est pro Maracandis ἐν Μαλλοῖς, in *Mallis*, sed Malli et Oxydracæ procul absunt a Maracandis. Malli apud Indos sunt. Maracanda regio est Sogdianorum. Interpres ergo verior quam Plutarchus, sed verba auctoris erant ponenda: in ora vero notandus error, et Maracanda nominanda. In primo de Fortuna cap. 2. gentem 'Maracadartas' appellat: 'Apud Maracadartas,' inquit, 'sagitta suræ osse diffisso defunctus sum.' *Raderus.*

§ 4 *Subductus ex acie*] Addunt vulgati libri *rex*. Modius.

§ 5 *Legatos*] Ab ejusmodi enim hominibus legatos admitti posse, hoc exemplo probat Paschal. de Legat. cap. 12. additis etiam rationibus. *Freinsh.*

§ 6 *Illi jussi considere*] Indigni credo visi latronum legati, qui assidere juberentur, ei, nescio cui, qui *conspicere* mutabat, et ad vulnus trahebat. Enimvero solemne illud, ut quibuscumque legatis is honor haberetur. Infra item barbari Scythæ, 'Admissi in tabernaculum jussique considere, in vultu regis defixerant oculos.' *Acidalius.*

Cognito vulnere ipsius; cujus si auctorem reperissent dedituros fuisse] Hæc omnia in membranis non erant, legebaturque in iisdem, *vulnere illius*, pro *virtute illius*; sed mihi, quin illa Curtii sint, et istud adulterinum, dubium non est. *Modius.*

§ 8 *Lectica*] De Lecticis late Lipsius Elector. I. 14. et Marcell. Donat. in Sueton. August. cap. 78. *Freinsh.*

Pedites cum sauciis] Vulgati voce auctius legunt, *Pedites contra eum*: in membranis totus locus ita perscriptus: *Pedites cum sauciis commilitones ipse gestare assueviset, &c.* Sed hoc ita aperte falsum est, ut a me refutari non debeat. *Modius.*

§ 10 *Maracanda*] Regiam Sogdianorum. Arrian. III. 6. 15. Apud Strabon. lib. XI. mendose scriptum est Παράκανδα· vetus enim codex Μαράκανδα habet, quamvis nec ipse satis emendatus, cum Μαράκανδα, non Μαράκανδα legendum sit. Variat tamen etiam apud Arrianum calamus, qui modo 'Paracada,' (ut IV. 1. 15.) modo IV. 1. 25. 'Maracanda' scripsit. Plutarchus constanter 'Maracanda.' *Raderus.* In quibusdam Codic. urbs hæc *Marapenta* vocatur, quali usum fuisse apparet Bonfinium, cum Ducad. 1. lib. I. Rer. Ungar. conscriberet, et Sabellicus Ennead. IV. 5. Unde videtur in Plinii codicibus natus error, quem deinde et Soliniani receperint. Plinius VI. 16. 7. 'Ultra Sogdiani, oppidum Panda.' Vides enim oppidum præcipuum fuisse Maracanda, præsertim post dirutam Cyropolim. *Freinsh.*

Illinc cingitur] Editiones, *nullo cingitur muro*. Tu vide quid et cui credas. *Modius.* Prorsus ineptum *illinc*, quod a Modio: notante eodem tamen, alias legi *nullo*. Sed tu, inquit, vide quid et cui credas. Mallem diserte monuisset, cui credendum: per me enim adhuc fluctuo: nisi si ex *illinc*, quæ membranarum lectio, faciendum *illius*, quo nihil facilius, affinitatem literarum contemplanti. Sensus ipse etiam expeditus: Arcem intra urbis ipsius munimenta comprehensam: quod verum non præsto tamen, et defugio auctoritatem, quæ mihi alitunde nulla. *Acidalius.* Male Acidalii *illius*. Raderus. *Nullo muro*]

Digitized by Google

Contenta naturali loci munitione. Modius tamen pro *nullo* in suis lib. reperit *illinc*, unde Acidalius faciebat *illius*, approbante Radero. *Freinsh.* Forte, *arx alio cingitur muro.* Heinsius.

§ 11 *Aviorum Scytharum*] Alii hic legunt *Aulorum*, alii *Albiorum*; sed rectum videtur *Abiorum*, seu *Aviorum*. Arrian. lib. III. Ἀφικνοῦνται παρ' Ἀλέξανδρον πρέσβεις παρά τε Σκυθῶν, τῶν Ἄβιων καλουμένων, οὓς καὶ Ὅμηρος δικαιοτάτους ἀνθρώπων εἶναι ἐν τῇ ποιήσει, ἐπῄνεσεν. Versus autem quibus Homerus hoc dicit hi sunt, Ἀγαυοὺς ἱππημολγούς, Γαλακτοφάγους, Ἀβίους τε δικαιοτάτους ἀνθρώπους. Vide etiam Strabonem lib. VII. *Modius. Abiorum*] Hos cum *justissimos barbarorum* vocat Curtius, respexit ad Homerum Iliad. XIII. 6. sic et Arrianus IV. 1. 1. 'quos et Homerus justissimos mortalium appellans, in suo opere laudat:' quem cum Eustathio videbis, multa enim hic de Abiis. Observandum etiam quod recte Casaubonus ad Strabon. lib. VII. pag. 112. animadvertit, Abios, Arriano, Curtio, Ammiano nomen proprium videri, non epitheton, quemadmodum etiam Ἀγαυοὺς, Hesychio teste. Proinde interpretem Homeri Latinum, Abios non recte vertisse, arbitror *longævos*, quamvis etiam Eustathius in quibusdam ita Græcis intellectam vocem moneat. Ceterum Latini hos Scythas nunc *Abios* nunc *Avios* appellant, propter vicinitatem *b* et *v* literarum. De his Strabo lib. VII. copiose disputat: Justinus II. 2. 5. eosdem, quamvis communi Scytharum nomine comprehensos paucis describit. Ex *Loccenio* et *Radero*. Glareanus suspicabatur legendum *Albanorum*, cum esset scriptum *Aulorum*, (quomodo et Sabellicus legit) ut fit *i* litera in *l* transeunte, continuata cum puncto lineola. Aldus edidit, *Albiorum*, unde ingeniose Bongarsius, *Olbiorum*. Ipsi tamen illi viri potius ad ulteriorem inquisitionem cogitationes suas annotaverant, quam ut penitus ita sentire crederentur. *Freinsh.* Incerta horum sedes Europæis conjungit Strabo lib. VII. Ptolemæus VI. 16. extra Imaum locat. Ammian. XXIII. 25. sub aquilone ponit, contra gentes quas Oxus alluit. *Cellar.*

§ 12 *Penidam*] Legendum puto *Menidam*, quem Arrianus et Curtius unum ex Alexandri amicis et ducibus fuisse tradunt, cujus et Curtius libro quarto sæpe meminit. *Popma.* Ego posteriorem quoque vocem *quemdam* delerim; est enim corrupta ex nomine ejus prætoris, et pro varia lectione adpicta; quod prope certo constat ex Aventino lib. I. qui Curtiana verba de suis nationibus interpretatus, ait Alexandrum 'misisse ad Germanos finitimosque quemdam ex amicis, qui denuntiaret, ne Tanaim atque Histrum amnes (nam et hoc addit de suo) injussu Regis transirent,' &c. Bonfin. lib. I. Dec. 1. 'Penindam' vocat. Sed hic idem cur infra VIII. 1. 7. 'Berdes' vocatur? Nec enim de alio ibi potest esse sermo: et omnia probe considerata non permittunt, ut mox, pro *eidem mandatum*, legamus *Berdi mandatum*; an potius ille locus hinc emendandus? *Freinsh.*

Ne Tanaïn] Fere ubivis amnes quoque cujusque regionis termini. Tacitus I. 9. 5. 'Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium.' Fit id aut natura, vel mutuo consensu. Hujus meminit Diodor. XII. 83, et XVI. 83. Polyb. Excerpt. Legat. I, 4. princ. Tacit. XI. 10. 3. et XV. 17. 3. Alterius mentio, apud Herodot. VI. 108. Polyb. XV. 6. Julianum Apostatam in Cæsaribus, ubi fatur Octavianus. Ex quibus intelligimus, cur Alex. Magnus legatum miserit ad Scythas Europæos, 'qui denuntiaret eis, ne Tanaim,' &c. Voluit enim, abstinerent terris Macedonum. Hunc

Digitized by Google

ad morem respexit Spartianus in Hadriano cap. 12. f. 'In plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur; stipitibus magnis, in modum muralis sepis funditus jactis ac connexis, barbaros separavit.' Allusit et istis Plutarch. in Vita P. Æmilii cap. 7. 'Hujus temporis fratres et cognati, nisi regionibus, fluminibus, mororum divortiis distinxerint communia, et multum inter se spatii interjecerint, non cessant a mutuis contentionibus.' Hæc Gruterus ad ista Livii I. 3. 5. 'Pax ità convenerat, ut Etruscis Latinisque fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset.' Quibus adde Tacit. pr. Germaniæ, Senec. Præfat. Natur. Quæst. Florum IV. 12. 61. Arrianum VI. 3. 6. *Freinsh.* Verus quidem Tanais Scythas Europæos discernit ab Asiaticis; non autem urbs, quæ hic 'super ripam Tanais condenda' dicitur, in illius, sed Jaxartis ora fuit, qui longius abest ab Europa. Conjungunt tamen et confundunt rerum Macedonicarum scriptores, 'ut etiam fama jactaret, istas etiam partes fuisse ab Alexandro subactas.' *Cellar.*

Super Bospero incolunt] Bona, et si vis amplius optima lectio: nec hilo deterior alia tamen, *qui super Bosphorum colunt*. Sic infra VIII. 1. 7. 'Scythas super Bosphorum colentes.' *Acidalius.*

§ 13 *Condendæ urbis sedem*] Præsto legendum, ut excusum est, vulgo autem erat, *Condendæ urbis sedem super ripam Tanaïn eligeret, claustrum etiam perdomituro, quos deinde adire decreverat.* Quæ vitiosissima constitui, et emendari potuisse existimabat Glareanus, si legeretur, *claustro etiam perdomiturus, quos deinde adire decreverat.* Sed ignoscant mihi boni viri manes, si nihil conjectura hac ejus actum pronuncio. mihi illuxit facem ad verum lectionem Arrianus lib. IV. Αὐτὸς δὲ πρὸς τῷ Ταναΐδι ποταμῷ ἐπανόδου πόλιν οἰκίσαι. *Modius,* Optime Modius, quem leviter in partem etiam juvo, dividens τὸ *etiam*, ut fiat *et jam.* Acidal. *Condendæ urbis*] Lego, *Cond. urbi sedem.* s ex sequenti voce ascitum. Sic supra VII. 3. 23. 'Condendæ in radicibus montis urbi sedes electa est.' *Gronovius.* Idem mihi fuerat visum. Sane sæpissime accidit ut ex antecedentibus sequentibusve verbis aliqua adsuantur, quod profectum credo ex more dictandi. *Freinsh.*

Elegerat] Ita recte: quamquam Impressi fere *eligeret*: patet hoc ex seq. *consilium distulit*; hoc est, urbis condendæ, quæ demum etiam conditur infra VII. 6. 25. At exploratoris, sive, ut ipse appellabat, legati mittendi consilium non fuisse dilatum, cum ratio docet; tum etiam infra VIII. 1. 37. evidenter probat. *Freinsh.*

Et jam perdom.] Hactenus editi, *etiam perdom.* Ego sic legendum ex sensu vidi, quomodo et dudum Sebisium monuisse reperio, et diu ante Acidalium. *Freinsh.*

§ 14 *Coërcendo, qui novaverant*] Et hæc quoque emendatio non mala est, excusi libri habebant, *coërcendo eos, qui moverant res, &c.* flagitiosissime: eleganter autem hic ponitur *novandi* verbum absolute, ut apud Tacitum quoque ex emendatione V. Cl. mihique in paucis cari J. Lipsii recte legitur, 'Marcum in Africa haud dubie turbantem Trebonius,' &c. *Modius. Coërc. qui novaverunt res*] Non omisit Curtius voculam *res*, quæ addita in vulgatis. Infra X. 8. 1. 'Ni occupetur impotens animus, res novaturum:' ipse ibi Modio sic emendante. Sed ita sumus quidam, quod placuit modo, displicet; quod displicuit, mox placet: utcumque se novitatis aut raritatis aliquid specie commendat. Sæpe phrasi hac usus Curtius, numquam aliter, nisi ut juncta suo verbo ea ipsa vox legatur: Ceterum nec *moverant* usque adeo malum: quemodo idem tamen ait flagitiosissime

Digitized by Google

scribi. *Acidal.* Quem miror tulisse voculas *coërcendo eos*, quæ ex seq. lineæ in hanc adscenderant, nihilque juvant sensum, sed potius magnopere inquinant. *Freinsh.*

§ 16 *Cyropolim*] Caput regionis: Alio nomine *Cyreschata* dictam; ut contra Ptolemæum, qui duo nomina duas urbes putaverat, ostendit Salmasius in Solinum pag. 840. Ælianus Hist. Anim. XVI. 3. sibi persuadet urbem hanc ab Alexandro restitutam, ait enim in India nasci avem, quam ab incolis Cyropoleos allarumque urbium, quibus ibi colonos Alexander dederit, Græco nomine vocetur Κορώνη. Quod autem Indiæ adscribit urbem Sogdianam, seu memoriæ lapsu facit; seu quod Indiæ nomen usque ad eas regiones extendi reperierat. *Freinsh.*

Aliam urbem] Arrianus IV. 1. 6. Septem urbes in Sogdianis ordine expugnatas ait ab Alexandro. *Raderus.*

Corona] Lipsii Poliorcet. I. 4. consule. Apud quem et descriptam in charta ejus imaginem cognosces. Apud Græcos non dissimile est τὸ στεφανοῦν apud Herodot. lib. VI. et Platonem lib. III. de Legibus. 'Urbem quasi sagena et indagine includere,' ut et Herodianus loquitur. *Idem.*

Puberes interficerentur] His et nequentibus admodum similia sunt ista Sallustii Jug. 91. 6. de Capsa: 'Oppidum incensum: Numidæ puberes interfecti, alii omnes venundati: præda militibus divisa,' &c. et hæc Taciti XIII. 39. 7. de Volando castello: 'Capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati, &c. et imbelle vulgus sub corona venundatum: reliqua præda victoribus cessit.' Adde Polyæn. Strateg. IV. 3. 30. de Alexandro et Calthæis Sallust. Jug. 54. 4. et 91. 6. *Freinsh.*

In prædam cessere] In membranis vox *cessere* nulla erat. Non potest tamen sine sententiæ interimento abesse. Nisi totum locum aliter constituendum putemus. Ad quam tem mihi sane nunc otium deest. *Modius.* Placet Lectio Voss. 2. qui habet *victoribus*, nec id Curtio indignum. VI. 11. 26. 'Præmium regis occisi Asiam interfectoribus esse eessurum.' X. 10. 20. 'cessit Ægyptus Ptolemæo.' Et sic passim, ut hic convenientius, et pluralis numerus et tertius casus præeunte manuscripto. *Snak.*

§ 17 *Memaceni*] Nomen ignotum aliis Geographis et Historicis. *Cellar.*

Inexorabilem animum] Ita scripsi de conjectura, contra omnes libros, qui *exorabilem* referebant, quod ita sententiæ ratio postulare videretur. Quid enim esset, quod Alexandri clementiam in devictos iis laudaverit, quos non armis expugnare, sed deditione ditionis suæ facere cupiebant? an non hac re potius ad sustinendam fortiter obsidionem eos animarent? quippe qui persuasum haberent, sat cito tam misericordis victoris et lenis hostis potestati se permissuros, quum extrema omnia pro libertate fecissent? omnino igitur legendum, quemadmodum excusum est, hoc sensu: benevoli primum regis clementiam in deditos prædicando, mox ejusdem in devictos inexorabilem animum ostentando, ad deditionem obsessos compellere tentasse, qui ab Alexandro missi erant. ac de hoc loco ita mihi videtur. *Modius.*

§ 18 *Nec de clementia*] Vulgo *potentia*, quod sane mihi se probare non potuit. *Modius.*

§ 19 *Ut ante dictum est*] Hoc vero dictum ante non est. Unus Craterus eo paullo ante mittebatur, *Alexandro transfugarum defectione comperta, Craterum obsidere Cyropolin jubet.* Oblitus ergo sui Curtius tam cito? an et illos cum hoc una fuisse intelligere debemus? Expressisset: ita neque dubitare nobis, neque ipsum reprehendere liceret. At Arrianus lib. IV. de solo item Cratero testatur, qui

Digitized by Google

omnes omnium harum et plurium obsidiones urbium dilucidius et magis ex ordine describit, quas intricate quodammodo Curtius narrat et imperfecte, Diodorus autem præterit omnino. *Acidalius.* De his nihil ante dixerat, sed Cratero haud dubie Perdiccam et Meleagrum socios adjunxerat, quos inde avocatos ad Memacenos expugnandos adhibuit. *Raderus. Ut ante dictum est*] Quis non videt merito viros doctos conqueri, dissentaneam et intricatam hanc totam Curtii narrationem esse? quam magis etiam turbat Explanator, dum conatur explicare. Mihi prope constat lacunam esse in superioribus: omnia quidem prona et proclivia erunt, si sic expleas: *Itaque Meleagrum et Perdiccam in obsidione ejus relinquit: ipse cum reliquis prefectus Craterl quoque copias suis jungit, Cyropolin (ut ante dictum est) obsidentes.* Similis fere res et oratio infra VIII. 10. 21. et 22. *Freinsh.* Quid est *jungit obsidentes*, et quando dixit Meleagrum et Perdiccam obsidere Cyropolim? Cratere supra datum fuit hoc negotium: quare suspicor scripsisse Nostrum *obsidenti*, hoc est, Meleagro. Natum autem esse vitium ex eo, quod *s* litera ex sequenti vocabulo huic adhæserit, factumque sit *obsidentis*, mox a correctore emendatum scilicet, mutatumque in *obsidentes*. Verum repugnat emendationi huic, quod Meleager et Perdiccas jussi obsidere urbem Memacenorum. Itaque sequitur de Alexandro post occupatam Cyropolim, ad Meleagrum et Perdiccam redit. Itaque non est dubium, quin, post *obsidionem*, vel *jungit*, aliqua exciderint, quod et Freinshemius est suspicatus. *Scheffer.*

§ 20 *In quis et magnitudinem*] Membranæ, *quos et magnitudine animi et claritate rerum longe emicuisse.* Editi libri, *in quis et magnitudinem animi, et claritatem rerum longe emicuisse credebant*: illud ferendum, hoc minime. *Modius.*

§ 21 *Diripere jussit delectos*] Iterum membranæ, *Itaque captam urbem diripi jussit. Delatæ Macedones haud injuria infestos ad Meleagrum, &c.* Quæ lectio aliquid monstri alere videtur: porro omnia hæc cum iis, quæ proxime et sequuntur et præcedunt, paullo intricatiora sunt; ita tamen, ut a lectore attento, et qui hic sit, facile intelligi queant, nobis certe otium non erat, ea paullo latius explicandi, sed nec promittit hoc notarum titulus. *Modius.* Forte *relictos*, pro *delectos*. At subesse aliud quid e membranis videtur, quas et Modius hic jure monstri suspectas habet. Ea legunt: *Itaque captam urbem diripi jussit: delatæ Macedones haud injuria infestos, ad Meleagrum, &c.* Fallor, an conjectura emendationem tetigi? Certe sub ictu habere videor: *Itaque captam urbem diripi* (aut, *dixit*) *justit. Delata, Memacenis haud injuria infestus, ad Meleagrum et Perdiccam redit.* Cyropoli deleta, in quam ira magis, quam jure sævierat, ad Meleagrum et Perdiccam redit Memacenos obsidentes, quibus merito suo infestus erat ob interfectos equites, legatorum vicem a se præmissos, gentium jure violato. Hinc tamen illud sequatur, ipsum regem obsidioni et direptioni Cyropoleos præfuisse, quod ex reliqua narratione non apparet. Arrianus inter et præfuisse diserte scribit, atque ibi vulnus in cervice accepisse, quod ad hanc urbem Curtius refert. Sed ut ante dixi, et dissentanea, et intricata hæc tota Curtio narratio est; quod ante nos etiam Modius in parte observavit. *Acidalius.* Verba hæc, *et ad Mel. et Perd. redit*, alieno loco posita esse videntur, nec huc pertinere. *Loccen. Delectos Macedones*] Locus hic totus in gravi morbo cubat, quem an curaturus sim nescio, manum saltem cum Acidalio medicam adhibere

Digitized by Google

conabor. Ms. Constantiensis: *itaque captam urbem diripi jussit. Deletæ Macedones haud injuria infestos.* Eodem modo legit Modius in suis membranis. Editi omnes: *itaque captam urbem diripere jussit, delectos Macedones haud injuria infestos.* Sensus hujus scripturæ parum aptus, seu legas *deletæ*, seu *delectos*. Primum nulla caussa cur Cyropoli essent infesti Macedones, nisi quod se fortiter defenderet, quod laudi potius quam indignationi erat tribuendum. Deinde cur deletæ essent infesti? Itaque nec placet castigatio prima Acidalii, cum pro *delectos* scribit *relictos*. Melior altera est; *Itaque captam urbem diripi jussit. Deleta, Memacenis haud injuria infestus.* Vera et certa emendatio, quam res ipsa dictabat: hanc apud eum vide. Ceterum quod Modius et Acidalius intricatam et dissentaneam totam hanc Curtii narrationem judicant; mihi secus videtur, si Curtius cum Curtio componatur: si cum Arriano, fateor Curtium dissentire non ab se ipso, sed ab Arriano. Arrianus lib. IV. omnia, quæ Curtius de Memacenis tradit, ad Cyropolitanos refert. Curtius rem hoc ordine gestam exponit. Alexander Craterum ad Memacenos oppugnandos misit: eique Perdiccam et Meleagrum duces adjunxit: ipse Cyropolim expugnandam sibi sumsit, cui omnino propter Cyrum conditorem, et ejus regis claritatem et memoriam parcere cupierat. Sed cum constanter urbem cives defenderent, Alexander illam expugnavit et delevit. Cyropoli deleta contulit se rursus ad Memacenos, quibus propter legatos occisos infestus erat: atque in illius (an illorum) oppugnatione saxo ictus grave vulnus accepit: nihilominus oppugnationem acrius urgens per cuniculum tandem in urbem evasit, illamque captam et direptam evertit. Hæc narratio est clara et expedita, si locum illum ab Acidalio emendatum sequaris. Quod ad Craterum attinet, fieri potest, illum a Memacenis tantisper ad Cyropolitas evocatum, relictis interim in obsidione Memacenorum Perdicca et Meleagro, ad quos cum Cratero, post expugnatam et deletam Cyropolim, rediit. Ita Curtius tres dumtaxat urbes in Sogdianis ab Alexandro expugnatos ostendit, primamque ἀνάνυμον corona captam, Cyropolim, et Memacenorum vi et virtute, omnesque tres deletas. Arrianus lib. IV. Memacenorum nullam facit mentionem, sed pro tribus septem enumerat urbes ab Alexandro expugnatas. *Ruderus.* *Delectos Macedones*] Variant nonnihil libri scripti, *urbem diripi jussit. Deletæ Macedones haud injuria infestos*, &c. ex quibus Acidalius ingeniose: *dir. jussit. Deleta, Memacenis haud injuria infestus, ad Meleag. &c. redit.* Si tamen pondus aliquod nostræ conjecturæ, qua supra ad num. 19. quæ ibi deerant supplevimus, vulgata lectio extra vitium est. *Delectos Macedones diripere jussit Cyropolim, haud injuria infestos*, sive ob exantlatos in obsidione labores et pericula, sive ob scelus etiam Memacenorum: fieri enim solet, ut unius oppidi, immo singulorum interdum hominum facinora toti nationi imputentur: rediit autem ipse ad obsidionem Memacenorum, quam urbem supra num. 19. corona circumdederat; ideoque ad Meleagrum et Perdiccam, nempe quos ibi reliquerat. *Freinsh. Delectos*] Forte, *Deletæ Macedonas haud injuria ratus infestos.* Sed melius Acidalius, quem vide. *Heinsius.*

§ 22 *Fortius*] Desperatione scilicet veniæ, ob admissum facinus, quam ob caussam inexpiabile bellum suscepturi, studebant illigare populares magno aliquo scelere, quod quasi vinculum illis foret mansuræ fidei. Vide quæ ad Florum I. 9. 1. d. observavimus. Sic apud eumdem auctorem

Digitized by Google

IV. 12. 24. Germani ' vigiuti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum. Hasdrubal omnes Rom. captivos occidit, ut cives desperata venia hosti alacrius resisterent.' Zonar. tom. II. ex Appiani Punico. Agrippinensibus has conditiones ferunt Germani: ' Romanos omnes, in finibus vestris, trucidetis, &c. Bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quidquam, aut segregare caussam suam possit.' Tacit. H. IV. 64. 5. Sic Aristides Græcis deserere Spartanos, et Atheniensibus parere volentibus, ' respondet, orationem ipsorum plenam esse necessitatis et æquitatis, ceterum ad fidei pignus opus esse facto, quod perpetratum sententiam mutare non esset permissurum multitudini.' Plutarch. in Aristide cap. 46. *Freinsh.*

Cervix ejus] Plutarchus de Fortuna Alex. II. 21. in Hyrcania factum dicit, civitatem nullam exprimit: ' In Hyrcania,' inquit, ' oblæso lapide collo, quo ictu tenebris ob oculos offusis, ad dies multos cæcitatem timuit.' *Raderus.*

Oculis caligine confusis] Ita membranæ Colonienses. Sigebergenses, *Caligine oculis confusa.* Editi libri, *oculis caligine offusa.* Modius.

Erepto in eo] *In* hoc de fide membranarum addidi. *Modius.* Veteres codices nostri et Modii, *in eo*, ut apud Nasonem, ' merito Deus arsit in illa.' *Heinsius.*

§ 25 *Muro circumdedit*] Adde Arrian. IV. 1. 3. et 17. Justin. XII. 5. 12. Oros. III. 18. Plinius VI. 16. 7. ' Ultra Sogdiani, oppidum Panda, (an Maracanda?) et in ultimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro magno conditum. Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutæ, item Cyro et Semiramide atque Alexandro.' De istis aris copiosissime simul, et suo more eruditissime disserentem vide Salmasium ad Solini cap. 38. ubi etiam notat hanc urbem videri eamdem, quam Stephanus decimotertio loco recitat, quem corrigit, ut legatur: Τριακαιδεκάτη ἐν Σακασήνῃ, ἣν παραῤῥεῖ ποταμὸς Ἰαξάρτης· ut ita eadem esset cum illa, quam ex Ptolemæi lib. III. ad Tanaidis ripam conditam scripsit idem Stephanus, quem hic, et alibi ex una urbe duas facere observat. Scilicet erroris fons fuit geminata locorum appellatio, ut idem circa Tanain acciderit, quod supra de Caucaso notavimus: ut videlicet quod alterutri proprium est, invicem communicent. Bonfin. lib. I. Decad. 1. Urbem Alexandriam eam esse reputat, quam ' Exopolim ' Ptolemæus appellat. *Freinsh.*

Alexandriam] Stephano decima octava est, cum falso Tanais cognomine, id est, super ripam Jaxartis. Eadem est Sogdianæ Alexandria. Adi Holstenium. *Cellar.*

§ 26 *Decimo septimo die tecta quoque urbis*] Justinus scribit muri ædificationem septemdecim tantum dies occupasse: ille sic: ' Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanaim condidit, intra diem 17. muro 6000. passuum consummato, translatis eo trium civitatum populis, quas Tyrus condiderat.' Per trium civitatum populos forte intelligit Tripoleos incolas. Nam Tripolis a Tyro condita, at non Tyro sola, sed et Sidone et Arado, tribus illis urbibus, unde et Tripolis dicta. Strabo lib. XVI. Plin. V. 20. Urbis hujus mentio quoque lib. IV. Curtii. *Loccen.*

Militum] Nam milites, cum adhuc vigeret disciplina, his etiam operibus admovebant manus. Vide multa de ea re succincte tradentem Gruterum ad ista Livii I. 31. 6. ' Salubriora militiæ quam domi corpora:' et Lipsii Mil. Rom. V. 13. Statim pro *qua munimenta;* malim, *quam mun.* Freinsh.

Digitized by Google

§ 27 *Captivi*] Vide supra ad VII. 3. 23. *Idem.*

Posteri quoque nondum] Vulgo, *quorum posteri nunc quoque non apud eos tam longa ætate, &c.* Sicuiæ nugæ. *Modius.*

CAP. VII. § 1 *Rex Scytharum*] In hoc latge falli puto virum alias eruditum et diligentissimum, qui in regno Scythico putat hunc Ateæ, quo cum nimirum Philippus bellavit, fuisse filium: quasi vero tota Scytharum gens, quæ tam late patebat, uni regi parumset. Curtius caute addidit, 'cujus tum ultra Tanain imperium erat,' hoc est, ille ex regibus Scytharum, qui ibi locorum imperabat. Nam Ateas ille immensum quantum ab hoc terrarum tractu remotum imperium tenuit. *Freinsh.* Reineccium putat, qui de his tomo I. de Regno Scythico Asiatico, a pr. item tom. 2. in Regno Scythico Europæo. *Snak.*

Carthasim] Alius codex, *Carchasim*, cujus apud alios rerum scriptores, quod meminerim, nulla mentio: uti nec regis ipsius nomen exstat: ducis tamen Scytharum occisi nomen Satraces fuit apud Arrianum. *Rader.*

§ 2 *Tanais*] Imo Jaxartes, ut docet Strabo lib. XI. Asiam autem et Europam medius interfluit Tanais, verus nimirum ille et antiquitus ita vocatus, non hic Alexandrinus. Gemini erroris exempla, ex confusione harum appellationum orti, sæpe jam notavimus: ex quibus et hæc, et si quæ porro occurrent, facile dijudicari poterunt. *Freinsh.* Geminus error. Si falsum Tanaim, hoc est, Jaxartem sive Orxantem intelligis. Neque Europæos ille Scythas, sed Asiaticos, neque ab his Bactrianos distinguit, sed Sogdianos, qui inter Jaxartem et Bactrianam lato intervallo positi sunt, interfluente etiam Oxo amne. Si verum Tanaim; Europæos quidem alluit, non autem Bactrianos aut vicinas gentes separat. Sed solemne Nostro est Euxinum Pontum cum Hyrcano mari, et utrique adjacentes regiones confundere. Nec vero primus fuit Curtius, qui ita erravit, sed multi ante ipsum, qui Alexandri res gestas scripserunt, censuerunt idem. De his Strabo lib. XI. p. 351. *Εἰς δὲ συνάγουσι τήν τε Μαιῶτιν λίμνην, τὴν δεχομένην τὸν Τάναϊν, καὶ τὴν Καστίαν θάλατταν, λίμνην καὶ ταύτην καλοῦντες, καὶ συντετρῆσθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλας ἀμφοτέρας, ἑκατέραν τε εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. In unum conduxerunt Mæotidem paludem, quæ Tanaim haurit, et Caspium mare: hoc quoque paludem nuncupantes, dicentesque meatu quodam effosso inter se conjungi, et unam esse alterius partem.* Cellar.

Idem Asiam et Europam finis] Ita scribo, quicquid membranæ contra nitantur: in quibus est, *Jam Asiæ et Europæ fines interfluit.* Modius.

§ 3 *Non finitima*] Leg. *Sarmatarumque non, ut quidam credidere, finitima.* Talium transpositionum exempla multa habes in Indice, voce 'transpositio.' *Freinsh.*

§ 4 *Recta deinde*] Omnia hic vitiosa sunt, et unde petamus remedium? a libris nullum est, a conjectura anceps et invalidum. Sed tentemus, quod unum possumus: *Recta deinde regione in aliam ultra Istrum jacentem coit. Ultima Asiæ, qua Bactra sunt, stringit, qua septentrioni proxima sunt. Profundæ inde silvæ, &c.* Hoc dicit, *recta regione* (qua phrasi et alias ut infra VII. 10. 1. utitur) hoc est, perpetuo, et in longum porrecto tractu, coit in aliam gentem, seu cum alia regione, sive in unum continuatur cum illa Scythia, quæ ultra Istrum est: cujus in superiori nota obiter injecta est mentio. Prætexitur autem ei parti Asiæ, *qua Bactra sunt* (sic enim, non *quæ Bactra sunt*, legendum recte vidit Acidalius) quæ, videlicet Bactra, ex omnibus Asiæ partibus proxime accedunt ad Sep-

Digitized by Google

tentrionem, *inde*, id est, penitius, et remotius a Bactris silvæ sunt et paludes: contra quæ Tanaim, sive Jaxartem, et Bactra spectant, coluntur, serunturque. Alium sensum effecerunt editores variorum codicum, in quibus est, *habitant quæ Septentrioni proxima sunt. Profundæ inde silvæ, &c.* quem non puto esse similem vero, quippe constat ex contrario, ea maxime loca quæ ad Septentrionem vergunt, aspera et cultus expertia deprehendi. Tubingensis editio, quæ sequitur Merulam, *Alaunos* hic interserit, *Recta deinde regione alaunum, &c.* quod non omnino spernendum puto. Nam *Alauni* Scytharum pars fuerunt, ut notum est. *Freinsh.* Vulgo, *regionem aliam colit.* Tellierius Merulam secutus, *recta deinde regione Alaunum ultra Istrum jacentem et ultima Asiæ, &c.* Utraque lectio ex conjectura est, libris deficientibus, altera vulgatæ propior. Sensus Curtii (quam verus alibi diximus) videtur hic esse: Scythiæ regionem trans Istrianam cum ultimis Asiæ, Bactriana et Sogdiana, recto tractu cohærere. Angustum enim nimis intervallum inter Mæotim, seu Ponti oram, et regiones, quæ post Hyrcanum mare sunt, credidit, deceptus ab antiquis Alexandri rerum scriptoribus. *Cellar.*

Ultima Asiæ quæ] Malim *qua*. Reliqua facile sic fero, ut a Modio constituta, nam melius quod adferam non habeo. *Acidal.*

Sunt, stringit] Nescio, an recte hæc emendarim, spero certe, editi libri habebant: *ultima Asiæ quæ Bactra sunt stringit, habitant quæ Septentrioni proxima sunt. Profundæ inde silvæ vastæque solitudines excipiunt. Rursus quæ ad Tanaim, &c.* ineptissime: et in quibus liquet mihi, illud *habitant*, litteratoris nescio cujus esse glossam. Considerent tamen, qui volent, rem diligentius. *Modius. Stringit*] Mss. *stringit habitant*, vel *habitat*. Forte, *habitantur*. Heinsius.

Quæ ad Tanain] Alii, *quæ et*. utrumque omittendum putem, scribendumque, *quæ Tanain*. Freinsh.

§ 5 *Primus*] Mirum, quomodo primus, cum Oratores Scytharum infra doceant, Syriæ regem, Medorum atque Persarum ab Scythis bello victos. Et Justin. 'Darium regem Persarum turpi ab Scythis submoverunt fuga, Cyrum cum omni exercitu trucidarunt. Alexandri M. ducem Sopyriona pari ratione cum copiis universis deleverunt.' Et apud Diodorum lib. II. Sarmatæ totam Scythiam ante Cyrum vastavere. Rursus Justinus signate exprimit lib. II. Vexorim regem Ægypti, a quo primum Scythis bellum indictum testatur. Quin et pater Alexandri Philippus Scythas invaserat. Non ergo primus Alexander. Restat, ut pro Curtio dicas, primum ab Alexandro bellum Scythis illatum, non indictum, sed improvisum, hoc enim verbum hic Curtius ponit. Sed quomodo improvisum, cum inter Scythas et Alexandrum ante initium belli legati ultro citroque ab altero ad alteros commearent, et Scythæ priores Alexandrum lacesserent, adeoque regi, ut est apud Arrianum, insultarent? Diu super hac re cogitanti, nec variam scripturam ullam ex codicibus inter se conjurantibus reperienti, tandem conjectura succurrit, non improbabilis, *Primus*, inquit, *Alexand. non provisum* ante *bellum* Scythis fecit, quod id antea non providerat, nec statuerat, sicut contra Darium, Bessum, &c. Sed cum ad Tanain, seu Jaxartem, urbem condere statuisset, et Scythæ obniterentur, coactus est ex improviso movere in Scythas: alii vero reges seu Ægypti, seu Syriæ, seu Medorum et Persarum ex instituto, nec lacessiti quidem, Scythis ingentes exercitus infudere. *Raderus.* Haud absurde. Mihi olim in mentem fuit, legendum esse *primum* adverbia-

Digitized by Google

liter, unde hic resultet sensus: Alexander cum nova gente, nec injuria nec beneficio cognita, tum primum bellum, idque ex improviso oblatum, gesturus, amicos convocat. Nec magnopere terreor, quod ubique libri *primus* tenent. Profectum enim id antiquitus a quodam sciolo, qui noverat substantivum et adjectivum eodem casu jungi, nec ferebat ita dici *Primum Alexander*, sed *Primus Al.* Eadem caussa corrumpendo fuit Livio XXXVI. 25. 4. de Damocrito: 'Majus victoribus gaudium traditum fuit.' Scripsit enim Liv. 'traditus fuit:' ut jam ad Flor. IV. 2. 81. l. defendimus. Eadem forma Noster supra VII. 5. 36. 'Spitamenes eum tenebat, &c. gratum spectaculum.' *Freinsh.* Vulgo *primus*, quod cum historia pugnat, quæ Cyrum aliosque ante Alexandrum adversus hos Scythas pugnasse edocet. Freinshemius non ad bellum refert, quamvis nec sic ineptum sensum gignat; sed separatim et adverbialiter interpretatur. *Cellar.* Hoc *primus* merito suspectum habent, quoniam non convenit historiæ: saltem Alexandrum fuisse primum, qui id bellum cum Scythis ante haud provisum gerere debuerit, unde probabitur? neque potest illud *primus* aliter exponi, nisi in hunc sensum. Mallet igitur Freinshemius pro eo *primum* legere. Mihi male adglutinatum huic periodo videtur, ac simul scribendum *primis*, tali modo: *Rursus quæ ad Tanain et Bactra spectant humano cultu haud disparia sunt primis. Cum hac gente, &c.* Ubi per *prima* puto intelligenda Orientalia Scythiæ, de quibus primo loco dixit. His ait ista esse haud disparia humano cultu, hoc est, quo ad cultum humanum, seu eodem modo coli. *Scheffer. Primus*] Lege *primis*, sc. ultra Istrum jacentibus. *Heinsius.*

Non provisum] Quod Alexander non statuerat Scythis ut Dario et Besso bellum inferre: sed quum urbem conderet ad Jaxartem, a Scythis renitentibus coactus fuit ad bellum suscipiendum. *Cellar.*

§ 6 *Insistere in terra*] Forte, *in terram*, vel *terræ*. Heinsius.

Docere] Hoc est, præcipere quid in quoque casu faciundum esset: quod non poterat commode fieri, si ipse non interesset agmini: quandoque enim subitum consilium res poscebat: ut in illo Panico tumultu supra IV. 12. 16. Non igitur audiam, si quis hic rescribat *ducere*. Freinsh. Forte *ducere*, licet improbante Freinshemio. Sic X. 15. 10. 'Vigor ejus et vultus educentis in prælium milites.' *Heinsius.*

§ 7 *Deos incusans*] Vide VI. 2. 19. *Cellar.*

§ 8 *Humanarum mentium*] Ita scripsi de Palmerii mei consilio et conjectura, cum antea legeretur, *humanarum gentium*, pro *ludibrio* tamen poteris etiam legere, quemadmodum vulgo erat, *ludibria*, quin non male etiam videtur ex scripturæ vestigiis posse reponi, *humani ingenii ludibrio*. Malo tamen nostram lectionem, quia minus a vulgata recedit. *Modius.* Bene Modius *gentium* mutavit, quod in vulgatis male. Idem *ludibria*, et legi alias, et legi posse ait. Alo et ego, sed hoc amplius, debere. Quin amplius etiam submitesco, ne pro *humanarum*, scribendum forte *vanarum*, id ex loco superiore: 'Cobares natione Medus, sed magicæ artis, si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium,' ubi diversa tamen aliquantum ratio, quam video: nec pertendam in altero valde suspicari. In his autem verbis, quod monere consulto distulimus in hunc locum, vide ne supersit particula negans, et conjunctim sit legendum, *si modo ars est vanissimi cujusque ludibrium*. Sensum uterque modus habet non ineptum: hic puto magis efficacem. *Acidalius.* Vere a Modio et Acidalio pro *gentium*, rescriptum est *mentium*, emendatius

Digitized by Google

etiam legeris *ludibria*, quam *ludibrio*. Servari tamen potest *humanarum*, pro *vanarum*, quamvis utriusque vocis apta sententia. *Raderus. Rursus ad superstit.*] Idem vitium in eo deinceps penitus invaluit, teste Plutarcho cap. 127. ' Postquam ejus animus semel religione obstrictus fuit, etiam levissima quæque et a communi consuetudine utcumque aliena, in prodigium traxit: itaque sacrificantium, expiantium, vaticinantium, plena esse regia.' Sic apud Livium I. 31. 7. Hostilius ' qui nihil ante ratus esset minus regium, quam sacris dedere animum, (longinquo morbo implicitus,) repente omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxius degit, religionibusque etiam populum implet.' Idem in sese urbane excusavit Cleomenes. ' Nam diuturno vexatus morbo, cum animum lustratoribus nonnullis atque ariolis, de quibus ante diversum senserat, adverteret, miranti factum, Quid, ait, miraris? non sum idem qui ante, mutatus itaque et sententiam mutavi.' Plutarch. Lacon. Apophth. cap. 75. Ceterum etiam lectionem Curtiani loci turbant. Sunt enim libri, in quibus pro *mentium*, reperias *gentium*: forsan utramque spurium est, legendumque, *ad superstitionum vanarum ludibria revolutus*. Freinsh. Ovid. ' Consulit ut sacras hominum oblectamina sortes.' *Heinsius.*

Sine rege] Videntur et Romani sine Imperatore. Inde enim frequens phrasis ' exta nuntiare,' ut apud Suetonium. Cæs. 77. 4. ' Haruspice tristia et sine corde exta sacro quodam nuntiante.' Ita nec auspiciis intererant, claro pullarii exemplo apud Livium x. 40. 4. qui ' auspicium mentiri ausus tripudium solistimum consuli nuntiavit.' Reperias tamen ubi ipsi interfuerint, imo et præfuerint. Nam et Pertinax, ut scribit Capitolin. cap. 11. ' Cum omen lævum vellet procurare, caput extorum non deprehendit.' Sic et apud Veientes ipsum regem exta prosecuisse colligo ex Livio v. 21. 6. Sic apud Tacitum H. IV. 53. 4. Helvidius; H. I. 27. 1. Galba; apud Livium XXIX. 27. 4. Scipio; apud Sueton. Aug. I. 3. Octavius interfuerunt extispicio. *Freinshemius.*

Spectare] Forte, *inspectare*; sed aliter tamen IX. 4. 28. ' Si quis arti tam intentum, et exta spectantem sic interpellet.' *Heinsius.*

§ 9 *Propius ipsum considere*] Membranæ, *prius ipsum considere*; unde ego nihil, quod magis placeret ac quod excusum est, elicere potui: hoc tantum habeo monere, vocem *considere* videri apud Manilium reponendam II. 251. quoque loco est, ' Libra sub emerito consedens orbe laborum,' restituendum, *Libra sub emerito considens orbe laborum*; quomodo etiam ibi legebatur in optimo Gemblacensi manu exarato codice. *Modius.*

§ 10 *Meliore hostium*] Non dissimulo τὸ *meliore* mihi hic supposititium videri. *Freinsh.*

Necessitas ante rationem est] Sic VIII. 4. 11. ' Efficacior in adversis necessitas, quam ratio.' *Ante rationem* vero est Hellenismus πρὸ τοῦ λόγου. Sic Sallust. in Fragment. Histor. de Gallis, ' Gloria belli ante Romanes fuisse.' Et Tacit. I. XIII. Ann. nullos mortalium armis, aut fide ' ante Germanos esse exclamant.' Ita Nilus Episcopus Parænes. 153. πρὸ τῶν ἀνθρώπων αἰσχύνου τοὺς ἀγγέλους: *Revere magis angelos, quam homines.* Lucoen. ' Necessitas ante rationem; imo pars rationis est, necessitati parere.' Plin. Epist. VI. 29. *Cellar.*

Tempora legere] Hæc vera est hujus loci scriptura: in editis libris erat, *quod raro permittitur tempora eligere*; in scriptis, *tempore legere*: et hi et illi contaminatissime. Unde tamen hoc faciendum divinavi, quod expressum est. *Modius.*

§ 11 *Alieno Marte*] Bello Scythico,

Digitized by Google

quod sine dubio nobis conflarunt, experiri volunt, quantum valeamus. *Cellar.*

Haud dubie si] Iterum vulgati, *haud dubia fortuna si omiserimus, &c.* sed haud dubie superat illud *fortuna*, mutandumque *dubia* in *dubie*, maxime, cum posterius hoc diserte ita in membranis perscriptum inveniatur. *Modius.* Ita hæc Modius: vulgo, *aut dubia fortuna si omiserimus Scythas.* Ego aliud inde conjicio, quod spero me omnibus probaturum. Nihil deleo: distinctione solum mutata superioribus annecto initium horum: *Defecere Bactriani in quorum cervicibus stamus, et quantum in nobis animi sit, alieno Marte experiuntur, haud dubia fortuna. Si omiserimus Scythas ultro, &c.* Et potestne quidquam elegantius? Alieno periculo experiri tutissimum: neque fortunam belli extimescendam habent, qui tentant discrimine aliorum. *Acidalius.* Non male quidem Acidalius, imo etiam bene. Sed et Modianus codex non rejiciendus. *Raderus. Haud dubie si*] Acidalius lectionem aliorum codicum amplexus, ita distinguit: *alieno Marte experiuntur, haud dubia fortuna. Si omiserimus, &c.* ut sit sensus: Bactrianos animum Macedonum alieno periculo experiri, neque fortunam belli extimescendam habere, qui eam tentent discrimine aliorum. Quæ conjectura et Radero proba videtur, et mihi non improba. *Freinsh.* Libri quidam habent, *alieno Marte experiuntur haud dubia fortuna*, vel *haud dubie fortunam.* Unde colligit Acidalius, Radero etiam Freinshemioque probantibus, scribendum: *alieno Marte experiuntur, haud dubia fortuna. Si omiserimus.* ut sit sententia: *Bactrianos animum Macedonum alieno periculo experiri, neque fortunam belli extimescendam habere, qui eam tentent discrimine aliorum.* Sententiam intelligo. At eam esse verborum Curtii, nec dum video; quid enim? *non dubia fortuna; est fortuna non extimescenda?* Potest etiam adversa esse non dubia. *Non dubia* enim non opponitur malæ, ac propterea non extimescendæ, verum certæ, sive bona ea sit, sive mala. Itaque id *fortuna* rectius abest ab aliis codicibus. Nimirum natum est ex glossa, qua quis id *alieno Marte* explicaverat, ostenderatque idem esse, ac *aliena fortuna:* hinc factum, ut deinde alii ad id *fortuna* alieno loco insertum vocem *dubie* mutarint in *dubia*, mox respicerent ad verbum *experiuntur*, et formarint in *fortunam.* Neque mihi dubium, quin lectio sit verissima, quæ a Freinshemio publicata. *Scheffer. Haud dubie si*] Lege, *at dubia fortuna si.* Heinsius.

§ 12 *Parere etiam Europam*] *Patere* legitur in editionibus, sed et hoc minus dicit, et illud a membranis est. Non pugnabo tamen cum eo, qui vulgatam scripturam defendere volet. *Modius.*

§ 13 *Unus amnis interfluit*] Vetus error Curtii, Jaxartem cum Tanai confundentis. Satis longo enim intervallo Alexander aberat. Vide notata cap. 4. et 6. *Cellar.*

§ 14 *Dum alium subigimus*] Si temeritas hæc dici poterit, certe non etiam infelix dici poterit, quod *alium* pro *Asia* vulgato hic reposuerim: cum ad sensum ita apte hoc fecerim, ut nihil pote quidquam aptius: et monui etiam lib. III. legendum videri *Ignobiles aliæ gentes*, ubi in editis libris erat *Ignobiles Asiæ gentes.* Modius.

In alio orbe] In Europa, parte alia orbis. *Cellar.*

Tropæa statuere] An Macedones tropæa statuere sint soliti, supra ad III. 12. 27. disquisivimus: hoc igitur loco ex Radero subjiciemus, quæ altero illo non extant, prætermissis aliis. Diodorus itaque Siculus XVI. 87. et 89. affirmat tropæum de victis Atheniensibus erectum et XVI. 4. de fusis Illyriis: nisi velis Siculum quo-

Digitized by Google

que ἀκύρως locutum, ut et Herodianum, ubi urbem ad Issum exstructam tropæum Alexandri improprie nominat. Suffragatur Siculo et Herodiano etiam Philostrat. de Vita Apollon. lib. II. extremo, qui disertissime arcum triumphalem apud Indos ab Alexandro erectum, ubi Porum vicit, testatur. *Freinsh.*

TROPÆUM AB ALEXANDRO STATUTUM:
Ex Goltzii Græciæ Tab. 31.

Victoria committere] Eumdem sensum expressit Florus II. 2. 2. in pari animo pop. Romani: 'Quum videret opulentissimam in proximo prædam, &c. adeo cupiditate ejus exarsit, ut quatenus nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda, et ad continentem suum revocanda videretur.' *Freinsh.*

§ 16 *Belli artem victos*] Qua sæpe postea contra victores utuntur; exemplo sunt Judæi a Pompeio expugnati apud Tacit. Histor. v. 12. 2. *Cellar.*

§ 17 *Vitando alemus*] Tacit. III. 41. 5. 'Tiberius aluit dubitatione bellum.' Sic et Livii XXXI. 15. 7. judicio, Attalus Rhodiique 'gaudentes utcumque composita cum Philippo pace, &c. bellum aluere.' *Freinsh.*

§ 19 *In quo opere melius exstinguar*] Egregiæ apud Nostrum in hanc rem sententiæ III. 8. 22. VII. 4. 34. et apud Plutarch. Apophthegm. Epaminondas dixit, τὸν ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλλιστον. *Cellar.*

§ 20 *Quassa voce*] Hinc locum Senecæ correxit Criticorum Coryphæus, J. Fr. Gronovius de Brevitate Vitæ cap. 10. 'Per quassos foratosque animos transmittitur;' ubi Gruterus amico tribuit *cassos*, quod serio placuit Lipsio: sed aliis exemplis refellitur. *Snak.*

Subdeficiens] Elegantem vim hujus verbi cum Illustrissimo N. Heinsio vindicat, et aliis exemplis adstruit, magnum Musarum incrementum J. Grævius ad Florum I. 3. 7. *Idem.*

§ 23 *Pudore*] Videbat enim multorum esse sententiam, quæ et Flaminii apud Silium v. 124. 'deforme sub armis Vana superstitio.' *Freinsh.*

§ 24 *Sed privatus sum*] Quid illud *sum* hic faciat aliud, quam ut sensum enervet, non video: utinam codices id eliminassent; certe nos statim assensi fuissemus. *Snak.*

Interprete uti] Sic restituo ex Mss. hactenus longe deterius: *Quem certum meherc. habeo extorum interpretem metu suo.* Quod de metu ait, in eo et Claudianum habet assertorem, de Bello Getico vs. 262. 'Sed, malus interpres rerum, metus omne trahebat Augurium pejore via.' Hinc et Onosandri Strategicus cap. 24. monet, ὅτι ὁ φόβος ψευδὴς μάντις ἐστίν· hoc est, *metum falsum esse vatem;* quod et Noster jam attigit supra IV. 10. 10. 'Ubi vera explorari non possunt, falsa per metum augurantur;' ubi conjeci leg. *figurantur;* quod nec dum displicet: licet enim 'augurare' sæpe reperias, ut apud Sidonium Epist. VIII. 6. f. in simili argumento: 'Promptius de actionibus longinquis ambigendisque sinistra quæque metus augurat:' tamen, ut citato loco recte monet Raderus, *augurari* παθητικῶς positum vix ac ne vix quidem reperias. *Freinsh.* *Interprete uti*] Non ex rei veritate interpretari, sed prout metus periculi, omnia in pejorem

Digitized by Google

partem convertens, ipsi suaserat. *Cellar. Interprete uti*] Probo; sensus est: Ex metu suo, hoc est, ad, seu secundum, metum suum, uti interprete extorum, ejusque interpretationem eo accommodare, ut inde habeat præsidium in metu suo. *Scheffer. Interprete uti*] Optime sic restituit Freinshemius. Noster VIII. 8. 4. 'Nam in ceteros, qui mihi permittunt uti ingenio meo, quam mitis sim non ignoratis.' *Heinsius.*

§ 25 *Tibi autem quam potest*] Hoc quoque elegans, et commune Curtio cum optimis quibusque linguæ Latinæ auctoribus locutionis genus; in vulgatis libris plane ab imperitis corruptum, et hoc modo interpolatum erat, *tibi autem sæpius quam potest, &c.* inepte. Nec multo rectius tamen legebatur, in membranis, turbatis etiam iis, quæ præcedunt: *Quem certum mehercule habeo extorum interpretem uti metu suo: tibi autem qui sæpius quam potest denuntiat ipsi mihi indices quid extis cognoveris, &c.* Modius. *Quam potest*] Priora exemplaria, *sæpius quam pot.* Sed merito *sæpius* proscripsit Modius ex glossemate insertum; hoc vero eleganter, *tibi quam potest, denuntio.* Raderus. Quantum potest a me denuntiari, et imperari; sive quam graviter potest. *Cellar.*

§ 26 *Voce suppressa*] Sic apud Tacit. Hist. I. 42. 1. de T. Vinio 'ambigitur, consumpseritne vocem ejus instans metus.' Adde quæ supra ad VI. 11. 37. notavimus. *Freinsh.*

Ne regis] Haud procul abludunt ista Taciti nostri III. 67. 3. 'Sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsivisset.' *Idem.*

Nec me ars mea] Mirum quantum elegantius hoc quoque, quam illud, quod passim in libris omnibus est, *nec meâ ars magis quam benevolentia me perturbat.* Modius. *Nec mea me ars, quam benevolentia perturbat*] Varia hujus loci scriptura est, plerumque, ut arbitror, ab imperitorum glossematis nata. Coloniensis apud Allobroges editio, cetera satis emendata, ita habet, *Nec me ars mea quam benevolentia magis perturbat.* Alii plerique codices antiquiores, Coloniensis inquam ad Ubios, Erasmianus, Argentinensis, Lugdunensis, Gryphianus, et Florellianus, *nec mea ars magis quam benevolentia perturbat.* Antverpiensis, *Nec me ars mea magis quam benevolentia perturbat.* Nos Modianam emendationem, quam Constantienses etiam chartæ præ se ferunt, sequimur et laudamus. Nec est, quod aliquid deesse existimes in nostra editione: ita amat loqui Curtius, qui multas sæpe voculas non necessarias a suo stilo ablegat. Nondum adspexeram notas Modii cum rescripsi, ut ipse ediderat: dein lecta annotatione animum adversus aliorum calamos obfirmavi. 'Mirum,' inquit Modius, 'quantum elegantius hoc quoque, quam illud, quod passim in libris omnibus est:' Jam de intellectu videamus: Non tam terret me ars mea et exta tristiora, quam benevolentia erga te mea, et studium salutis tuæ. Video, rex, imbecillum corpus tuum, afflictas vires, nondum percuratum vulnus, bellum grave, hostem novum et terribilem, flumen nullo ponte junctum, Scythas amnis ripas obsidentes: vereor ne afflicta valetudo tua tantis belli molibus et laboribus, quamvis non inanibus, sit impar ferendis. *Raderus. Perturbat*] Alii, *magis perturbat;* sed potest abesse, et apud Tacitum quidem solet; de Curtio ambigerem, nisi Modii correctionem, nam eam voculam primus rejecit, Constantiensi quoque Ms. aiti testaretur Raderus, Lipsiusque inter ejus locutionis exempla produceret ad Tacitum H. III. 8. 1. et post eum Vechnerus Hellenolex I. 5. in quibus plurima variorum auctorum testimonia. *Freinsh.* Adde G. J. Vossium de Constructione cap. 61.

Digitized by Google

et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 7. 4.

§ 27 *Infirmitatem valetudinis, &c.*] Lego : *infirmitatem valetudinis tuæ cum* (vel *si*) *video, et quantum in uno te sit situm, vereor, &c.* ut VIII. 8. 8. 'Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita sunt.' Terent. 'In te spes, Hegio, omnis nobis sita est.' Cicero de Finibus lib. II. 'Est autem situm in nobis, ut adversa quasi perpetua oblivione obruamus :' et sic sæpe. *Heinsius.*

§ 28 *Felicitati suæ*] Idem ille Alexandri dicta factaque æmulus Cæsar inculcavit trepido gubernatori, cum speculatorio navigio solus Brundusium trajiceret: 'quid times? Cæsarem vehis.' Flor. IV. 2. 37. Lucan. V. 580. *Freinsh.*

Ait alia sibi ad gloriam] Plane male fuit huic loco, et fortasse etiam nunc est; ita non invenio, quomodo satis apte ad palatum non tantum publici saporis, sed etiam eorum, qui ingenio supra sunt hominesque Deosque, condiri possit. Vulgo erat : *Rex jussum confidere felicitati suæ remisit. Sibi enim ad alia gloriam concedere Deos.* Ineptissime, et pessime : ut etiam membranarum indicio cognoscitur, quæ habent : *Rex jussum confidere felicitati suæ, ad alia sibi ad gloriam concedere Deos.* Unde priori illo *ad* in *ait* mutato, locum pro mea sapientia constitui. *Modius. Sibi enim ad alia*] Locus hic, Cimmeriis tenebris involutus, singulari face et luce indiget. Fecit hunc obscuriorem Modius omisso verbo *remisit*, quod in antiquis exemplaribus legitur, et aliis mutatis. Vetus scriptura habet, *Rex jus. c. f. suæ remisit. sibi enim, &c.* Potest hic sensus elici : Rex Aristandrum, remissum ad periclitandum, jussit habere bonum animum, neque ex inspectis extis tristia ominari, sibi extra ordinem favere Deos, et ostenta sacrificiorum negligere : studereque felicitati et gloriæ suæ, quod alias sæpe factum senserit. Sed obstrepit Modius, cui respondentem Acidalium audiamus : 'Modius,' inquit, 'pro sua sapientia locum sic ait constituisse: *Rex jusso conf. f. suæ alt, alia sibi ad glor. &c.* cui male tamen adhuc esse, quoniam pessime fuerit, nec satis dum conditum, vel ad publici saporis, vel eruditissimorum palatum. Est ita vero : sed ad gustum acriorem subtilioremque hominum delicatorum nos eum temperare non possumus, nisi e vulgari ac damnata lectione vocem pro insipida derelictam condimenti vicem iterum accersamus, tum de nostro superaddamus aliquid, &c. Vulgo est : *Rex jussum conf. f. suæ remisit. Sibi enim ad alia glor. concedere Deos.* Revocamus inde verbum *remisit*, quod necessarium : nam remittebat Aristandrum rex ad sacrificium iterandum, si perlitari posset. Reliqua leviter mutamus, et sic scribimus : *Rex jussum c. f. s. remisit : alias sibi ad glor. c. Deos.* Alta et Alexandro digna sententia, quæ hæc : etiam alias mala omina et discrimina imminentia Deos avertisse in gloriæ suæ gratiam. Alias quoque Deos ipsa fata, ne gloriæ obsisterent suæ, immutasse, sive potius flexisse. Sæpe jam Deos sibi cedere, ne gloriæ suæ cursus impediretur.' *Acidalius.* Acquiesco, si non meæ interpretationi retentæque veteri lectioni, saltem Acidalii judicio et explanationi. Sed ubi sunt, quibus omnia liqueunt in Curtio, quem negant vel notis, vel commentario indigere? qui (omnia) intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Multa attente, non perfunctorie legenti, obscura et incerta occurrent. *Raderus.* Forte commodus etiam oriatur sensus, si legas, *sibi et alia ad gloriam concedere Deos :* ergo ne desperet, lætiora quoque exta concessuros. *Freinsh. Si enim ad alia*] Obscura sententia, et dubium, an satis salva. Remisit ad iterandum sacrificium, et bono animo esse jussit, qui sciret, Deos sibi non posse ad gloriam non

Digitized by Google

propitios esse. *Cellar. Remisit sibi enim*] Hæc desunt Mss. Codd. reliqua sunt, *ad alia sibi ad gloriam.* Forte, *Rex jusso confidere felicitati suæ adjicit*, vel *addit*, ut VIII. 1. 14. 'Quo rex repulso et abire jusso adjicit.' Sequentia forte sic leg. *id aleæ sibi ad gloriam concedere Deos.* Columella II. 21. p. 122. 'vindemiatorum aleam' dixit; et Martial. 'alea parva nuces.' *Heinsius.*

29 *Caussas apparuisse*] Vitiose editiones, *tum sollicitudinis caussas aperuisse.* Modius. *Adparuisse*] Videlicet in extis: alii ediderunt *aperuisse*, quod quidem referre possis ad Aristandrum, sed non sine damno melioris sententiæ. *Freinsh.*

Litatum esse] Pontificium verbum, quo felices in sacrificiis significationes notantur. Imminente periculo aiunt, *litari non potuisse;* quod de Cæsare Sueton. cap. 81. de Tullo Hostilio Aurel. Vict. de Vir. Illust. cap. 4. *Cellar.*

§ 31 *Menedemum*] Ita quidem et supra VII. 6. 24. dixerat, sed longe aliter Arrianus IV. 1. 16. Ubi quidem et Menedemi facit mentionem, sed non ut summi ea in expeditione ducis: 'Alexander adversus Spitamenem Andromachum mittit, et Menedemum, ac Caranum, &c. His adjungit Pharnuchem:' quæ non tam adduco, ut in quo hi auctores discrepent, indicarem, (id enim, cum per se cuilibet promptum sit cognoscere, supra etiam professus sum non facturum,) quam ut sensum suum restituam Arriano: quem obscurant illa, 'His adjungit Pharnuchem;' putes enim tantum adjunctum ut interpretem, nec injuria, nisi evidentissime ostenderet ipse Arrian. infra IV. 1. 30. Pharnuchi summam expeditionis fuisse creditam. Ergo illa verba Ἐπιτάσσει δὲ αὐτοῖς Φαρνούχην, valent *imponit*, sive *præponit eis Pharnuchem.* Freinsh.

Quem venturum] Quid ni venturum sciret? inepte videtur hoc addi. Sed extra culpam Curtius, qui plane scripsit: *Simul fretus excipi posse, qua venturum sciebat, consedit occultus.* In insidiis consedit illic, qua cognoverat adventurum. 'Excipere' verbum, itemque 'considere,' 'subsidere,' 'insidere,' et quæ ab iis manant, proprie insidiis serviunt omnia; quorum exempla nec a Curtio, nec aliunde libet hic acervare. *Acidalius.* Vere Acidalius, *qua*, (non *quem*) *venturum sciebat;* præcesserat enim, 'comperto hostis adventu.' *Raderus. Qua venturum*] Sic expressi cum Radero; cum non Bongarsio tantum et Acidalio, sed aliis etiam ita legendum absque dubitatione videretur. *Freinsh.*

§ 32 *Dahas*] Dahæ gens Scythicæ originis. Vide IV. 12. 6. et VII. 4. 6, ex hac gente delectos milites habuit Spitamenes. *Cellar.*

Binos armatos] Hic locus acceptissimus esse posset his, qui pulcherrime de majoribus nostris mereri autumant, si Germaniæ possint accensere, quidquid ubique barbarorum fuit. Nam iste fere mos militiæ etiam inter nos olim obtinuit, ut ad Florum IV. 2. 48. e. ostendi, eo ipso argumento, contra Magni Viri sententiam, qui Cæsarianæ de Pompeio victoriæ gloriam Germanis nostris conatus asserere: in quo et faventem habeo Marcell. XVI. 26. Equitibus 'sparsim pedites miscuere discursatores et leves, profecto ratione tuta (an *tota*) poscente. Norant enim, licet prudentem ex equo bellatorem cum clibanario nostro congressum, frena retinentem et scutum, hasta una manu vibrata, tegminibus ferreis abscondito bellatori nocere non posse: peditem vero inter ipsos discriminum vertices, cum nihil caveri solet, præter id quod occurrit, humi occulte reptantem, latere forato jumenti, incautum rectorem præcipitem agere, levi negotio trucidandum.' Nec omitto insignem Cæsaris locum de B. Gall. I. 48. 'Equitum (Arioviste) millia erant VI. totidem nume-

Digitized by Google

ro peditem velocissimi, ac fortissimi; quos ex omni copia singuli singulos, suæ salutis causa, delegerant: cum his in prœliis versabantur: ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum adæquarent.' Cujus generis fuisse illos, qui ipsi deinceps Cæsari in Hispania, de Bel. Civ. I. 83. in Thessalia, de B. C. III. 52. et in Gallia fortem fidelemque operam navaverunt, haud difficilis est conjectura ex eo, quod fere jungit equitatui, et eorum velocitatem mire commendat; ut de Bel. Gal. VIII. 36. 'Equitatum omnem, Germanosque pedites summæ velocitatis omnes, ad castra hostium præmittit.' Quorum imitatione credo ex suis etiam 'adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem armis (an *armatos*) inter equites prœliari jussit' de B. Civ. III. 84. quos etiam ipsos in quarta acie, quæ victoriam Cæsari peperit, si quis tendat, haud magnopere adversor, dum ne excludantur Germani, reliquis pares, hoc etiam insignite superiores, quod a Floro diserte nominantur. Olim tamen apud Romanos idem fere usurpatum Livius XXVI. 4. 4. tradit: 'Ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces: eis parmæ breviores, quam equestres, et septena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt et vehi post sese, et desilire perniciter, ubi signum datum esset, &c. ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt: pedestris inde acies ex equitatu, repente in hostium equites incurrit,' &c. Hispanis etiam tribuit Strabo lib. III. Nec etiam Numidarum militia longe diversa. Sallust. Jug. 59. 3. 'Ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent: quibus illi freti, non uti equestri prœlio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis, hostes pæne victos dare.' *Freinsh.*

Invicem desiliunt] Alternatim equitantur; et ex equo descendunt. *Cellar.*

§ 34 *A tergo hosti ostendit*] Iterum editiones, *a tergo hosti se ostendit*; male. *Modius.* *Ostendit*] Aliis, *se ostendit.* Sed illud *se* eliminarunt recentiores, quod viderent obstare sensui: sed non viderunt eum jam corruptum esse: lege, *His Spit. salt. circ. jussis, pariter et a lat. et fr. et a t. hosti se ostendit.* Freinsh.

Tamen resistit] Adhuc editiones, *restitit.* Modius.

§ 36 *Hipsidem quemdam*] Membranæ, *suspiciens quemdam ex amicis*, quod retinuissem, nisi statim sequeretur: 'Hipsides poterat quidem effugere, sed amisso amico mori statuit.' *Modius.*

Hæc agentem] Sive *aientem.* Acidalius.

§ 39 *Morte denuntiata*] Elegans est caput apud Frontin. II. 7. de dissimulandis adversis. *Raderus.* Merito autem hoc Alexandri consilium laudat Curtius, cum detecta clades metum injectura fuerit militibus: nulli autem rei usui futura. E contrario idem Vitellii consilium (tantum valet temporis, loci, aliarumque rerum diversitas) haud minus merito culpat Tacit. H. III. 54. 1. Ergo probe videndum, ea res plusne damni nobis allatura sit, an commodi, ut pro tempore consilia nostra moderemur. Vide Forstner. in Tacit. I. 24. 1. de Tiberio 'tristissima quæque maxime occultante.' *Freinsh.*

CAP. VIII. § 2 *Pellibus tabernaculi*]

Digitized by Google

Vide Indicem Flori: item Dempster. ad Rosin. Antiq. v. 31. *Freinsh.*

§ 3 *Jamque lux appetebat*] Vulgati codices, ut sint, quod sunt, *jamque lux apparebat.* Modius.

Thoracem indutus] Quem alias tantum in discrimine, nec fere nisi rogatu amicorum, sumere solebat, supra IV. 13. 25. at nunc induit ad spem militis intendendam, si videret regem jam laboribus bellicis parem esse. *Freinsh.*

§ 4 *Præsentia ejus exculeret*] Membranæ, *præsentia ejus exculerent*; bene etiam. *Modius.*

§ 5 *Læti ergo*] Pari exultatione Alcibiadem post exilium a plerisque popularium fuisse susceptum tradunt Xenophon Ἑλλην. lib. I. et Justin. v. 4. 10. Item hunc Alexandrum domito Bucephalo redeuntem, Supplem. Curt. I. 4. 20. Adde Vellei. II. 104. 5. Cicero pro Sextio cap. 55. Seneca Epist. 99. 25. Οὕτω κοινόν τι ἥρα χαρᾷ καὶ λύπῃ δάκρυά ἐστιν, inquit Xenophon Ἑλλην. lib. VII. *Freinsh.*

§ 7 *Rates junctæ*] Forte, *crates junctæ.* Heinsius.

§ 8 *Scytharum*] Hos Germanos fuisse scribit Aventinus lib. I. 'Adfuerunt et Germanorum Orientalium (quos Sarmatas et Scythas scriptores rerum, nos Venedos, ipsi se Sclavos vocant) oratores.' *Raderus.* Quod autem addit *equis per castra vectos*, non factum est temere. Romanis enim moribus hoc non permittebatur: vide exemplum Tigranis apud Plutarch. in Pompeio. *Freinsh.*

Per castra] Forte, *præter castra*: Heinsius.

§ 9 *Credo quis*] Lugdunenses, reliquæque editiones: *credo quia magnitudine corporis animum æstimantibus, modicus animus haudquaquam famæ par videbatur.* Sed hoc an ferri possit, interrogent alii sapientiam suam. *Modius.* Non *quis*, sed *quia* præferunt vulgati, quod illi audacter ego præfero. Auctiores etiam iidem una voce, quam male Modius omisit, etsi ipsam non bonam. Corrigenda fuit, non exturbanda. Legunt illi, *modicus animus haud quaquam famæ par videbatur.* Nos emendamus, *modicus habitus.* Ita barbari mox ipsi: *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet.* Ac probat maxime similis lib. VI. locus, non hac tamen adeo causa, ut verbulum probet, quam ob rei similitudinem ipsam adscribendus: 'Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum ejus haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans: quippe omnibus barbaris in corporum majestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est.' *Acidalius: Modicus*] Veteres una voce auctiores, *modicus animus*; eam statim exturbavit Modius: at melius Acidal. qui correxit, legitque *modicus habitus*, quæ vox et alibi in Nostro simili narrationi deservit. Nisi forte rectius ex Mss. ubi est *mod. animis, aut animis quamquam*, fiat *modicus animi, quam famæ par videbatur*; hoc est, mod. animi potius, quam famæ par. *modicus animi*, sicut apud Tacit. H. II. 53. 1. 'immodicus animi.' *Freinsh.* Forte, *modicus ejus habitus.* Heinsius.

§ 10 *Ut ceteris barbaris*] De qua re insigne testimonium Herodoti IV. 46. quem credo respicit Noster: 'Pontus Euxinus nationes exhibet omnium imperitissimas, Scythica dumtaxat excepta,' &c. et certe quæ tam hic quam in aliis auctoribus de hac gente leguntur, non infimam ingenii sapientiæque vim, præsertim in acutis, et interdum ænigmaticis eorum aut sermonibus, aut responsionibus, aut etiam factis ostendunt. *Freinsh.*

Sapientiam capere] Adprehendere animo, discere, ut Anacharsidis philosophi, genere Scythæ, exemplo notum. *Cellar.*

Digitized by Google

§ 11 *Sicque loquutos*] Putes statim incipere orationem Scytharum, sicut et in Aldina editione notatum est: et sane verba hæc id requirerent: at quæ proxime sequuntur haud dubie nullam orationis ejus partem faciunt. Sed mox iterum repetitur 'unum ita locutum accepimus.' Quæ indicia facile detexissent hujus loci vitium: sed accedunt Mss. in quibus, *Si qua loquutos, &c.* et mox *abhorrent*; non *abhorrentia*. Videtur itaque legendum: *Si quæ loquutos e. a. r. m. proditum est, abhorrent f. m. n. e. t. e. i. c. sortitis; ut possit, &c.* Freinsh.

A moribus nostris] Ex hoc quoque loco conjicias, Curtium ad prima Cæsaris tempora accessisse, quibus maxime ingenia efflorurre. *Raderus.*

Oratio eorum] Scytharum oratio apud Græcos etiam in proverbium abiit, ut rudis, inculta, et nihil præ se ferens humanitatis. ad id respexit Curtius. Originem hujus referunt, quod Scythæ Dario Persarum regi postulanti, ut sibi parerent, nihil aliud responderint, quam κλαιειν, id est, plorare. *Popma.*

Ut possit sperni] Quamquam oratio eorum, tamquam minus culta, delicatis auribus displicere possit. *Cellar.*

Quæ utcumque] Vere conjecit Bongarsius, *qui utcumque*; ego etiam omisso verbo substantivo, sic ista conceperim, *qui utcumque tradita incorrupta pervenemus.* Sic de se Tacitus XV. 53. 5. 'Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit.' *Freinsh.*

§ 12 *Si Dii*] Caussinum hic quoque adeas licet, qui hujus orationis œconomiam proponit, mirisque modis prædicat sententias et artificium orationis lib. XIII. pag. 561. *Raderus.*

Ita loquutum] Quæ oratio, aliis decantatissima, et moribus Scytharum accommodatissima visa, tamen Cl. Clerico videtur rhetorico calamistro inusta in medium prodire, Judicii de Curt. cap. 8. § 17. Ut sunt diversa hominum non imperitorum de eadem re judicia! *Snak.*

Aviditati] Editiones et Mss. et Constantiensis *aviditatis*, secundo casu, legunt; sed retineo tertium casum, quod prior magis poëtis, quam Oratoribus et Historicis conveniat. *Raderus.* Consule quæ collegit Cl. P. Burmann. ad Phæd. IV. 5. et ex Heinsii ejusque correctione *aviditati* repone, quæ formula exemplis ibi adstruitur. *Snak.*

Altera manu Orientem] In animo habuit fabulam Typhonis, cujus 'manuum altera ad Hesperum usque, et altera ad Orientem pertinebant.' Apollodor. lib. I. *Freinsh.*

Tanti numinis] Non placet ut *nominis* legas, ut non nemo putat, quamvis apud Ovid. Trist. 5. 12. legas, 'Nominis et famæ quondam fulgore trahebar.' Nec Aventini scriptura arridet, qui pro *tanti numinis* posuit *solis*. Bene habet usitata lectio. Sensus est: Si totum orbem occupares, quæreres ubi tui numinis gloriam et fulgorem finires et conderes; pro numine enim se gerebat, et coli passim volebat: et majus numen apparuisset, si totum orbem subegisset. Hermolaus infra VIII. 7, 13. 'Si quis Deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem.' *Raderus.* Raderi de lectione sententiam probo; de sensu non item. Aventinum potius sequor, qui explicavit vicario verbo mentem Curtii, quid per tantum numen intelligat. Non enim hercule Alexandrum, nec illi fulgorem suum condi volebat, aut finiri, sed sine modo terminoque clarere. Solem ergo innuit, quem et a Scythis cultum, vel ex Herodoti extremo lib. I. satis constat: et nisi fallor his verborum involucris Oceanum designant, quem et ipsum studiosa cura lustrare mox cœpit Alexander: ibi enim condi solem veteres crediderunt. Et de poëtis quidem ita notum est, ut nihil æque: nec tamen ipsorum hoc figmen-

Digitized by Google

tum fuit, sed gentium consensus. Vide quæ notat Lipsius ad Tacit. Germ. 45. 2. Qua etiam mente 'conscium occidui solis Oceanum' nominat Mamert. Paneg. cap. 2. Ut autem Oceano Gaditano occasum solis, ita Indico ortum tribuerunt, qui uterque locus est, ubi tanti numinis fulgor ipsorum opinione condebatur. Hic sensus inest illis Alexandri: 'Pervenimus ad Solis ortum, et Oceanum, nisi obstat ignavia.' Id autem Scythis absurdum vanumque videbatur, fortassis et impium; nam et Florus II. 17. 12. ait Dec. Brutum 'cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendisse.' *Freinsh.* *Tanti numinis*] Forte, *tanti luminis.* Heinsius.

§ 13 *Concupiscis, quæ non capis*] De Parmenione Alexander lib. VI. 'Majora quam capit spirat.' Infeliciter autem desiderantur, quæ capi nequeunt, felicius quibus sis ferendo. Vide de Antiocho Val. Max. I. 1. *Loccen.*

Ex Asia in Europam] Consuetus error, Jaxartem et Tanain eumdem fluvium esse, quo trajecto ex ulteriori Asia citatus transitus in Europam pateret. *Cellar.*

§ 14 *Arbores magnas*] Hoc genus similitudines occinit Xerxi patruus Artabanus apud Herodot. VII. 10. 5. 'Vides ut prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec sinit insolescere; parva vero nihil lædit? Vides ut magna semper ædificia magnasque arbores hujusmodi fulminum tela percutiunt?' Horat. II. Od. 10. 'celsæ graviore casu Decidunt turres; feriuntque summos Fulmina montes.' *Freinsh.*

Fructus eorum spectat] *Affectat* mavult Tan. Faber Epist. I. 51. *Cellar.* Tan. Faber legit *affectat*: ego dubito, an opus sit mutatione, Curtiusque scripserit aliter, quam vulgo legitur. Certe idem, quod hoc loco, alibi quoque ei denotat 'spectare:' ut v. 1. ubi ait, 'Prædam opimam paratamque ipsum et milites ejus spectare.' Videturque τὸ 'spectare' opponi eleganter τῷ 'metiri,' cum sit nihil aliud, quam 'oculis metiri.' *Scheffer.* Cicero pro Ligario cap. 4. 'Quum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est.' *Snak.*

Metitur] Mss. *metit.* forte, *metuit.* Freinsh.

§ 15 *Leo*] A leonis, aliorumque animantium, robore argumentum sumpsit et mimus ille, qui Maximino subindicabat argute, non esse fidendum robori, quo ille stolide ferox erat: 'Elephas grandis est, et occiditur: Leo fortis est, et occiditur: Tigris fortis est, et occiditur.' Capitolin. in Maxim. cap. 9. Leones autem etiam a culicibus magnopere vexari, qui et mortis causam eis præbeant, testatur Marcellin. XVIII. 17. *Freinsh.*

Rubigo] Ovid. ex Ponto I. 1. 17. 'Roditur ut scabra positum rubigine ferrum.' Eleganter Plinius XXXIV. 14. 6. 'Obstitit eadem naturæ benignitas, exigentis a ferro pœnas rubigine, eademque providentia nihil in rebus mortalium facientis' (hanc enim lectionem præfero) 'quam quod infestissimum mortalitati.' Et mox, 'A ferro sanguis humanus se ulciscitur: contactum namque eo celerius subinde (an *inde?*) rubiginem trahit.' Mirum est quod idem Plinius XXXIV. 15. 2. refert: 'Exstare ferream catenam apud Euphratem amnem, in urbe quæ Zeugma appellatur, qua Alexander Magnus ibi vinxerat pontem, cujus annulos, qui refecti sunt, rubigine infestari, carentibus ea prioribus.' *Raderus.*

Nihil tam firmum] Ovid. Trist. I. 8. 'Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud, Ut maneat rapido firmius igne Jovis. Nil ita sublime est supraque pericula tendit, Non sit ut inferius suppositumque Deo.' *Raderus.*

Digitized by Google

§ 16 *Silvis*] Aventinus lib. I. ubi verba hæc recenset, adjicit 'paludibusque:' quod si ex libro quopiam haberet, quod ut sit vereor, non rejicerem. *Freinsh.*

§ 17 *Nec servire possumus, nec imperare*] Plin. N. H. XVI. 1. ubi tenuem Scytharum sortem descripsit, addit, 'Et hæ gentes, si vincantur hodie a populo Romano, servire se dicunt.' Seneca de Ira II. 15. 'Omnes istæ feritate liberæ gentes leonum luporumque ritu, ut servire non possunt, ita nec imperare.' *Loccen.*

Dona a nobis data sunt] An dona ab his Scythis Alexandro data non memini e superioribus, nec sane puto: illud certe scio, non ista, quæ commemorant, data. Sed profecto de nulla donatione agitur; de bonis suis disputant Scythæ, quæ sola possideant, aliarum opum incuriosi: legendum ergo, *bona nobis data sunt.* Meo periculo affirmo, veram hanc meam (meam autem dico? Curtii volebam) lectionem. *Acidalius.* Si umquam uspiam Acidalii emendatorem calamum secutus sum, hic sequor, quum rescribit, *Bona nobis data sunt.* Raderus. *Dona nob.*] Acidalius legit, *Bona nobis data sunt:* quam conjecturam mirifice commendat Raderus. Nec enim vult dona fuisse data ab his Scythis Alexandro: quod quidem etiam in animo habuisse apparet Bongarsius, cum conjiceret induci debere tria verba, ut esset: *nobis sunt, ne Scytharum gentem ignores:* quod placeat præ illo. Paschal. Legati cap. 5. putat optionem hic dare Scythas Alexandro, bellum an pacem cum iis habere malit. Sed optime locum explicat Loccenius, cujus verba subjicio: 'Male,' inquit, 'excusum, *dona a nobis data sunt.* Horum donorum originem aperit Herodot. IV. 5. ubi refert olim cœlo in Scythiam demissa, puta ut ancile Romanorum.' Targitai dicunt tres liberos fuisse, Lipoxain, Arpoxain, et novissime Colaxain. His regnantibus demissa cœlitus in Scythiam regionem, ex auro facta, aratrum, jugum, securim, phialam. Hanc historiam, vel verius fabulam, hic tangit Curtius. *Freinsh.* Dona nobis a Diis de cœlo demissa. Fabula similis Romanæ de Ancilibus ab Herodoto traditur IV, 5. Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ φερόμενα χρύσεα ποιήματα ἄροτρόν τε καὶ ζυγὸν καὶ σάγαριν καὶ φιάλην, πεσέειν εἰς τὴν Σκυθικήν. *Cellar. Dona a nobis data*] Forte, *Dona a Dis nobis data.* VII. 10. 14. 'Rexque ipse credi voluit, donum Dei id fuisse.' *Heinsius.*

Jugum boum aratorum] Non ausim hic quoque, quia de aratro nihil subjicit, sed nec subjicere opus erat. *Acidalius. Aratrum*] Non displiceat quod hic conjicit Acidalius, *boum aratorum.* Βοῦν ἀροτῆρα vocat et Hesiodus. *Freinsh.* Pitiscus cum Acidalio, *boum aratorum;* eleganter quidem, non autem ita certo, ut deserenda sit vulgata scriptura, quam etiam Herodotus cap. 1. tueri potest. *Cellar.* Acidalii tamen, hominis acuti et sinceri, judicium adprobat pespicacissimus J. Broukhusius ad Tibull. I. 44. *Snak.*

§ 18 *Vinum Diis libamus*] De hoc ritu Pontanus et La Cerda ad Virg. Æn. I. 732. *Raderus. Vinum*] Id unde acceperint, non immerito quæras. ipsi non colebant vites; commercia non curabant. Credo, quod de singulis eorum nationibus vere seu falso creditum fuit, toti deinceps Scytharum nomini temere fuisse adsignatum. Ergo de ἀκρατοποσίᾳ eorum, quod mero gavisi fuerunt, quæ traduntur, ad eos pertinere putem, qui forte ad Pontum Græcis urbibus finitimi, a vicinis id habuerint. Quamquam et Bactriana, quæ his Scythis contermina est, vini mire ferax fuerit. Et notum est quam proclives in hoc vitium ab omni ætate fuerint ad Septentrionem vergentes populi; ipso corporum temperamento ad id tantum non

Digitized by Google

cogente. De Scythis ergo idem memoratur apud Athenæum, ubi et adagii vice jactatum Spartæ notat verbum ἐπισκυθίσαι, Scythicum in morem bibere. Notum est quid de Anacharside referat Diog. Laërtius. Vide et Erasmi Adag. Chil. II. 3. 17. *Freinsh.*

Hasta cominus] Quid hic hastam memorat, cujus nulla mentio facta est inter dona? num intercidit ejus nomen? agnoscit sane Bongarsii codex, et nonnulli alii inter ea. *Scheffer.*

Sic Syriæ regem] Alii excusi, *sic Scythiæ regem;* quod non convenit, nisi dicas, Europæos Scythas Asiaticorum regem superasse, quod minus placet: quare etiam ausus sum reponere *Syriæ*, pro *Assyriæ*, ut accipiatur hoc sive de Nino, sive de alio quovis Assyriæ rege Nino priore, puta cum rex Scythiæ Tanaus usque in Ægyptum excessit: considerent tamen etiam alii locum. *Modius. Syriæ regem*] Idam Thyrsus Scytharum rex sibi et successoribus suis per mille et quingentos annos vectigalem fecisse traditur; Scythæque persequentes gentem Cimmeriam ingressi Asiam abrogarunt imperio Medos, qui ante ipsorum adventum Asiam obtinuerunt, ut Herod. lib. I. et VII. refert. *Popma. Syriæ*] *Scythiæ regem* vulgati codices. Sed quid Scythæ suum regem vicissent? *Syriæ* Modius vere reposuit pro *Scythiæ*. Quis autem hic Syriæ rex fuerit, Ninusne, an prior aliquis, quod equidem reor, non constat. Nam a Belo primo Assyriorum rege (quos Latini Syros vocant; ut est apud Justinum I. 2. 13.) usque ad Sardanapalum, unus et quadraginta reges numerantur. Vexori Ægypti rege ab Scythis victo, Asia quoque in potestatem Scytharum fuit per annos admodum mille. Scalig. in Canon. Isagog. Ninus tributa Scythis primus negavit. Fuere ergo ante Ninum, quibus Scythæ in Asia imperitarunt. Adversus Vexorim rex Scytharum Tanaus in bellum profectus est. Justin. I. 2. 13. *Raderus. Syriæ*] Assyriæ, quamquam quis fuerit ille Assyrius rex, quem Scythæ vicerint, non liquet, silente historia. Forte id tempus intelligitur, quo Scythæ in Parthiam migrarunt, VI. 2. 14. quod ad Sesostris, Salomoni æqualis, tempora Arrianus in Parthicis apud Photium refert. *Cellar.*

Persarum] Cyrum et Darium Hystaspis, quorum nota historia. *Idem.*

Medorum] Cyaxarem, quem per 28. annos afflixerant Scythæ, Herod. I. 106. *Idem.*

Usque ad Ægyptum] Ab fabulosam historiam videtur respicere, quam ex Trogo refert Justinus II. 3. *Idem.*

Ad latrones persequendos] Exemplo Herculis, cujus imitator videri cupiebat, quod egregie confutat Seneca de Benef. I. 13. *Idem.* Vix ac ne vix quidem ignoscit Curtio Cl. Clericus, quod hic, qui utique bellicam virtutem primam habet, non copiosius perstringat hoc Alexandri vitium, nec idem sæpius inculcet: quem, si non pertæsum est, vide Judicio de Curt. IX. 12. *Snak.*

§ 19 *Latro es*] Hoc ut de omnibus gentibus ab Alexandro subactis dici forte non conveniat, ita posse de plerisque pro comperto habeo. Idem Lucani sensus fuit X. 20. cui 'terrarum felix prædo' vocatur: idem Senecæ de Benef. I. 13. 4. et Epist. 94. 67. Contra quorum auctoritatem, ipsa naturali æquitate subnixam, qui jure belli tuentur Alexandrum, non intelligunt, quantum hoc illi cedere debeat: et tamen in hoc quoque ut justum jus sit, honestam aliquam caussam requiri, non solam dominandi cupidinem, quam in Alexandro fuisse summam, inficiari ne quidem ii possunt, qui maxime eum laudant. Pari autem audacia respondit Alexandro, quisquis fuit, pirata: ex quo cum quæsisset, 'quo scelere impulsus mare haberet infestum? eodem, inquit, quo tu orbem terræ,' Cicero

Digitized by Google

de Rep. lib. III. 'Eleganter et veraciter,' judicio D. Augustini de Civ. IV. 4. *Freinsh.*

Indos petisti] An? *Indos petis.* Nondum adierat Indos, sed mox aditurus erat. Bactriani enim proximi Indis. *Raderus.* Ne quid mutari patiar, prohibet Curt. infra VII. 11. 8. ubi iterum Indiam jam tum accessam narrat, 'Indiæ sine lassitudine vim frigoris sum perpessus.' Utrobique tamen per exaggerationem Indiæ nomen propinquis regionibus tribui crediderim. Sic enim et Areorum terra, et Sogdianorum, Indiæ nomine quandoque intelligitur, ut alibi jam notavimus. Sane enim Curtius nondum Indiæ proprie sic dictæ meminit, quasi Alexander eam fuerit ingressus: sed quæ de frigore tolerato jactat, aperte referenda sunt ad iter per Parapamisadas, de quo supra III. 3. *Freinsh.*

Instabiles manus] Videatur fortasse corrigendum, *avaras et insatiabiles manus;* nisi, quod certe puto, notare utrumque voluerunt, et inexpletam et vagam rapacitatem Alexandri, qui nullo fine contentus, loco nullo constans, ex aliis alia subinde invadat. Atque huc respiciunt eorumdem superiora illa, 'Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam.' *Acidal.* Est qui *intestabiles, incessabiles, instabiles,* legit; sed nihil horum placet præ illo Acidalii *insatiabiles.* Rader. *Avaras et instabiles*] Hoc est, Scythæ in Alexandro notarunt tam avaritiam, quam morem passim in quosvis incurrendi: non enim ait Acidal. unam vocem *instabiles* utrumque valere, ut putat explanator. *Freinsh. Instabiles*] Vaga rapacitate in omnem se partem extendentes. *Cellar. Instabiles*] Lego cum Acidalio *insatiabiles;* sic IX. 2. 9. *Insatiabilis cupido famæ,* sic 'insatiabilis avaritia' apud Gell. III. 1. *Heinsius.*

§ 20 *Parasti famem*] *Finem* membranæ; sed non vult hoc dicere auctor. *Modius. Parasti*] Lego, *exasperasti famem.* VIII. 1. 32. 'Nihil eo remittente magis exasperabatur.' Virg. Georg. III. 434. 'Sævit agris asperque siti, atque exterritus æstu.' Et sic idem sæpius. *Heinsius.*

Quo plura haberes] Eadem mente dixit Claudianus: 'Semper inops quicumque cupit.' Genus autem egestatis gravissimum est, in divitiis inopem esse, teste Seneca Epist. 47. *Loccen. Quo plura haberes*] Ut in hydrope: Ovidius Fast. I. 216. 'Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.' *Ἔνθεν που καὶ οἱ διώκοντες ταῦτα, ἐμπλησθέντες αὐτῶν, διψῶσι μᾶλλον· ἔλαττον γὰρ τὸ ληφθὲν τοῦ προσδοκωμένου,* ait Maxim. Tyr. Dissert. XXXVII. Graviter hoc ipsum proponit Seneca Epist. 119. 8. 'Post Darium et Indos pauper est Alexander Macedo: quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, et, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, homini non est.' *Freinsh.*

§ 21 *Bellare*] Malim *rebellare;* jam enim subacti defecerant. Vide supra VII. 6. 13. Ad vitandas ejusmodi rebelliones qua re opus esset, sic apud Plutarch. cap. 114. monuit Alexandrum Calanus: 'Corium in medium conjecit siccum et retorridum, cujus oram calcavit. Id uno loco pressum ceteris partibus extulit se. Idem circulans undique et pedibus stringens in quaque parte ostendit evenire, quoad medium pedibus occupavit, tunc omnes partes quievere.' *Freinsh.* Mallet Freinshemius, *rebellare cæperunt;* mihi videtur scriptum initio fuisse, *bellare receperunt,* idque 'recipere' hic significare idem ac 'denuo incipere.' *Scheffer.* Cod. Voss. 2. distincte, *bella receperunt,* quod Cl. Schefferi sententiam nonnihil confirmat. Nobilissimus Heinsius cum Freinshemio *rebellare* scripserat. *Snak.*

§ 22 *Scies quam late pateant*] Sen-

Digitized by Google

tentiæ ratio sic satis apparet: *οἴχονται*, quod vereor, aliquot voces. Has suspicione reprehendo, si licere id mihi volent, qui in alios parci et severi, suæ libidini quidlibet indulgent. Sed liceat mihi, nulla Curtii fraude, sic explere: *Transi modo Tanain; scies quam late pateat fuga. Insequere, numquam tamen consequeris Scythas.* Acidalius. *Quam late pateant*] Hunc locum velut lacunosum explet Acidalius: *Scies quam late pateat fuga. Insequere, numquam tamen consequeris Scythas.* Sed cum sententiæ ratio satis absque insertis verbis appareat, religio est, contra omnium codicum, tam chirographorum quam editorum, fidem, ingerere aliena. *Raderus.* Sententia, opinor, est: Si transeas Tanaim, videbis quidem quantum terrarum occupent Scythæ; numquam tamen, si ipsi nolint, eos consequeris, aut reperies. Quam rem etiam cum admiratione testatur antiquissimus Herodot. IV. 46. De amplitudine autem Scythiæ collegit nonnulla. Barthius Adversar. LVI. 15. Vide et Langlæi Semestr. VIII. 1. *Freinsh.*

§ 23 *Scytharum solitudines*] Proverbium Græcorum est, Σκυθῶν ἐρημία, inde natum, quod Scythæ in vastis silvis viventes nullis certis sedibus utantur, sed per deserta, et humano cultu vacua loca vagi in plaustris ferantur. Meminere hujus adagii Aristophanes, Plutarchus, Suidas, Erasmus, alii. *Popma. Proverbiis*] Σκυθῶν ἐρημία, pro summis calamitatibus exitioque dictum est apud Aristophanem in Acharnensib. II. 6. Quo loco commentator indicat, proverbium dici solitum de ingenti solitudine, &c. Usurpat et Plutarch. de Stoicis Contrariet. cap. 33. Chrysippus sapientem fœnoris gratia præcipitem dat in Panticapæum, et Scytharum solitudinem. Erasmus Adag. Chil. ad III. 5. 94. Refert et Schottus in Prov. e Vaticana biblioth. Append. 3. 79. Earum solitudinum conditionem describit Hippocrates lib. de Aëre, &c. citatus ab Radero. *Freinsh.*

Nos deserta] Arrianus apud Eustathium ad Dionys. Periegetem vs. 675. docet Scythas olim urbes habitasse, domos incoluisse, terram arasse, vescique pane solitos, sed victos a Thracibus mores mutasse, omnibusque diris se devovisse, ubi vel ædes exædificassent, vel aratro terram proscidissent, aut urbes condidissent, aut opes aurumve possedissent. Plostra igitur sibi comparasse, ferinam in cibum adhibuisse, lac potasse. Jumentis dumtaxat illis solis usos, quibus veherentur, et quæ terras terris commutantes sequerentur. Indeque dictos Nomadas, quasi tu diceres pascuales seu pastores. *Raderus.*

§ 24 *Nec invita teneri potest. Impone*] Ut vos Dii Deæque nebulones, qui primi hæc hoc modo interpolastis: *nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens, quod præsens tempus ostendit melius impone, &c.* quid enim ista, *Salubre consilium quod præsens tempus ostendit melius*, ab aliquo ad oram libri, qui suorum temporum varias et incertas rerum vices notaret, hic adscripta, inserta etiam de vestro voce *sequens*, in contextum recepistis? *Modius.*

Salubre] Totam hanc pericopen miror cur ejecerint; cum sit genuina et germana sine dubio: insuper elegantem contineat sententiam, quam puto juves adhuc, si pro *ostendit* legas *ostendet*. Sensus: Ex ipso eventu evidentius cognosces, quam salubre fuerit hoc consilium. *Freinsh.*

Sequens quam præsens] Sequenti tempore magis adparet, quam præsenti, fueritne consilium salubre, nec ne. *Cellar.*

Frenos] Hunc credo locum respexit politissimus Politianus, cum illa Herodiani I. 4. Χαλεπὸν δὲ μετρῆσαί τε καὶ ὅρον ἐπιθεῖναι ἐπιθυμίαις, ὑπερτεινούσης ἐξουσίας· ita verteret: *Est autem difficile in maxima licentia moderari*

Digitized by Google

sibi, quasique frenos imponere cupiditatibus. Freinsh.

§ 25 *Sine pedibus*] Editiones Lugdunenses, *Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam.* Verum illud *nostri* in membranis nostris nullum est, et non soli Scythæ hoc, quod ait, dicunt, sed Græci quoque. *Modius. Sine pedibus*] Multas Fortunæ formas, multa ejusdem symbola, figuras, statuas alio atque alio modo effigiatas, nomina et cognomina recenset Alexander Neapol. Genial. Dier. I. 13. (quem juvabit hoc loco cum Tiraquello consulere,) et inter alias effigies etiam hanc a Curtio hic expressam. Tiraquellus hoc modo fictam et depictam non nisi ex hoc Curtii loco docet. Alatam quidem et pinnatam apud Euseb. Horat. Od. III. 29. et fortasse alios cognosces, sed ἄτροδα nusquam nisi hic. Habes generatim de Fortuna apud Alciatum et ejus scholiasten in symbolo Fortunæ; multa etiam apud Pierium, ut taceam Pausaniam, Plutarchum, et alios. *Raderus.*

Comprehendere non sinit] Mss. carent ultimis duabus vocibus. Forte, *comprehendi e re est.* Heinsius.

§ 26 *Beneficia*] Id enim maxime divinum est, unde et Dei nomen deduxere veteres a dando, quia omnia commoda hominibus dat. Festum vide. Ea de re contra Epicureos graviter et prolixe disputat Seneca post princ. lib. IV. de Benef. Ergo sapienter 'Pythagoras dicebat, hæc duo divinitus hominibus data esse longe pulcherrima: veritatem amplecti, et beneficiis operam dare: et addebat, utrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.' Ælian. Histor. Var. XII. 59. Quam deinde sententiam certatim arripuerunt retulerintque Philo lib. de Judice: Clemens Stromat. lib. II. Synesius Epist. 31. Damascius apud Suidam in Ἀγαθοεργία. Senec. de Benef. III. 15. 4. 'Qui dat beneficia, Deos imitatur.' Julianus in Cæsar. ex persona Marci Deorum imitationem esse ait: δεῖσθαι μὲν ὀλιγίστων, εὖ ποιεῖν δὲ ὡς ὅτι μάλιστα πλείστους. Ceterum Alexandri beneficentiam cum aliis commendant, de quibus forte infra ad X. 5. tum et Polyænus IV. 3. 1. ridiculo hoc beneficii genere, quod constituerit omnes non 'homines' sed 'Alexandros' vocare. cujus muneris gratiam haud gravate, puto, fecisset ei Diogenes. Sed hæc beneficentia non proficiscebatur ex voluntate juvandi alios; sed tantum ex cupiditate nominis et gloriæ. Absque eo enim esset, non utique spoliaret magnam terrarum orbis partem, ut paucos locupletaret, &c. *Freinsh.*

Sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita] Hæc omnia in membranis, librarii opinor incuria, omissa erant, nam quin Curtii sint, mihi sane dubium non est. *Modius. Semper esse te cogita*] Hoc a patre Philippo Alexander discere poterat, qui ex ephebis uni præcepit, ut quotidie prima luce ad lectum cubicularem adesset, regemque his verbis de hominis mortalitate admoneret, Φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ, *Philippe, homo es.* Ita Ælianus Hist. Var. VIII. 15. *Raderus.*

§ 27 *Inter pares*] Probe Cæsar Pompeium moneri jubet de Bel. Civ. III. 10. 'Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret, et pares ambo viderentur.' Sic apud Florum IV. 10. 1. 'Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque Pacorus utrimque virium mutuarum documenta fecissent, pari rursus reverentia integrata amicitia.' Quod alterum genus esse fœderum de tribus, dicit Menippus apud Livium XXXIV. 56. 9. *Freinsh.*

Videntur pares] Idem Menippus eodem loco: 'Tertium esse genus, quum, qui hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coëant. eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris et victi esse.' Nam 'Dubia

Digitized by Google

sunt vires inexpertæ.' Seneca de Constant. Sapient. cap. 3. Confer. Reusner. Symb. II. 42. m. *Freinsh.*

§ 28 *Quos viceris*] Eadem mens illis Taciti H. II. 7. 1. 'Victores victosque numquam solida fide coalescere.' Plinius Paneg. 85. 2. 'Nam quæ poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur?' Ergo et Molo apud Polyb. v. 52. 'Susianæ et Babyloniæ populis recens a se et inopinata victoria subactis parum fidebat.' Qua de re et supra ad IV. 6. 31. dictum. Adi Gruterum ad illa Livii VIII. 21. 7. 'Ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint.' Et Alb. Gentil. de Jure Belli III. 13. *Freinsh.*

Etiam in pace] Victi enim victoribus parere coguntur, servi domino, subjecti magistratibus. Nam quæ leges et conditiones victis belli tempore latæ datæque sunt, deinceps perpetrato bello observantur. *Raderus.* *In pace*] Quæ leges et conditiones victis a victoribus belli tempore dantur, etiam in pace servantur, ut instar servorum victi sint; victores domini, adeoque inter eos nulla coalescere amicitia possit. *Cellar.*

§ 29 *Græcorum*] Injuratis Scythis plus ait credendum, quam juratissimis et testatissimis Græcis. Quia apud Græcos, ut Euripides in Iphigenia Taurica canit: πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν. *Nihil fidi novit Græcia.* Græcorum vanitatem miris modis exagitat Juvenalis Sat. III. Cicero ad Q. Fratrem, Epist. I. 5. 'Græci fallaces, et leves, et diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi.' Virgil. Æn. II. 106. 'Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.' Et v. 152. 'ille dolis instructus et arte Pelasga.' *Raderus.* Adde Barthium Adversar. LVI. 17.

Qui acta consignant] Membranæ, *fata*; editiones *facta*; nimirum recte nos. *Modius.* Modius, *qui acta c.* Soliti autem Græci quodvis fere actum consignare, idque propter levitatem fidei inter se. Lucan. III, 300. 'Cumque alii famæ populi terrore paverent, Phocais in dubiis ausa est servare juventus Non Graia levitate fidem, signataque jura, Et caussas, non fata sequi.' Noster sup. lib. IV. de iisdem, 'Græcorum temporaria ingenia.' Idem Tacit. Ann. V. 'Promti Græcorum animi ad nova et mira.' *Loccen.* Alii, *facta*; unde Bongarsius *pacta*, quæ emendatio firmari posset ex Senecæ verbis modo prolatis. *Freinsh.*

§ 30 *Usque ad Thraciam colimus. Thraciæ*] Scripti libri, *usque ad Thraciam collibus Thraciæ.* Unde forte legendum, *usque ad Thraciam colimus. Collibus Thraciæ.* Sæpissime diximus, nimium a nostro coarctari septentrionalem oram supra Euxinum pontum et mare Caspium, ut omnia fere permisceat. Bactra Oxum contingunt, non falsum Tanaim, sive Jaxartem: nisi Sogdianam quoque sub Bactrianæ finibus contineri credas. Ab Jaxarte usque Thraciam omnia Scythæ possident, sed non unius gentis, verum ut terrarum ingentibus spatiis, ita nationibus quoque et imperiis distincti: adde quæ notavimus ad lib. VII. 6. 12. et 7. 2. *Cellar.*

Utrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos esse velis, considera] Bina ergo imperia Alexandro? imo unum omnium, quæ adierat. Et næ illi, si dividere velit, non duo, sed nimio multo plura. Scriptura falsa, cui literula extrita una, quam illi redonamus, et Alexandro pariter divulsum imperium redintegramus. *Utrimque* legendum pro *Utrique.* Scythæ imperio ejus utrimque finitimi, ab Asia, ab Europa: quam utramque incolunt omnium consensu Geographorum, et Curtii sæpe testimonio. Quomodo autem finitimi, ipsi præcedentibus his jam declararunt: 'Ceterum nos Asiæ et Europæ custodes habebis.

Digitized by Google

Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaïn et usque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam conjunctam esse fama fert.' Neque tamen nescio, aut dissimulabo, ne videar nescire, duplex imperium tribui Alexandro posse, unum Asiæ, alterum Europæ: ut vulgata lectio teneatur, in eumdem incidens sensum, quem novitia nostra pariebat. *Acidal. Utrique*] Bongarsii, Acidalii, Sebisiique conjectura conspirabat in unum, ut *utrinque* legeretur. Nec sane ineptum hoc esset, sed cum haud minus proba sit vulgata, cur non tueri se possit interdicto uti possidetis? Agnovit hoc idem Acidalius, duo posse imperia tribui Alexandro, idque solere probat Radarus veteri Epigrammate Parmenionis: Τύμβον Ἀλεξάνδρου Μακεδόνος ἣν τις ἀείδῃ, Ἠπείρους πάσας σῆμα λέγ' ἀμφοτέρας. *Quisquis aves tumulum Pellæo ponere regi, Europam atque Asiam ponito pro tumulo.* Et quod Curtio infra VIII. 4. 29. 'Asiæ Europæque rex' dicitur; sed et IX. 6. 21. 'Victor utriusque regionis' a semetipso appellatur. At Justinus XII. 16. 5. disertissime duo imperia ei adsignat: 'Ea die, qua natus est, duæ aquilæ tota die perpetes supra culmen domus patris ejus sederant, omen duplicis imperii, Europæ Asiæque, præferentes.' *Freinsh.*

CAP. IX. § 1 *Suorum*] Sic legendum; non enim Scytharum, sed Macedonum *suorum* consilio se usurum dicit. *Rutgers. Consiliis suorum*] Legendum olim sic conjeci: quod postea et Rutgersio Var. Lect. III. 4. ita visum deprehendi; et jam ante Aventino: sic enim ille locum hunc refert lib. I. pag. 25. 'Quid enim levius aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus capere consilium?' judicio Aurencaleii aliorumque apud Cæsar. de Bel. Gall. v. 28. Ita Cæsar Pothino respondet, minime 'se Ægyptiorum consilium requirere.' Plutarch. in Vita cap. 70. ergo cum Pal. 1. cum duobus editis adstipulaverunt; haud dubitavi scripturam eam recipere. Vulgata tamen lectio ferri possit, si recipias explicationem Acidalii, quam seq. statim nota proponimus. *Freinsh.*

Et audacter] Attende, ut recte capias. *Ne* particula non referendo tibi ad *audacter* pariter, ut ad *temere*. Sensus iste, distributis in sua membra verbis: Secutorum se et consilium eorum, ne quid temere, et fortunam suam, ut audacter faciat. *Acidalius.* Aventinus expressit *aut audacter*; longe diverso sensu, probo tamen: et quem illi præferam. *Freinsh.*

Sequuturum] Hoc verbum mihi admodum suspectum est; qualis enim hæc oratio, *fortuna sua, et consiliis suorum se usurum*, sequitur ratio, *nam sequuturum*? Atqui hoc non ratio, sed commemoratio propositi; quare suspicor, hoc natum ex glossa superioris, *se usurum*. Puto autem Curtium sic scripsisse: *Res fortuna sua et consiliis suorum se usurum respondit. Nam esse et fortunam, cui confidat, et consilium audentium, ne quid temere et audacter faciat.* Sententia elegantissima: esse ait sc. sibi fortunam istiusmodi, cui possit confidere, ut non sine causa eam respiciat, quemadmodum et consilium ejusmodi, quod queat utilia a nocuis discernere. *Schaff.*

§ 2 *In proris*] Mss. Florent. et Leid. *in prioris*. Forte, *in prioribus*. Heinsius.

§ 3 *Qui tormenta intenderent*] Qui tela ex machinis, ut catapultæ et ballistæ erant, emitterent. Adde ad IV. 3. 12. *Cellar.*

A fronte] Quomodo a fronte, ut tela nullum ex armatis circumstantibus læderent? intervalla relinquebant armati, per quæ tela exibant. *Radarus.* Ibidem statim lego, *circumdati armatis: reliqui post tormenta constiterant. Remigem, &c.* Freinsh.

Scutorum testudine armati] Hoc *armati* quoque suspectum mihi, tam-

quam non Curtii, sed glossatoris: testudo sane non armat proprie, sed tegit. Neque potest bene ad præcedens *reliqui* referri, tamquam longius dissitum, et, si referatur, otiose sibi adjunctum habiturum. *Scheffer.*

§ 4 *Objectæ sarmento*] Vulgo *stramento*. Modius. Utres vel inflabantur follibus, ut Suetonius indicat, et Cæsar, et Livius, Florus, et alii; vel stramentis infarciebantur, teste Curtio hic, et Arriano lib. I. *Popma. Objectæ rates*] Mss. male, *objecta erant rates*: illustri anadiploseos exemplo, quale supra ad VII. 6. 18. ex Livio retulimus. notatque Rutgersius in Nostro infra ad X. 1. 19. ut suo loco videbimus. *Freinsh.* Libri alii, *sarmento*, quod præferam. Unde enim tantum stramenti in regione, quæ cultum agrorum ignorabat? Suspicor tamen et hoc a glossatore additum ex superioribus. *Scheffer.*

§ 6 *Ripis præsidentes*] Forte, *ripas obsidentes*. Heinsius.

§ 7 *Conati nisu*] Pal. 1. *nisi*, quod glossa, vel varia lectio *τοῦ conati* esse possit, sed malim *conniti*, ut IX. 15. 18. ‘ Postquam ad connitendum nihil supererat virium.’ Etiam pro *vibrare*, lego *librare*; nam paullo post, ‘ Hastas certo ictu, utpote libero nisu, mittit e ratibus,’ hoc est, *librare*. Heins.

§ 9 *Recipientes*] Forte, *resilientes*. Idem.

§ 11 *Quod vigoris ægro adhuc corpori*] Alii, *quod vigori ægro adhuc corpore*. Malo prius. *Modius.*

§ 12 *Ducum officio*] Quippe ‘ cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos; plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militaverant, elegit, ut non tam milites, quam magistros militiæ electos putares.’ Justinus XI. 6. 4. Merito ergo commendat eos Charidemus supra III. 2. 14. Ex quo tempore jam continua exercitatione multum etiam adhuc accesserat illorum peritiæ. Sic in prœlio cum Nerviis milites ‘ nihil jam Cæsaris imperium spectabant, sed per se, quæ videbantur, administrabant:’ ea enim erat eorum, ut paullo supra dixerat: ‘ Scientia atque usus, ut superioribus prœliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi præscribere, quam ab aliis doceri poterant.’ Cæsar de Bel. Gall. II. 20. *Freinsh.*

§ 13 *Barbari tolerare*] Editiones, *barbari tolerari potuerunt*; scripti libri, *barbari tolerare cæperunt*, quod utrumque verbum a glossa est. *Modius.*

LXXX. stadia] Plutarch. in Alex. cap. 80. centum numeravit; de Fortuna Alex. II. 21. centum quinquaginta: adeo incertus vacillavit Plutarchi calamus. nec in notis error observari potuit; integras enim voces posuit. Ceterum 80. stadia efficiunt milliaria nostratia duo et semis: centum vero, tria cum dimidio quadrante: centum denique quinquaginta, quatuor prope cum triente. *Raderus.* Non igitur longius penetravit Scythicas solitudines. Quod caussæ fuisse crediderim, cur eum intrasse Scythiam plane negent Justinus XXXVIII. 7. 3. et apud Jo. Magnum Hist. Gothor. III. 11. f. Strabo, et nescio quis Arrianus Campanus. *Freinsh.*

§ 14 *Reliquum*] Non intelligo, quid sibi velit: annon fuit *ibique substitit*? Freinsh. Quicquid subaudias, male cohæret; Freinshemius mavult *ibique substitit*. Metam expeditionis Scythicæ videtur auctor designasse. *Cellar.*

§ 15 *Liberi terminos*] Non illos in India, notos et fama insignes, quos infra IX. 4. 21. necdum transierat; sed alios, quibus expeditionem in Scythas signaverat: quorum si alibi est mentio, mihi jam non succurrit. *Freinsh.* Hos vero Plinius VI. 26. cis Jaxartem in Sogdiana collocavit,

Digitized by Google

atios in India, infra IX. 4. dispiciemus. *Cellar.*

§ 17 *Armis parem fore*] Rursum editiones *parem fore confitebantur*, sed frustra sunt. *Modius.*

Imperata facturum] *Mandata* vulgo: sæpius illo modo loquitur Curtius. *Idem.*

§ 18 *In devictos Scythas*] Distinguunt paullo aliter membranæ, *quam clementia in devictos: Scythas quippe*, &c. non probo. *Idem.*

Captivos] Imitatus eum hic, ut in aliis multis, Pyrrhus apud Cic. de Off. I. 12. et Flor. I. 18. 15. apud quem et Hannibal II. 6. 40. ubi notam p. vide: quem ea arte plurimos sibi conciliasse, multasque et magnas urbes eorum opera in ditionem redegisse ex libb. XXII. XXIII. et XXIV. Livii abunde constat. Inspice etiam Gruteri Discurs. in Tacit. cap. 25. *Freinsh.*

§ 19 *Lepore haud sane illi*] Colonienses membranæ *virili lepore*; sed hoc *virili* glossema est vocum *specie corporis*, quæ præcedunt. *Modius. Illi pax erat*] Alii, *lepore haud sane virili par non erat*; unde fortassis haud ineptus prodeat sensus: par non erat Hephæstioni, quod esset lepore haud sane virili. Hephæstioni pulchra quidem species erat: sed tamen viriliter decora. Excipino non item. *Freinsh. Illi*] Lege, *decore haud sane virili par non erat*; et hanc veram et elegantissimam esse Curtii lectionem ex optimo Mediceo Codice, et aliorum exemplorum comparatione, probat Cl. Helus. ad Vellei. Paterc. II. 29. *Snak.*

§ 20. *Ad Maracanda*] Supra VII. 6. 10. *Cellar.*

§ 21 *Menedemo duce*] Noster VII. 6. 23. et 7. extr. *Cellar.*

Ossa tumulo contegi] Ut Germanicus idem humanitatis officium clade Variana cæsis apud Tacit. Ann. I. 62. præstitit. *Idem.*

Inferias] Sacrificia et cerimonias *inferis*, id est, manibus et umbris mortuorum factas. *Idem.*

§ 22 *Copias dividit*] *Copias dividi* vulgo; perperam. *Modius.*

Interfici puberes] Occisorum ingens fuit numerus, ut ex lemmate Diodori in alteram partem lib. XVII. constat. Ὡς Ἀλέξανδρος ἀνοσιάντας τοὺς Σογδιανοὺς κατεπολέμησε, καὶ κατέσφαξεν αὐτῶν πλείους τῶν δώδεκα μυριάδων. *Ut Alexander Sogdianos perduelles armis subegerit, et plures quam* 120000. *interfecerit.* Id enim caput ex historia Diodorea periit. Vide et Arrianum IV. 1. *Freinsh.*

CAP. X. § 1. *Octingenta*] Sic omnino rescribendum, pro *octoginta*, recte vidit Glareanus, cui favet etiam Arrianus IV. 1. 32. qui Alexandrum ex eo loco, quo movit, a Tanai, inquam, ad Maracanda, non octoginta, sed mille quingenta stadia intra triduum per Sogdianam confecisse scribit. *Raderus.* Sic legendum primo statim intuitu cognoveram, etiam ex istis verbis, *vastæ solitudines.* Plin. VI. 16. circum ea loca agnoscit 'harenosas solitudines per CXXX. M. passuum.' *Freinsh.*

§ 2 *Ingens spatium rectæ regionis est*] Hoc est, regionis oppositæ priori, qua patet in longum. Vide VIII. 9. 2. *Scheffer.* Inane episodium hoc iterum videtur Cl. Clerico, ideoque in iis quæ in Curtio non condonanda censet. Judicii de Curt. cap. 5. § 6. *Snak.*

Vocant incolæ] Casaubonus in lib. XI. Strabon. pag. 357. affirmat, Strabonem et Curtium dissentire in auctoribus hujus nominis Polytimeti: a Strabone enim Macedonibus adscribi nominis impositionem, a Curtio incolis: quod verum est; sed verum non est illos dissentire: Curtius enim non respexit tempus, quod Alexandrum præcessit, sed secutum est. Incertum est enim, quo nomine vocitatus prius fuerit, postea a Græcis Polytimetus appellatus: quis enim non videt vocem esse Græcam, non barbaram? ab incolis ergo mutatem Alexan-

Digitized by Google

dri secutis, qui plerique fuere Græci, (sex enim oppida Alexander non procul ea regione condidit, infra VII. 10. 15. Græcis potissimum habitata,) et nomen a Macedonibus fluvio inditum acceperunt, et in posteros propagarunt. *Raderus.* Barbaro vocant nomine, quod Græce Macedones πολυτίμητος, hoc est, *valde pretiosus*, interpretati sunt. *Cellar.*

Fertur. Torrentum eum] Iterum vulgo, *fertur torrens. Eum*, &c. etiam male. *Modius. Torrens*] Sic retinui cum pluribus, cum nihilo deterius sic legatur, quam ut est in aliis, *fertur. Torrentem eum*, immo aliquanto propius ad veram lectionem: quæ, ni fallor, hæc est, *fertur torrens; cum ripæ*, &c. ea particula creberrime sic utitur: hoc ipso cap. II. 14. 'Nec exsistebat humor, cum in ipso,' &c. *Freinsh.*

§ 3 *Modico resudet humore*] Voss. 2. *modicum humorem.* Utrumque bene. Virgil. Georg. I. 117. 'cavæ tepido sudant humore lacunæ.' Idem Ecl. IV. 30. 'Et duræ quercus sudabunt roscida mella;' sed sic lib. V. 1. 12. 'Toto fere solo prope venis aquarum resudante.' *Snak.*

§ 4 *Triginta nobilissimi*] Hoc absque dubio prodidit etiam Diodorus lib. XVII. ut ex argumento ejus libri conjicio: nam ipsa narratio intercidit. *Freinsh.*

Trahi, carmen] Ita habent membranæ, excepto eo quod *tradi* pro *trahi* legunt. In editionibus est, *trahi; lætantium more canere*, &c. Modius.

§ 6 *A tanto rege*] Virg. Æn. X. 829. 'Hoc tamen infelix miseram solabere mortem, Æneæ magni dextra cadis.' Ad quem locum multa Pontanus noster, qui hanc ipsam ex Curtio historiam adducit; et plura Ludovicus de la Cerda ex diversis scriptoribus Græcis et Latinis, quos tute videbis. *Raderus.* Adde supra ad III. 5. 5. *Freinsh.* Florum II. 8. 4. *Snak.*

§ 7 *Tum rex, quæro*] Musas mihi iratas habeam, ni ita scripsit Curtius, nive illa, quæ vulgo inseruntur, legendo, *Tum rex admiratus magnitudinem animi. Quæro itaque inquit*, &c. ab imperito aliquo huc inculcata sunt, quod supra Rufus noster dixisset, 'Admiratus rex tanta magnitudine animi oppetere mortem.' *Modius. Tum Rex*] Omisi cum aliquot editionibus, quæ in aliis hic sequebantur, hæc verba, *admiratus magnitudinem animi;* quod tantum est odiosa repetitio ex num. 5. *Freinsh.*

§ 9 *Interrogantique*] Ita ex membranis scripsi, et mox *quandoque*, pro vulgatis *interrogatique* et *quando.* Modius. Forte, *quandocumque.* Sebisius. *Quandoque* hic retinendum, et id ex vetusti sermonis formulis servatum, exemplis probat Cl. J. Fr. Gronovius ad Livii I. 24. et 31. *Snak.*

In fide] *Fide* editiones: minus bene. *Modius.*

Inter custodes corporis] Non illos primi ordinis, quæ maxima dignitas erat, summis tantum ducibus conferri solita; sed ordinis secundi, de quo supra V. 1. 42. diximus. *Cellar.*

§ 10 *Peucolao*] Ab hoc duce regio postea nomen accepit, dictaque est *Peucolaotis*, ut est apud Arrianum lib. IV. *Raderus.* Hinc ergo intelligas, alium fuisse Peucolaum, qui supra VI. 7. 15. inter conjuratos nominatur. *Freinsh.*

Bessum Ecbatana] Supra VII. 5. *Cellar.*

§ 11 *Menidas*] *Menidæ* apud Arrian. IV. 2. 1. nulla hic mentio, sed cujusdam *Melanidæ*, seu *Molanidæ.* Menidam Curtius supra sæpe laudat. *Raderus.*

§ 12 *Alexander*] Cognominis hic Alexandro regi fortasse ille fuit, de quo Curtius VIII. 11. 16. 'Duces his dati sunt Charus et Alexander, quem rex nominis, quod sibi cum eo commune esset, admonuit.' Sequitur mox de generosa ejusdem morte, quam eodem loco leges. *Raderus.*

Digitized by Google

§ 13 *Consternationis auctoribus*] Defectionis principibus. Arsace, Barzane, et aliis. Arrianus IV. 2. 1. 'Interea ad eum venerunt Phratapbernes Parthorum Satrapa, et Stasanor ad Areos missus, ut Arsacem comprehenderent, quem quidem vinctum addaxerunt, et Barzanem, quem Bessus Parthis Satrapam dederat, ac nonnullos alios, qui tum temporis una cum Besso defecerant.' *Raderus.* Ego vereor, ne fallatur Raderus: nam Curtio, ut puto, de Sogdiana defectione sermo est: iterum enim atque etiam tertio defecerunt, ut ex lemmatibus Diodoreis promptum est cognoscere. Arrianus autem agit de seditione, auctore Satibarzane in Areis concitata. Deinde nihil hic Arrianus de nece illorum, quam expresse tradit Curtius: nec enim necesse est, ut statim interfectos credamus, quos audimus captos. Sic enim hunc ipsum Alexandrum evasit Sandrocottus, postea ad amplissimum imperium profectus. Justin. XV. 4. 18. quem nescio quis auctor, Strabo ni fallor, prodit deinde quoties meminisset Alexandri toto corpore inhorrescere solitum. *Freinsh. Consternationis*] Tumultus, seditionis; ut V. 20. 8. VIII. 1. 24. X. 2. 21. et Sueton. Cæs. cap. 20. *Cellar.*

Oxum] Magnopere falluntur apud Alciat. Parerg. juris XII. 4. Grammatici, qui flumen hoc Mesopotamiæ faciunt, et interpretantur de eo vexatum Virgilii versum Ecl. I. 67. 'Pars Scythiam, et rapidum Cretæ veniamus Oaxem.' *Freinsh.*

§ 14 *Existebat*] Ex hoc loco lucem quærit Cl. Davisius ad locum Hirtii de Bello Afr. VII. 6. 'Latent enim in insidiis cum equis inter convallea, et subito existunt.' Ubi editiones pleræque, 'subito exeunt.' Ms. Norv. *exiliunt*, quod ille probat, cum vulgatam tamen ex hoc loco adstruat. Notandum tamen, mox etiam Voss. 2. et Pal. 1. pro *exstitisse*, habere *exisse*, vel *exiviase*. Adi Val. Flacc. IV. 170. *Snak.*

Conspectus est fons] Plutarchus in Vita cap. 101. scribit, eum fontem fuisse pinguis liquoris, non gustu quidquam ab oleo differentis. Strabo autem lib. XI. refert Macedones, qui in exercitu Alexandri erant, prope Ochum effodientes, olei fontem invenisse. 'Nam verisimile est,' inquit, 'ut nitrosa quædam et aluminosa, et sulphurea et bituminosa terram perfluunt, ita quoque pinguia inveniantur: raritas autem efficit admirationem.' Idem Athenæus II. 2. 'Apud alios,' inquit, 'sunt fontes, qui pingue nescio quid habent, velut qui in Asia, de quo Alexander scripsit, se olei fontem invenisse.' Tiraquel. ad Alexand. Neapol. I. 12. Eustathius ad Dionysium, vs. 747. ex Arriano IV. 3. 6. geminos fontes prosiluisse tradit, aquæ et olei. Proinde si verus Strabo, et alii, fallitur Thomas Bzovius, qui ante Christum natum nullum oleo fontem fluxisse existimat, tom. II. cap. 16. *Raderus.*

Donum id fuisse] Vulgati libri, *donum Dei id fuisse.* Modius.

§ 15 *Ocho et Oxo*] Ochus Ptolemæo et Plinio Bactrianam claudit, et in Oxum exoneratur. Strabo lib. XI. diversorum de hoc fluvio sententias proponit, quorum alii per Bactrianam, alii juxta illam; quidam Oxo misceri, quidam usque ad ostia separatum esse tradant. *Cellar.*

Margianam] Pro Antiochia Margiana habeo, in Margiana regione, et *Margiana* restituo. *Ortelius.* Ego quidem *Margiana* legendum puto: sicque expressisse video Sabellicum in hac historia: sed non sat scio, an recte pro Antiochia habeatur. Curtius enim de hac Margiana loquitur, quasi tum urbs fuerit: at Antiochia postea exstructa est, ortumque suum Alexandro debet, si recto capio Plin. VI. 16. Eam igitur Margianam puto tum fuisse caput regionis, ipsique

Digitized by Google

cognominem. ita supra *urbem Hyrcaniam* habuimus ad VI. 5. 22. Notabile autem est, quod lib. XI. tradit Strabo, Antiochum totum eum tractum inclusisse muro stadiorum 1500. *Freinsh.* Corruptum aut fictum nomen: Ortelius et Freinshemius *Margianam*, quasi Metropolim cognominis regionis, legi volunt, quod displicet Tellierio, quia ex Bactris in hanc Margianam tendenti non modo Ochus, sed etiam Oxus fuerit superandus, quod secus foret, si Margianæ regionis hæc Metropolis fuisset. *Cellar.*

Sex oppidis] Strabo lib. XI. testatur octo urbes in Bactriana et Sogdiana ab Alexandro conditas. Justinus XII. 5. 13. 'In Bactrianis quoque Sogdianisque duodecim urbes condidit, distributis his, quoscumque in exercitu seditiosos habebat.' *Raderus.* Has etiam intelligere videtur Ælian. Hist. Anim. XVI. 3. Deduxit eas colonias Hephæstion. Arrian. IV. 3. 8. *Freinshemius.*

Inter se spatiis] Membranæ, *modicis inter se stadiis.* Modius.

CAP. XI. § 1 *Arimazes*] Strabo lib. XI. 'Ferunt etiam petras eum admodum altas atque munitas, proditione interveniente, cepisse: qualis fuit Sisimithræ in Bactriana, in qua Oxyartes filiam habuit Roxanem: et in Sogdiana alia. item Oxi petra, quam alii Ariamazæ nominant.' Polyæno IV. 3. 29. 'est Ariomazes.' *Freinsh.*

§ 2 *Abscissa*] Mss. *abcisa;* et sic semper fere: de quo vide Doctissimum Dukerum ad Flori II. 2. 2. *Snak.*

§ 3 *Totum fere specum*] Editi libri, *per totum fere spatium:* male. *Modius.*

§ 5 *An volare possit*] Annibal in Oratione sua, qua milites suos ad invadendam Italiam hortatur, apud Livium XXI. 44. 'Alpes pervias paucis esse, exercitibus invias? eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sublime elatos Alpes transgressos.' *Loccen.* Arrian. IV. 3. 22. a quo paullulum diverse narrat Eustath. in Dionys. vs. 747. Allusit eodem Polyænus IV. 3. 29. in descriptione hujus petræ, 'solis volucrum alis perviam' prædicans. Et, ut puto, Florus II. 12. 4. Perses 'ita Macedoniam suam armis, ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum, nisi cœlo (deleo enim particulam a) venturis, hostibus videretur.' Et IV. 12. 4. 'Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset adscendere.' *Freinsh.*

§ 6 *Indicaret insolentiam*] Nihil variant hic libri veteres; neque tamen scio satis, an sit sanum illud *indicaret;* an scripserit *judicarent;* subintellecto, vel etiam addito, 'dicerent.' Potest namque fieri, ut alterum propter alterius similitudinem, ut supervacuum, fuerit omissum. Estque elegans sententia; illis, cum quibus consultare erat solitus, dixit, judicarent interim ipsi insolentiam barbari, quam nempe gravis sit et intolerabilis: hoc eis munus se committere. At vero se ipsum id servare sibi, ut ostendat nocte proxima, quod hostes crederent factu esse impossibile. *Scheffer.*

§ 7 *Pecora agere*] Hi enim ad scandenda prærupta erant exercitatissimi, et in ignotis quoque montibus investigandæ viæ gnari. Tali duce jam supra V. 4. 10. Persidem intraverat, qui ibi ait, 'pastorem se fuisse, et omnes eos calles percurrisse.' Quomodo apud Livium XXXII. 11. 2. 'Pastor quidam a Charopo principe Epirotarum missus ad T. Quintium, se in eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait: omnes montium eorum anfractus callesque nosse, si secum aliquot mittere velit, non iniquo, nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum.' Qui locus eventusque non sine fructu atque delectatione cum hoc comparetur. *Freinsh.*

§ 8 *Strenue adducunt*] Forte, *strenuos.* Aliter paullo post, 'strenue revocant;' et iterum VIII. 2. 30. 'revocatoque strenue Oxarte.' *Heinsius.*

Digitized by Google

Ante munimenta] Modius *ante me*; sed expunge τὸ *me*, quamvis in chirographis ita legatur. Emendatius vulgata quædam antiquiora, ut *ante* sit ἐκβόημα, non πρόθεσις, cum expeditior sit intellectus, si legas, *urbium ante munimenta superavi*. Quod equidem Acidalium præteriisse miror. *Raderus*.

Et mei documenta] Quæ res immensum ultro citroque nectit animos, et mutuæ confidentiæ implet. Non ignoravit hoc Hannibal apud Livium XXI. 44. 19. 'Non ego illud parvi æstimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego, virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora.' *Freinsh.*

Vestra] Scribes *vestri*. Acidalius. *Vestri habeo*] Ex Acidalii castigatione ita scripsi et edidi; antea erat *vestra habeo*. Raderus. Regredere ad notam VI. 9. 3. *Freinsh.*

§ 9 *Quæ castra*] Verius puto, *qua* (sc. parte) *castra spectant*; nempe barbari. *Freinsh.*

§ 10 *Inveniatis viam*] Dubito an sit Latinum, *via ferens aditum*; et *viam* suspicor ex glossa esse vocis *aditus*. Itaque sic lego: *invenietis, si sollerter rimati fueritis, aditus ferentes ad cacumen*. Pro *ferentes*, in antiquis est *ferentis*, solita scribendi ratione. Id quia casum putarunt secundum, ideo et vocem *aditus* hoc casu acceperunt. Cumque sic oratio evaderet mutila, oportune velut illud *viam* ex glossa est insertum. *Scheffer*. Latinitas in dubium hic vocanda non erat; namque etsi correctio Cl. Schefferi sit ingeniosissima, et Curtio non indigna, tamen facile sustineri vulgata potest, et *via aditus ferentis* secundo casu satis percipi potest; vel, *rimati aditus ferentes ad cacumen invenirent viam*; et hoc præplacet, licet ante dixerat *semita peranguste aditur*, singulari scilicet. *Snak.*

Nihil tam alte] Eumenes ad imitationem, ut videtur, Curtii in Paneg. 'Nihil tam insuperabili vallo natura præclusit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur: illi est inexpugnabilis murus, quem exstruit fama virtutis.' Annibal in modo dicta ad suos oratione: 'Quid aliud Alpes esse, quam montium altitudines? fingerent altiores Pyrenæis jugis: nullas profecto terras cœlum contingere, nec inexsuperabiles humano generi esse.' Et mox: 'Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, quid invium aut inexsuperabile esse? Romam Orbis terrarum caput petentibus quidquam adeo asperum atque arduum videri, quod inceptum moretur?' Tacitus Ann. XII. 'cuncta virtuti inexpugnabilia.' *Loccen. Nihil tam alte*] Nobilissima sententia; quam videas a variis varie expressam. Naso Met. XIV. 113. 'Invia virtuti nulla est via.' Claudian. de Bell. Gildon. vs. 320. 'Inveniet virtute viam.' Maro Georg. I. 145. 'Labor omnia vincit Improbus.' Terent. Heautont. I. 4. 'Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possit.' Sic de Nerviis Cæsar de Bello Gall. II. 27. ubi virtutem eorum exposuisset, addit: 'Ut non nequidquam tantæ virtutis homines judicari deberent ausos esse transire latissimum flumen, adscendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum: quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat.' *Freinshemius.*

Experiendo] Theocrit. Idyll. XV. 61. 'Conando Græci Trojam pervenerunt: Optima filia, conando omnia perficiuntur.' Ubi Casaub. notat sic locutum Herodot. VII. 9. fin. Ἔστω δ' οὐν μηδὲν ἀνεξήγητον· αὐτόματον γὰρ οὐδὲν, ἀλλ' ἀπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι. *Nihil sit, quod non experiamur; nam sua sponte nihil fit, sed omnia ab experimento hominibus fieri consueverunt.* Hinc Tacitus XV. 59. 3.

Digitized by Google

'Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur.' Et Annibal apud Livium xxv. 11. 17. 'Multa, quæ impedita natura sunt, consilio expediuntur.' *Freinsh.*

§ 12 *Portio*] *Proportio*, quam vocem pro genuina, repudiata vulgari, recepit Tellierius. *Cellar.* Male; nam *portio* idem significat. Plin. Hist. Nat. xi. 10. 'Capita piscibus portione maxima.' Idem ibid. 'Cerebrum habent omnia animalia, quæ sanguinem: sed homo portione maximum et humidissimum.' Noster ix. 1. 6. 'ceteris quoque pro portione gradus.' Et sic auferendi casu distincta præpositione sæpissime utuntur Cicero, Quinctil. alii: Cicero quidem in Timæo hanc vocem ut novam induxit, quum ait: 'Id optime adsequitur, quæ Græce ἀναλογία, Latine (audendum est enim, quoniam hæc primum a nobis novantur) comparatio proportiove dici possit.' Idem eodem libro: 'Ejus autem particulæ intervallo habebat numerus ad numerum eamdem proportionem comparationemque in extremis.' Sed usu tamen id nomen apud optimos deinceps scriptores non invaluit, ut proinde necesse non sit hic 'proportionem,' cum et *portio* eumdem sensum admittat, obtrudere Curtio, et in textum ejus rapere sine ulla codd. Mss. admonitione. *Snak.*

Certum autem] Aberat particula, nonnullo sententiæ damno; quam volentib. Mss. restitui. *Freinsh.*

§ 15 *Levare semet*] Alii, *levavere semet*. Modius.

Quum cuneos] Quis ita barde loquutum fuisse credat Curtium? *cuneos defixerunt, queis insisterent gradus;* qua enim notione 'gradus' hic accipias, ut non ridiculus exeat sensus? Mss. habent *defigerent gradus subinde quis insisterent*. Unde certum est scripsisse Curtium, *quem cuneis inter saxa defigerent gradus subinde, quis insisterent*. Sicut apud Arrianum vi. 2. 14. Οἱ μὲν πασσάλους ἐμπηγνύοντες ἐς τὸ τεῖχος γήϊνον ὄν, καὶ κατὰ τούτους ἀπαιωρούμενοι χαλεπῶς ἀνεῖρπον. Sic apud Suidam in Σάπειρ, quidam nominis ejus vir fortissimus Bejudæs Persarum castellum cepit. Nec sinit dubitare Livius xxviii. 20. 3. 'Sicubi nimis arduum et læve (sic velui scribi supra ad v. 3. 20.) saxum occurrebat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus fecissent.' Cuneis igitur defixis fecerunt gradus, tamquam in scalas, quibus insisterent ipsi. Quo genere scandendi exercitatissimus fuit Eurybatus fur, quem ferunt 'dum in carcerem esset conjectus, et custodiretur, a suis custodibus compotantibus solutum fuisse, et jussum edere specimen suæ sollertiæ in ædibus conscendendis; primum quidem hoc recusasse, deinde vero, ipsis ipsum recusantem rogantibus, cum hec ipsi ægre persuasissent, tandem circumpositis spongiis, et stimulis, vel retinaculis ferreis, in parietes cursim adscendisse. Illis autem suspicientibus, et has artes admirantibus, ipsum occupasse tectum, eoque superato, priusquam illi domum circumivissent, de tecto desiliisse.' Suidas. *Freinsh.* Freinshemius, quia est in Mss. *gradus subinde quis*, putat legendum, *quum cuneis inter saxa defigerent gradus subinde, quis insisterent*, explicatque 'cuneis defixis fecerunt gradus.' Rem intelligo, non perinde et verba. An enim 'gradus defigere cuneis,' est 'gradus facere per cuneos defixos?' aliud profecto 'defigere cuneos,' et aliud 'defigere gradus.' Nec juvatur loco Livii, quum et ipse 'clavos figentes velut gradus fecisse' scribat, non 'fixisse gradus.' Itaque fuerit optimum delere unicam litteram *s* in voce *gradus*, quæ ipsi male adhæsit ex initiali sequentis *subinde;* cetera servare omnia; 'insistere gradu cuneis' elegantissime optimeque dicitur de iis, qui pedes in iis collocant enitentes gradu in altum. *Scheffer.*

Digitized by Google

Quidam, ut etiam Pitiscus, ediderunt, *defigerent gradus subinde, quels insistarent.* Sed nihil incommodi neque duri habet vulgaris, quam retinemus, scriptura, quia etiam Virgil. Æn. XI. 578. dixit 'vestigia institerat.' *Cellar.*

§ 16 *Enixis*] Meliorum codicum auctoritati morem gerens Cl. P. Burmannus hic *enisis* legit, ad Val. Flacc. II. 469. Quod ne mireris hic annotatum, antequam limatissimus ejus in optimum Poëtam curæ lucem publicam adspiceret; his delicils frui, dum apparantur reliqua, pro sua, qua nobis utitur, liberali humanitate nobis largitur poëticæ venustatis columen. *Snak.*

Illa vero miserabilis erat facies, cum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolverentur: mox eádem in se patienda alieni casus ostendebat exemplo] Distingue potius: *Illa vero mis. e. facies: cum ii, q. i. g. f. e. p. devolverentur, mox eadem i. e. p. a. c. ostendebat exemplo.* Ac forte scribendum *exemplum.* Porro similis plane locus octavo libro, quem hic adscribam ita quoque, ut distingui debet; nam et is laborat eadem parte: 'Multorum miserabilis fuit casus, quos ex præruptæ rupe lapsos amnis præterfluens hausit: triste spectaculum etiam non periclitantibus. Cum vero alieno exitio quid ipsis timendum foret admonerentur, in metum misericordia versa, non exstinctos, sed semet ipsos deflebant.' *Acidalius. Exemplum* habent Mss. Modius, et tantum non omnes editi. *Snak.*

§ 17 *Multati*] Alii *mutilati*, de quo semel dixi. *Modius.*

§ 18 *Subjectusque ipsis valles rimantes*] Hoc rectum visum est, cum in membranis legeretur, *subjectare ipsis valles rimantium;* in libris editis, *subjectasque ipsi valles rimantes.* Idem.

Fumum infra se revolutum, et os specus] Magna dexteritate emendavit ita hunc locum Palmerius meus, cum nihil nos hanc partem juvarent membranæ, et vulgo pessime ita legeretur, *fumum specus infra se ipsos evolutum notaverunt.* Modius. Modius, *evolutum et os specus.* Suspicor, scripturam veram, *fumum: specus infra se ipsum os evolutum.* Sententia, enisos in tantam altitudinem, ut ipsum quoque os specus esset longe infra eos, per quod fumus evolvebatur. *Scheffer.* Forte, *fumum specus infra se ostia evolutum notaverunt.* Heinsius.

§ 19 *Intellectum est*] Ms. unus *intellectam;* alii *intellecta;* omisso *est:* videntur fuisse, *Ex quo intellecto illam hostium latebram esse, hastis imposuere quod consenerat signum, &c.* Freinsh.

§ 20 *Conspectum ademisset*] Libri excusi, *conspectum oculorum ademisset.* Modius.

§ 21 *Internitente lucis*] Vulgo *tunc internitente.* Sigebergenses membranæ *nunc internitente.* Neutrum placet. *Modius. Nunc internitente*] Certissima hæc est lectio ex Mss. Contra illa quam vana, *dubitare cogebat varietas cæli, internitente lucis fulgore conditi.* Qui primus hunc locum corrupit, videbatur sibi, credo, acutule rem proposuisse: internitente lucis fulgore oculos fuisse præstrictos, ut cœlum intueri non possent, essetque lis pro condito. Sed ut largiamur ita fuisse, fatendum erit *varietatem*, quam cœlo tribuit Curtius, non congruere. At quanto melius Mss. *dub. cog. varietas cæli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito.* Plane vel unus hic locus (sunt autem plures hac ope restituti) efficiat, ut persolutum mihi credam laboris operæque, quæ in varias Curtii contuli, pretium. Ita suaviter depingit nobis rem ipsam, nec auditores modo, sed spectatores facit. Sic enim solet esse cœli facies, diluculo, crepusculoque, unde Latinis 'dubia lux' appellatur. Seneca Hippol. I. 1. 41. sic describit diluculum: 'dum lux dubia est, Dum signa pecum roscida tellus Impressa tenet.'

Digitized by Google

Sic apud Ovid. Met. XI. 597. 'dubiæ crepuscula lucis.' Sed et voci crepusculi eadem inest significatio. *Freinsh.*

Ostendi a tergo] Ut inde metus ei injiceretur, si videret alios superiorem tenere verticem, quod accidit. Simile exemplum in Livio IV. 22. et XXXII. 12. Thucyd. IV. 7. 18. ubi et Thermopylarum mentio. Sallust. Jug. c. 93. *Freinsh.*

§ 28 *Cophes admissus*] Iterum vulgo *Cophes ad eos missus:* pessime. *Modius. Admissus*] Verissima lectio unius ex Mss. *admissus.* nimirum in conspectum colloquiumque barbari: sic alibi hoc verbi eodem significatu in Curtio: mox eadem recte legi puto in recentioribus *petram traderet*, non *tradere;* consequenter etiam pro *mituro*, legam *initurus;* nam et eam vocem haud commodam hic esse, vidit etiam Sebisius, mutavitque *initurum*, non inepte. Mihi tamen etiam Ms. favere comperio. *Freinsh.*

Arimasi petram tradere] Mallet legere Cl. P. Burmannus *Arimazen*, quem vide ad Phædr. I. 15. *Snak.*

§ 27 *Ille quamquam verebatur, ne conspecta juvenum paucitate deturbarent eos barbari: tamen et fortunæ suæ confisus, et Arimazi superbiæ infensus nullam se conditionem deditionis accipere respondit*] Non sic aut scripsit Curtius, aut Cophes sensit. Qui enim suæ hic confideret fortunæ? partium suarum potius, et ipsius regis. Atque ita omnino lege, *tamen et fortunæ regis sui confisus.* Ita persæpe Noster, lib. III. 'Ignotum iter sine duce non audebat ingredi: felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi jussit.' *Acidalius.* Ita Acidalius: ego omnia alia, omniaque illa Curtii verba *ille quamquam*, &c. usque ad finem capitis, ad ipsum Alexandrum, non ad Cophen legatum Alexandri refero, scripturamque veterem omnium codicum et Mss. et vulgatorum servo, legoque *tamen et fortunæ suæ confisus;* in Alexandrum enim non in Cophen conveniunt. *Raderus. Ille quamquam*] Recte vidit Raderus, pronomen ad Alexandrum pertinere, quem jam adierint isti oratores. nam Acidalio, qui ad Cophen referebat, immerito suspecta fuit hæc lectio. *Freinsh.*

§ 28 *Verberibus adfectos*] Id enim solitum ante crucem ostendit Lipsius de Cruce II. 2. et 3. *Freinsh.*

Crucibus] Arrianus longe diversa a Curtio tradit; nihil enim de cruciariis, sed multas ibi multorum uxores et liberos captos, atque inter has etiam Roxanem, quam postea rex duxit in uxorem, Oxyartæ filiam, de qua Strabo lib. XI. Curtius VIII. 4. 25. et alii in Sysimithræ petra, longe alia ab hac, postea capta, prodiderunt. Arrianus omnia fere in unum contulit, et unum chaos confecit. *Raderus.*

§ 29 *Esset ei*] Melius, *quæ apposita est ei.* Acidalius. Posset tamen et vulgata lectio defendi, eadem ratione, qua defensa est supra VII. 5. 29. *Freinsh.*

Digitized by Google

LIBER VIII.

CAP. I. § 1 *Alexander*] Liber hic Curtii, ordine octavus, omnium longe nobilissimus, et rerum majestate admirandus, et argumenti varietate jucundissimus, et fortunæ casumque admirabilitate plane stupendus est. *Raderus.*

§ 4 *Et erant forte*] Elegantius hoc, quam vulgatum illud, *quæ erant forte campo junctæ.* Modius.

Ad insidias perduceret] Editiones, *ad insidias præda perduceret.* Modius. Priora Modius recte: ad finem imprudenter ejecit vocem, sine qua non constat integritas loci. Nos neque hunc mutilum, neque illam diutius exulem patiemur, et revocamus restituimusque ex edicto undeviginti libb. *ut improvidum ad insidias præda perduceret.* In membranis ipsius omissa si fuit, erat ei facile videre, qua omitti potuerit occasione. Verbi scilicet ultimi *perduceret* syllabæ primores eam hauserunt: in quarum faucibus ita tamen adhuc latet, ut conspici extrahique nullo negotio possit. *Acidalius. Præda*] Hanc vocem male a Modio ejectam restituit Acidalius. Sic apud Livium II. 50. 3. Fabiis 'pecora prædantibus aliquoties, velut casu incidissent, obviam acta,' &c. et apud eumdem XXVIII. 33. 3. arte Scipionis 'Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrere.' Sic Ibancus cum Græcis insidias eadem ratione collocasset, 'illis prædam rapientibus inopinatus advenit, et Protostratorem cepit.' Nicetas lib. III. de Alexio. Quibus locis omnibus, in simili narratione, *præda* vocabulum comparet. Sic et Anglos vicerunt Scoti An. Chr. MDXLV. Rer. Anglic. Annal. Interdum tamen contrarium evenit, ut ejusmodi insidiatores suis artibus caperentur. Sic apud Frontin. III. 10. 6. et 7. Viriatus Segobrigenses, Scordisci Lucullum 'Heracleæ duarum partium præsidio præpositum' (estne leg. *suarum*, an *duar. cohortium?*) 'deceperunt: quos pecora abigere simulantes, fugam deinde mentiti in insidias deduxerunt.' *Freinsh.*

§ 5 *Cum omnibus interemerunt*] Aliter paullo hæc Arrianus IV. 3. 9. ut ex collatione horum auctorum est cognoscere: non enim alia caussa eum advoco, quam ut moneam n. 10. apud eum legi: Καὶ ξὺν τούτοις Πείθων τε ὁ Ἀσσικλέους, ἐπὶ τῆς βασιλικῆς θεραπείας τοῖς ἐν Ζαριάσποις τεταγμένος· ubi primo velim τῆς ἐν Ζαριάσποις. Zariaspa enim erant Bactrianæ caput: consentaneum igitur tam ibi, quam in aliis præcipuis urbibus habuisse Alexandrum suam rem privatam, Curatoresque rei dominicæ, ut posteriora sæcula vocaverunt. Idque exemplo regis Persarum: cujus in omni imperio passim erant σταθμοὶ βασιλήιοι, sive *mansiones regiæ.* Herod. V. 52. nam de regiis per provincias sparsis supra ad V. 8. 1. dictum. Talis igitur ille Pithon fuit: non ergo numerandus 'in his, qui invaletudinis caussa ibi relicti erant,' quod fecerunt interpretes: sed credendum, præter eos, ibi fuisse Pithonem, et, qui adjicitur, Aristonicum citharœdum, qui quacumque de caussa ibi tum morari potuit. *Freinsh.*

§ 6 *Dahæ mille oppressi, quorum*] Dahæ enim omnium ferocissimi, quod Virgil. Æn. VIII. 'Indomitique Dahæ:' et Orosius III. 18. 'Chorasmos

Digitized by Google

et Dahas indomitam gentem in deditionem accepit.' Reliqui ergo fortunam tantorum virorum facile secuti sunt. *Loccen.*

§ 7 *Ibi Berdes, quem ad Scythas super Bosporum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit*] Diversitatem in nomine notamus. Berden hic missum ait: supra 'Penidam' appellabat, lib. VII. 'Ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quemdam misit ex amicis.' Quam diversitatem a corruptione, non dubium: dubium, utro modo, utro loco rescribendum. Idem enim nomen ex literarum quidem affinitate agnoscas. Nam *Berdes* et *Penides* quantillum scriptura differunt, sane si quis permutationes literarum noverit e veteribus manuscriptis. E Diodoro nihil ad correctionem opis, qui silet: ex Arriano item nihil, qui non unum, sed aliquot ex amicis, nominato eorum nemine, missos ait una cum legatis Scytharum dimissis. *Acidalius.* Menidem ex amicis ed eos Scythas, qui super Bosporum colunt, Alexander misit. Curt. lib. VII. 'Ad hos Scythas, qui Europam incolunt, Menidem quemdam misit ex amicis, qui denuntiaret his, ne Tanaim amnem regionis, injussu regis transirent. Eidem mandatum, ut contemplaretur locorum situm, et illos quoque Scythas, qui super Bosporo incolunt.' Quare, si quis est conjecturæ locus, pro *Berdes, Menides* legemus, cujus et Curtius lib. IV. meminit, et Arrianus unum ex Alexandri amicis fuisse auctor est. *Popma.* Codices alii *Berdes*, alii *Penides;* sed idem est qui supra lib. VII. itaque utrobique vel *Berdes*, vel *Penides* legendum. *Rader.* *Berdes*] Acidalius hic legit *Penides:* Popma *Menides*, ex VII. 6. 12. ubi nota nostra. Sabellicus in Enneadibus retinet *Berdes;* sed sequentia, *Scythas super Bosporum colentes*, falsi damnat, eo quod procul a Bosporo res tum gererentur. Quam tamen rationem haud esse magni ponderis, facile deprehendes inspecto superiori loco VII. 6. 12. *Freinsh.*

§ 8 *Phrataphernes*] Non recte hic a quibusdam confunditur cum alio cognomine Hyrcaniæ Satrapa, qui perpetuo in fide mansit, in quam hic jamprimum venit. *Freinsh.*

Præerat Choris, Massagetis] Hæc conjectura ductus ita restitui; cum antea sic legerentur: *Phrataphernes quoque, qui præerat Massagetis et Dahis regionum confinio adjunctus miserat, qui facturum imperata polliceretur.* Non recte, ut apparet; itaque audi membranas, *Phratafernes quoque qui Choras præierat Massagetis et Dahis regionum confinio adjunctus miserat, qui facturum imperata pollicerentur.* Nunc vides opinor, quid utrimque fugerim, quid secutus fuerim. *Modius.* Qui (malum) sunt isti *Chori:* extra omnem chorum in Utopia nati et fabricati. Nullam ego hoc nomine gentem apud ullum Geographum aut Scriptorem lego. Modius novus Prometheus novam gentem e cerebro finxit, in exemplaribus antiquis, imo etiam in novis quibusdam, et nuper apud Allobroges evulgatis 1618. Modius e Ms. hos formavit. *Choras* etiam Constantiensis Ms. habet, sed mendose. Ego Modii emendationem omnibus aliis mendosiorem censeo. Primum quia *Chori* nulli sunt; deinde si conjungas has tres gentes hoc ordine, *Choris, Massagetis et Dahis confinio adjunctis*, quæro quibus fuerint adjuncti? legendum potius *conjunctis*, servo tamen *adjunctis*. Sed ordinem verborum commuto, totumque locum hoc modo recognosco et colloco: *Phratafernes quoque, qui Chorasmiis præerat, Massagetis et Dahis confinio adjunctis miserat, qui facturum imperata pollicerentur:* ut sententia sit, Phratafernes, qui Chorasmiis præerat, adjunctis etiam ob confinium Massagetis et Dahis, miserat, qui pollicerentur im-

Digitized by Google

perata facturum. Rescripsi autem *Chorasmiis* pro *Choris*, quod Chori, ut dixi, nulli sunt, sed Chorasmii Dahis et Massagetis vicini. Strabo lib. XI. τοῦ δὲ τῶν Μασσαγετῶν καὶ Σακῶν ἔθνους καὶ οἱ Ἀττάσιοι, (sive ut Casaubonus emendat Αὐγάσιοι) καὶ Χωρασμουσινοὶ (Χωράσμιοι recte legit Casaubonus) εἰς οὓς ἀπὸ τῶν Βακτριανῶν καὶ τῶν Σογδιανῶν ἔφυγε Σπιταμένης. Cum ergo in membranis apud Modium, et Mss. aliis legas *Choras*, pro *Chorasmiis*, facile comprehendis ex ipso compositionis ordine, deperditas esse duas ultimas syllabas, legendumque *qui Chorasmiis præerat*. Ceterum cum Sogdianis, Parthis et Gandariis etiam Herodotus conjungit Chorasmios lib. III. *Raderus*. *Chorasmiis*] Cur non amplectar hanc vocem, ex Mss. satis feliciter erutam a Radero? Nam illi, Modiani inquam, et Constantiensis, habebant, *qui Choras præierat Massagetis et Dahis regionum confinio adjunctus, &c.* Quam quidem scripturam etiam in ultimo vocabulo retinui. Sensus: Debellatis Massagetis et Dahis, finitimis eorum Phrataphernes, qui Chorasmiis præerat, misit legatos. Porro firmatur mentio Chorasmiorum hoc loco etiam ex Strabonis lib. XI. in quo tradit, ad eos quoque inter istas turbas confugisse Spitamenem, ut ita illi quoque ejus caussæ illigati, transiturum ad se belli incendium missa legatione auteverterint. *Freinsh.*

§ 9 *Regis sui filium*] De hac loquitur Plutarchus cap. 181. Hunc autem potius regulum quemdam Scytharum fuisse consentaneum est; quam regem: ut omnia in majus efferentes Macedones vocaverunt. Nam certum est, 'maximas illas Scythicas gentes formidatasque cunctis majoribus, Alexandro quoque illi magno, sicut Pompeius, Corneliusque testati sunt, evitatas.' Hist. Misc. 12. 19. *Freinsh.*

Regum regem] Illud *regum* in editionibus non est, sed est in membranis; et ita solent appellari reges barbari, qui pluribus regibus dominarentur. *Modius.*

§ 10 *Bazaria*] Nusquam extra Curtium hanc regionem apud ullum scriptorem reperio; neque enim est Bazira Arriani IV. 5. 11. *Raderus.* In elencho capitum lib. XVII. Diodori Siceliotæ (nam pars illa libri intercidit) ita hæc historia narratur: περὶ τοῦ ἐν Βασίστοις κυνηγίου, *de venatione in Basistis.* quodcumque loco nomen est, videtur Sogdianæ pars, vel finitima quædam regio fuisse. *Cellar.*

§ 11 *Greges clusi*] Admonendum non erat, et tamen admoneo, hic quoque vulgo *clausi* esse. Sed sic poëta nescio quis, 'clusus atque hostem tremens.' *Modius.* *Clusi*] *Clausi* vulgares, chirographæ chartæ *clusi*, i. e. circumdati: neque vox est quæsita aut affectata, sed ἀδιαφόρως ab optimis scriptoribus tam poëtis quam oratoribus usurpata, a Cicerone, Varrone, Justino, aliis. *Raderus.* *Ferarum greges clausi*] Vide Brisson. de Regno Persar. lib. I. p. 53. Apud Romanos 'Vivaria aprorum, ceterorumque silvestrium, primus togati generis invenit Fulvius Lippinus, qui in Tarquiniensi feras pascere instituit, nec diu imitatores defuere L. Lucullus et Q. Hortensius.' Plinius VIII. 52. qui tamen IX. 56. eumdem appellat 'Fulv. Hirpinum,' quod præfero. *Freinsh.*

§ 13 *Quatuor ætatibus*] Qui longissime ætatem finiunt, 'sæculum' interpretantur. Ovid. Met. XII. 187. 'vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas.' Qui brevissime XXX. aut paullo plures annos tribuunt. Herodian. III. 8. Αἰωνίους τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι. *Seculares* (ludos) *decurso trium spatio ætatum celebrari.* Cellar.

§ 14 *Incurreret*] Forte, *occurreret*. Heinsius.

Digitized by Google

Qui postea regnavit proximus Alexandro] Vitiosa distinctio, id est punctuli unius omissio, sensum gignit a re prorsus alienum. Neque enim hoc vult dicere, proximum ab Alexandro regnasse, sed in venatu proximum stetisse regi, qui postea regnarit, Lysimachum, et hinc defendendo ei venabulum leoni objecisse. Virgula igitur interstingues hæc verba, *qui postea regnavit, proximus Alexandro* ven. Quomodo nunc video disertum exstare in quibusdam vulgatis. *Acidalius. Qui postea regnavit*] Eadem verba infra IX. 5. 21. de Ptolemæo recurrunt: utrobique suspecta habet Sebisius, cui non adsentior: qui sciam, et aliis ab auctoribus viris illis hunc characterem apponi. Arrian. V. 2. 17. Λέλευκος τῶν ἑταίρων, ὁ βασιλεύσας ὕστερον. Plutarch. Alexand. cap. 69. Θάις ἡ Πτολεμαίου τοῦ βασιλεύσαντος ὕστερον ἑταίρα. Suidas in Μαρσύας, ἀδελφὸς Ἀντιγόνου τοῦ μετὰ ταῦτα βασιλεύσαντος. *Freinsh.* In Thracia regnavit, ubi Lysimachiam in faucibus Chersonesi condidit. et aliquando etiam in Macedonia regnavit. *Cellar.*

Tam a semet uno] Paullo venustiora hæc omnia, quam illa, quæ in impressis libris leguntur: *Tam a semet, quam a Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam, cum veneretur in Syria, occiderat eximiæ magnitudinis feram, &c.* Modius.

§ 15 *Ad ossa laceratus*] Unde Plutarch. in Demetrio cap. 34. 'Venerunt ad Lysimachum aliqui ab Demetrio legati, quibus ille per otium altas in cruribus et brachiis suis leoninorum unguium cicatrices ostendit, exposuitque suam cum leone pugnam, quam ab Alexandro rege (vides in hoc differre a Nostro) cum illo conclusus conseruerat.' *Freinsh.*

§ 17 *Fabulam*] Plinius, Val. Max. et Justinus hanc ut veram historiam referunt. Justinus auctor est, cum Lysimachus venenum Callistheni in remedium calamitatum dedisset, id adeo ægre Alexandrum tulisse, ut objici eum ferocissimo leoni juberet, ad cujus conspectum cum leo impetum fecisset, Lysimachum manum manipulo involutam in os leonis immersisse, arreptaque lingua feram exanimasse. Plinius a Lysimacho Alexandri jussu simul luctuoso strangulatum leonem tradit: quod quum nunciatum Alexandro esset, admiratio in satisfactionem cessit, carioremque eum propter constantiam tantæ virtutis habuit. Vide Plin. VIII. 16. Val. Max. IX. 3. et Justin. lib. XV. *Popma. Fabulam*] Tamen in hac opinione sunt Justinus XV. 3. 7. et Plinius VIII. 16. 27. Val. Max. IX. 3. 1. ext. citati a Popma ad h. l. quibus adde Senecam de Ira III. 17. 3. et de Clem. I. 25. 1. et ibi. Lipsium. Zosimus in Analectis Dacic. pag. 39. et Lazius pag. 447. m. rem firmant numis Lysimachei I. 5. qui adhuc inveniuntur. Pausanias l. I. ita scribit: 'Alexander ira incensus Lysimachum in eamdem cum leone cavcam conjici jussit: sed cum ab eo feram exanimatam intellexisset, admiratione virtutem ejus prosecutus est.' His adstipulari credas Æmilium Probum in Lysimachi vita, si Patricium Senens. I. 11. sequaris: mihi quidem vitam Lysimachi Probo scriptam numquam videre contigit. *Freinsh.*

§ 18 *Gentis suæ more*] Insane turbant hic membranæ, et ita ut ipsarum discrepantes et delirantes scripturas nec libeat recensere, nec vero etiam, cum recta haud dubie sit vulgata lectio, opus sit. *Scivere* verbum non intellectum librariis errorum origo fuit. *Modius. Scivere*] Decreverunt, a 'sciseo.' Cic. Off. III. 11. 'Durius Athenienses sciverunt, ut Æginetis pollices præciderentur.' Idem de Provinc. Consul. cap. 15. 'Simul ostendit, eam se sciscere legem.' Et pro Flacco cap. 7. 'Quæ sciscerat

Digitized by Google

plebs, aut quæ populus juberet.' *Cellar.*

Ne pedes] Forte, *nemo pedes.* Heinsius.

Aut sine] Restitui locum interpositæ particulæ dividente; nam Pal. 1. habebat *haud sine*; duplex ergo fuit Macedonum scitum: ne pedes venaretur, neve sine delectis amicorum: ex vulgata lectione male interpolata nasceretur sensus, prohibitum venari peditem sine amicis, equitem venari licuisse. *Freinsh.*

Ille IV. m. ferarum dejectis in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est] Iterum peccat interpunctio, quæ debet esse hæc: *dejectis, in eodem saltu, &c.* sed observa non proculcatum usum verbi 'dejicere,' qui et lib. III. omnis ætatis ac memoriæ clarissimum 'regem non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed,' &c. et apud Horat. 'mittite nam tuo Drusus Genaunos, implacidum genus, Brennosque veloces et arces Alpibus impositas tremendis Dejecit acer plus vice simplici.' *Acidalius.* Phædrus II. 1. 'Super juvencum stabat dejectum leo:' ubi plura verbi hujus exempla congessere viri doctissimi.

§ 20 *Hic erat*] Nomini Cliti subjungit hoc γνώρισμα, ut dignosceretur ab aliis Clitis ejus coætaneis. Fuit enim Clitus Bardylei filius, qui inter initia Alexandri desciscit a Macedonibus, apud Arrian. I. 2. 1. Fuit et alius cognomine *candidus*, ὁ λευκὸς καλούμενος, homo supra modum arrogans et elatus, apud Athenæum XII. 9. Ad quem fortasse pertinet, quod Plutarch. de Fort. Alex. II. 12. scribit, paucis Græcorum navibus depressis Neptunum audire voluisse: nam ad Curtianum sane non pertinet, qui nec Alexandro superfuit; nec ante vel sub eo tam immanis arrogantiæ fiduciam, aut occasionem habere potuit. Ad illius autem differentiam noster ille Dropidis filius videtur dictus *niger*, ὁ μέλας, apud Diodor. XVII. 20. unde sic apud Plutarch. in Vita Alex. cap. 26. olim notavi legendum, quo loco nunc exstat ὁ μέγας. Aliis vitiose scribitur *Clytus*, ut Dressero Millen. IV. pag. 340. qui etiam in tempore errat. *Freinsh.*

Nudo capite] Nempe galea priori ictu jam perfracta. Vide Plutarch. cap. 25. Cujus, ut et Arriani Diodorique dissonantias qui cognoscere volet, ab ipsis petere poterit. *Freinsh.*

Rhœsacis manum amputavit] In prælio ad Granicum amnem Rhœsaces ad vindicandam Mithridatis, Darii generi, mortem in Alexandrum invectus, securi caput ejus petiit, sed galea nonnihil disrupta ictus fefellit. Ad ictum illum Alexander statim hominem gladio transfixit. Huic tum Spithridates pari furore successit; qui jam Alexandro a tergo imminens ictum quoque intentarat, nisi a Clito brachium ei demente prohibitus esset. Hunc autem Spithridatem a Clito repulsum Darii generum facit Diodorus, cum Arrianus Mithridatem faciat. Videtur ergo Diodorus confundere Mithridatem cum Spithridate, et reponendum in Diodoro Μιθριδάτης pro Σπιθριδάτης vel Σπιθριδάτης. Sed in hoc non convenit Arriano cum Diodoro, quod Diodorus dicat Clitum Rhœsacis, Arrianus Spithridatis brachium amputasse. Arrianus tamen verius, ut puto, et rectius. *Locum. Rhœsacis manum amputavit*] Rhœsacen ipse rex confecit: Spithridati fratri ejus, idem facinus audenti, Clitus manum præcidit. Arrian. lib. I. Diod. Sic. XVII. 20. *Cellar.*

§ 21 *Hellanice, quæ Alexandrum educaverat, soror ejus, haud secus quam mater a rege diligebatur*] Verum hoc sine controversia nomen, quod in Arriano capite diminutum. *Lanicen* enim vocat, non ipsius puto, sed exscriptorum vitio: quod, necdum ab aliis animadversum, meo indicio emendetur. lib. IV. Καὶ τὴν Κλείτου μὲν ἀδελφὴν,

Digitized by Google

αὐτὸν δὲ ἀναθρεψαμένην, Λανίκην, τὴν Δρωπίδου παῖδα, ὡς καλὰ ἄρα αὐτῇ τροφεῖα ἀποτετικὼς εἴη ἀνδρωθείς. Ubi pariter in Clyti nomine scripturæ diversitatem notas, quæ et alibi in Arriano, tum Plutarcho simul et Diodoro perpetua ista per ει, non υ. *Acidalius.* *Hellanice*] Clitî sororem *Lanicen* vocat Ælianus de Var. Hist. XII. 26. quomodo et Arrianus IV. 11. 12. Athenæus vero 4. 1. *Lacnicnen*; ubi refert Proteam, ex Proteo filio illo Lacnicnæ oriundum, quæ Regis Alexandri fuit nutrix, fuisse valde bibacem. *Popma.* Ego ita sentio, Hellanicen fuisse vocatam fortassis a victoria aliqua, quam quidam priorum Macedoniæ regum de Græcis reportaverit. idque nomen postea, seu more gentis, (quod hodie nobis Græcisque etiam est usitatissimum) seu quo alio casu, capite minutum fuisse. Celebratur et ejusdem etymi historicus Hellanicus, quem Stephanus de Urbibus, aliique citant. *Freinsh.*

Validissimum] Nulla enim pars Asiæ toties contra præsentem victorem rebellavit, eumque tamdiu detinuit. *Cellar.*

§ 23 *Apud Chæroneam victoriam sui operis*] In hac pugna Alexander primus in Thebanorum cohortem, quam sacram vocabant, impetum fecit, annum agens præterpropter decimum sextum, ut Plutarchus auctor est, qui addit, adhuc sua memoria ibi stetisse prope Cephisum annosam quercum, 'Alexandrinam' dictam: quod ad illam tetenderat Alexander. *Loccen.* *Apud Chæroneam*] Revolve Supplem. I. 6. *Cellar.*

Ademptam sibi gloriam] Ibidem n. 7. *Snak.*

§ 24 *Consternationis*] Vide VII. 10. 13. *Cellar.*

Se corpus ejus protexisse] Hujus tamen rei non meminit Diodorus lib. XVI. ubi de hoc prœlio agit; sed ita: Patrem primo solum congredi passum filium cum hoste; ut virtutis suæ specimen ederet. Postea Philippum, ne sibi Alexander victoriæ titulum solus vendicaret, strenue manu cum hoste conserta superiorem evasisse. *Loccen.*

§ 25 *Itaque post expeditionem*] Reliqui historici hoc referunt factum jam defuncto Philippo. Illyrios enim subegisse Alexandrum, cum a patre per caussam mortis ejus defecissent. Nisi fuerit, quum Alexander ad avunculum in Epirum, et inde in Illyrios se contulit profugus a patre propter odium paternum. Expostulaverat enim cum patre, quod Cleopatram in matrimonium suscepisset, veritus scilicet ex noverca æmulum regni, unde pareus indignatus gladium in eum strinxerat. Sic Alexander patris iram declinans ad Illyrios se recepit. Justinus et Plutarchus fuse referunt. *Loccenius.*

In Illyrios] Non potest sentire Curtius de bellis post Philippi mortem ab Alexandro contra Illyrios gestis: multo minus de ejus profectione in Illyricum; quo tempore cum patre simultatem exercuit. Nec sane alia ejus reperiuntur ibi gentium bella. Nisi forte capiendum hoc de expeditione in nescio quos Medaros, quibus hærente ad Byzantium Philippo bellum clademque intulit: quamquam id videatur accidisse ante Chæronense prœlium: Curtius autem victos Illyrios dicere post illud. Plutarch. Alex. cap. 14. vide. *Freinsh.*

§ 26 *Laude dignos*]. Mss. *laude de dignos.* Forte, *laude demum dignos.* Heinsius.

Samothracum initia] 'Fama est in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, quum esset ipse tum adolescens, illam item puellam parentibus orbam amasse,' &c. Plutarch. Alex. cap. 11. De eo tempore, opinor, Alexander hic loquitur. Pater enim ipsius ea ætate hæc egerit, qua hic res maximas jam gesserat. *Freinsh.* Mysteria antiquissima, quæ

Digitized by Google

tam olim in hac insula fuerant, tum per Jasionem Jovis ex Electra filium; ita renovata et perfecta, ut toto orbe, non minus ac Eleusinia, celebrarentur. Diodor. Sic. l. v. c. 48. Hisce mysteriis etiam Philippus cum Olympiade initiatus erat. Plut. Alex. quod in ipso filius reprehendit, quasi indignum magnitudine regia, quam majora facta, et amplæ victoriæ deceant. *Vivere* autem *mysteria* est quod Græci dicunt ἐνοπτεύειν μυστήρια. Scaliger Emend. T. p. 748. Cellar. § 25 *Euripidis retulit carmen*] Ex Androm. Euripidis Clitus hos iambos retulit, ut testatur Plutarch. in Alex. *Οἴμοι, κατ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται· Ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσαι στρατὸς, Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε, Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἁρπάσας, Ὃς εἷς μεν' ἄλλων μυρίων πάλλων δόρυ, Οὐδὲν πλέον δρῶν ἐνὸς, ἔχει πλεῖω λέγων. Hei mihi! quam male lege statutum in Græcia, Ut si quando tropæa de hostibus statuit exercitus, Non eorum, qui laborem subierunt, arbitretur hoc opus; Sed belli dux existimationem et gloriam eam percipit, Quamvis unus tantum sit cum aliis multis hastam vibrans, Non plura quam unus faciens, habens tamen multorum laudem.* Quorum sensum parum efficaciter Curtium expressisse doctus quidam vir existimat, qui non animadvertit *intercipi* hic significare totum capi, ut exponit Donatus in illo Terentii Eun. 'quod nos capere oportet, hæc intercipit.' *Popma. Euripidis carmen*] Ex Euripidis Andromache, versu 692. sunt verba Pelei. Ceterum hoc Cliti judicium refutat Gruterus Discurs. in Tacit. cap. 1. § 6. et cap. 32. omnia ex principis fortuna pendere demonstrans, qua de re et supra dictum ad III. 2. 1. Locum eum Euripidis allusit (judicio Victorii Var. Lect. XXVIII. 22.) Cicero pro M. Marcello cap. 2. 'Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militis, ne propriæ sint imperatorum.' Certius autem Julianus in Cæsaribus, in examine Alexandri: 'Non enim, sicut in ædificationibus, quæ publicis impensis fiunt, accidit, quibus aliorum opera et sumptu ad exitum perductis, opus alterius, qui ei præest, nomine inscribitur, licet in ejus confectione minimum laboris impenderit, ita isti aliena egregia facta sibi adscripserunt.' Aperte autem illo ejusdem scripti festivissimo loco, ubi Alexander ait se Mallorum urbem diruisse: 'Minime vero tu beste, inquit Silenus, quippe jacebas quemadmodum Hector ille Homericus, sensim deficiens, et animam agens; alii vero pugnabant et vincebant. Nempe nobis ducibus hoc fiebat, inquit Alexander. Qui fieri poterat, inquit Silenus, ut te sequerentur, cum parum abesset quin mortuus esset?' Deinde ex Euripide hæc eciuit: 'Male quam positum est in more apud Græcos! Cum exercitus tropæa de hostibus ponit,' &c. Adhæc Dionysius: 'Desine,' inquit, 'o patercule, ista loqui, ne te eodem iste, quo Clitum, malo afficiat.'' Jacobus Nicolaus Loënsis Miscel. Epiph. v. 17. sugillat Curtium, quod hunc locum Eurip. male expresserit: sed ille, judicio Popmæ, non animadvertit *Intercipi* hic significare totum capi, ut exponit Donatus in illo Terentii Eunucho I. 1. 'quod nos capere oportet, hæc intercipit.' *Freinsh.*

§ 29 *Nomina inscriberent*] *Inscriberentur* vulgo. Porro versuum, quibus hoc dicitur, habes initium apud Plutarchum in vita Alexandri, et est tale: *Οἴμοι, κατ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται* reliquos petendum censeo, aut ex ipsius Euripidis, cujus mihi hic jam codex ad manum non est, Andromache, aut ex XXVIII. 22. Variarum Lectionum P. Victorii, ubi etiam Ciceronis illud in eamdem sententiam ex oratione pro Marcello adducitur, 'bellicas laudes communicari cum

Digitized by Google

multis.' *Modius. Regum nomina*] Regum vocabulo etiam ceteros imperatores intellige: falsum enim, regum tantum, non etiam aliorum prætorum nomina tropæis inscribi. Unicum ex plurimis exemplis adducam, alias etiam observatu dignum. Polybius II. 2. &c. narrat, cum Ætoli Mydionios obsidione premerent, jamque dies instaret, qua novum prætorem creari oporteret, eum qui hactenus res administrasset petivisse, 'ut capta urbe, et prædæ administratio, et armorum (tropæi) inscriptio sibi tribueretur:' alios, maxime qui eum honorem peterent, contra nisos, æquum censuisse, ut ejus illud decus foret, quo imperante occupari urbem contingeret: tandem placuisse 'Ætolis, ut futurus Prætor jus prædæ administrandæ, et arma inscribendi, cum priore communicaret.' Interim insperato subsidio liberati Mydionii, cum Ætolos cum clade rejecissent, tropæumque de iis statuere vellent, cognito eorum consilio, itidem decreverunt, ut et præsentis Ætolorum prætoris nomen exprimerent, et successoris ejus. *Freinsh.*

§ 31 *Senioresque*] *Senesque* vulgo, quod non notassem, nisi ejus occasione Justini locum emendare in animo esset. lib. XI. ait: 'Et reges stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit, seniores ad tutelam regni relinquit:' ubi non *seniores* sed *segniores* omnino legendum, qui non credet, eum ego non miror, si de ceteris meis conjecturis dubitabit; nam quo pacto ibi poterit habere locum vox 'seniores,' cum post pauca sequatur in eodem Justino: 'Cum ad tam periculosum bellum exercitum legerit, non juvenes robustos, nec primum florem (sic enim hic quoque legendum est, non ut vulgo, *primo flore*) ætatis, sed veteranos plerosque etiam,' &c. *Modius. Juniores senesque*] Juniores pro Alexandro ejusque rebus gestis pugnabant, seniores pro Philippo; quovis ad suam ætatem summam gloriam trahente: et sane non facile dictu fuerit, quorum sententiæ standum putes. Pro iis quæ mox sequuntur, *orta contentio est et Rex*, melius rescribas ex manuscr. *orta contentione rex, &c.* Freinsh.

§ 32 *Eorum omittente*] Si me audis, scribes, *nihil eo remittente.* Acidalius. *Nihil eo remittente*] Sic olim legit Acidalius; quo nec viso idem conjecimus: et Raderus expressit. Ceterum assentior Plutarcho cap. 71. de Discrim. Adulat. et Amici: 'Non tam ebrietatem fecisse, quod ita graviter commotus Cliti objurgatione fuerit Alexander, quam quod multis coram testibus eam usurpavit:' si tamen addas, quod Curtius hic notat, obstinatam ejus pervicaciam, et continuationem odiosissimæ cantiunculæ. *Freinsh.*

§ 33 *Thebarum excidio*] Quod memorant Plutarchus in Alexandro cap. 20. et Demosthene cap. 32. Arrianus I. 3. 15. Polybius IV. 23. Justinus XI. 4. 7. Diodorus XVII. 9. &c. *Freinsh.*

§ 34 *At victoriæ majus præmium*] Membranæ, *at cum victoriæ arbitrium magis præcipuum fuerunt, &c.* unde qui nostra meliorem lectionem eruet, hic erit mihi magnus Apollo. *Modius.* Apollo igitur ego, qui erui, nam magnus audire non affecto, cui satis hinc Apollinem factum. Extra jocum, non tibi videor egregie vestigia secutus ejus scripturæ? *At cum victoriæ arbitrium* (vel *arbitrum*) *agis, præcipuum ferunt præmium, qui procacissime patris tui memoriæ illudunt.* Ita mihi credas, lector, ita faveas novo vati, ut hæc verior omnino, non tamen melior lectio; de qua judices tamen omnes cupio legitimos Apollinis veri Mystas. *Acidalius. Quum vict. arb. agis*] Recepi omnino lectionem Acidalii, quam ex membranis eruit, quæ sic habebant: *At cum victoriæ arbitrium magis præcipuum fuerunt;* unde Mo-

Digitized by Google

dius fecit, *At victoriæ majus præmium ferunt*, quem deinde secuti sunt editores: ego cum Radero sequor Acidalium. *Freinsh.* Sic supra VI. 1. 19. 'Antipater, qui probe nosset spiritum ejus, non est ausus ipse agere arbitria victoriæ.' IV. 4. 12. 'Occupant liberum mortis arbitrium.' *Snak.*

§ 35 *Mihi adtribuis*] Ut mos principum invisos sibi periculis objectandi. Vide Grut. Disc. in Tacit. cap. 35. *Freinsh.*

Toties rebellem] Ter rebellaverat, antequam Alexander Indiam ingrederetur. In summariis lib. XVII. Diod. legitur Σογδιανοὺς τὸ δεύτερον ἐχειρώσατο, et mox ἀπόστασις τρίτη Σογδιανῶν. *Cellar.*

§ 36 *Atharias*] In hoc quoque nomine variatur. Ne de aliis dicam, in Nostro 'Adarchias' lib. v. scribitur: 'Primus omnium virtutis causa donatus est Adarchias senior.' Sunt et alia consimilia his nomina, quæ nescio an unius omnia eadem: lib. VII. initio 'Apharias' quidam, lib. VI. 'Atarras' alius nominatur: in quibus non abest, quin confusio aliqua sit ac turba. *Acidulius. Atharias*] Diodorus XVII. 27. in genere veteranis hoc tribuit. De nomine Athariæ dictum supra ad v. 2. 5. est et Atarras supra VI. 8. 19. quem pro eodem hoc nomine habeo. *Freinsh.*

§ 37 *Avunculum tuum*] Alexandrum Epiri regem intelligit, cui cognomentum Molosso (hoc est Epirotæ) fuit. Is bellum pop. Romano facturus, cum in Italiam transiret, dixit se quidem ad Romanos, quasi in ἀνδρωνῖτιν, Macedonem ire ad Persas, quasi in γυναικωνῖτιν, ut tradit A. Gellius XVII. 22. *Popma.* Dictum id Alexandri etiam alludit prior Curtio Livius IX. 19. 11. 'Næ ille sæpe, etiamsi prima prospere evenissent, Persas et Indos, et imbellem Asiam quæsisset, et cum feminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso juvene cum sua conferentem.' Jamdudum enim Græcis innotuerat, homines Asiaticos molles et ignavos esse. Ergo apud Lucian. in Dialog. 12. Mortuorum, Hannibal; item Dialog. 14. Philippus pater objiciunt Alexandro facilem ex imbelli genere victoriam; quorum hic etiam Clearchi exemplum suggerit, quo duce decem millia Græcorum ingentes barbarorum copias propulsaverint, quam rem Xenophon secundo et seqq. libris Ἀναβάσ. prolixe et disertissime narrat. Sed et jam ante ad Thermopylas Xerxis 'agmina palam fecerunt, se quidem multos homines esse, at paucos viros.' Herod. VII. 210. quod dictum paucis mutatis ipsi Xerxi tribuit Front. Strateg. IV. 2. 9. Feminarum autem vocabulo imbelles et timidos notant, quod eas natura his ingeniis corporibusque fecerit. Silius XIV. 130. de Siculis Romano militi occurrentibus: 'Femineum credas maribus concurrere vulgum.' Inde legitur Sesostris Ægypti rex, domitis longe lateque gentibus, tropæa in quibusque finibus erexisse, membris maribus insignia, ubi fortiter repugnatum esset; alia femineis. Herodot. II. 102. Inde contumeliæ caussa viroram nomina frequenter detorta reperiuntur in muliebrem terminationem: in qua re constitisse Messalini scomma in C. Cæsarem, ut nimirum *Caium Cæsarem* pro *Caia* vocaverit, haud vana, ni fallor, conjectura deprehendi ad Tacitum VI. 5. 1. Quem locum quasi data opera luculentissime exponit par Luitprandi acumen in eunuchum exercitui Græco præpositum, in ejus legatione ab Othonibus ad Nicephorum: 'Cui exercitui, ut puto, ad contumeliam vestram, hominem quandam, sed quandam eo dixi, quia mas esse desiit, mulier fieri non potuit, præposuit.' Ubi vides idem latere in his

Digitized by Google

verbis ita conjunctis 'homo quædam;' quod in illis Messalini 'Caia Cæsar:' illaque Taciti, 'quasi incertæ virilitatis,' paullo pluribus hic explicari. Sic apud Josephum Antiquit. XIV. 28. Sosius regem Judæorum pro 'Antigono' vocat 'Antigonam:' apud Simocattam III. 8. Varamus Hormisdæ dux, a quo missis femineis vestibus pavoris insimulatus fuerat, regi suo par referens, eum in epistolæ 'superscriptione Chosroæ non filium, sed filiam, infami irrisione nominat.' Ejusdem farinæ est ingeniosum apud Ciceronem de Orat. II. 68. 'Cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset, Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu et lana? Non pol, inquit, audeo: nam me ad famosas vetuit mater accedere.' *Freinsh.* Sunt tamen qui tam Nostrum, quam Gellium et Justinum Hib. XII. parachronismi insimulant, quasi Epirotæ expeditio ante Macedonis Asiaticam contigerit, quod ex annis per consules a Livio designatis eliciunt. Vide Ortelium et Proustium in citatum locum Gellii. Addunt Plut. de Fort. Rom. I. extr. cujus sententiam ad X. 1. 18. adnotabimus. *Cellar.*

§ 38 *Temere jactis*] Littera una addita explevi posteriorem vocem, cum antea legeretur, *temere actis.* Parum, ut mihi sane videbatur, arbitror, et tibi, lector, recte. *Modius. Temere jactis*] Ita melius cum quibusdam Mss. quam cum vulgo, *actis.* Freinsh.

§ 39 *Rex pressit*] Inclementer abjecerunt voculam *rex*, quam adjungi verbo sequenti æquius erat, ut *repressit* scriberetur. *Acidalius.*

§ 40 *Jurgantes*] Nihil hic jurgio loci: substituo *urgentes.* Acidalius. Optime juncta sunt hæc, *jurgantes monentesque;* nec adsentior Acidalio rescribenti *urgentes.* Freinsh.

§ 41 *Violentiam*] Adblanditur quidem nonnullorum Mss. lectio, *vinolentiam*, quam deinceps editiones invasit; sed recte restituit Freinshemius *violentiam*, licet ejus non admoneat: sic enim paullo ante describitur n. 34. 'Non vino modo, sed animi prava consuetudine.' *Snak.*

Defensum] Monet hic locus, ut in hac historia corrigam insignem illam Orosii III. 18. Clitus 'cum in convivio, fiducia amicitiæ regiæ, adversus regem, sua opera patri Philippo præponentem, memoriam patris tueretur, ab offenso frustra rege venabulo transfossus, commune convivium moriens cruentavit.' Vides in nonnullis diversum abire a Curtio; tum omnia in Alexandri invidiam intendere. Sed ista mitto: illud autem, 'ab offenso frustra rege,' ineptum est: fuit, 'ab defenso;' quod mutavit, qui historiam defensi ad Granicum ab Clito regis hic tangi non animadvertebat. *Freinsh.*

§ 42 *Attali eædem*] De hoc Attalo in supp. I. 7. 8. et de cæde ejus n. 10. Item ad VI. 9. 18. diximus. *Cellar.*

§ 43 *Quantum vix sobrius*] Ὅτι δυοῖν κακοῖν ἐν τῷ τότε ἡττημένον ἐνέδειξεν αὐτὸν, ὀργῆς τε καὶ παροινίας. *Quod se tum temporis duobus vitiis obnoxium declaravit, iræ et ebrietati.* Arrian. lib. IV. *Cellar.*

Enimvero olim mero sensibus victis] Τὸ *olim* observandum poni hic pro præsenti tempore: habet hæc vox variam significationem, et nunc pro longi temporis intercapedine, nunc pro *ante*, ut hic, etiam accipi, et infra cap. 12. potest: jam ante ebrius: nunc pro nuper, nunc pro futuro. Quarum significationum exempla et testimonia compluria lexicographi adducunt, quos videbis. *Raderus.* Mss. *enimvero olim mero:* bene; ut VIII. 5. 22. 'Elicuitque iram Alexandri, quam olim capere non poterat.' Et ibid. 6. 1. 'In Callisthenem olim contumaciæ suspectum pervicacioris iræ fuit.' *Heinsius.* Vide ad IV. 7. 1.

Digitized by Google

Mirandum est, hanc vocem sine ulla admonitione a Freinshemio hic prætermissam, quum ejus in Indice meminerit, ut etiam hic ita legisse videatur. Ideoque nos revocavimus. *Snak.*

§ 44 *Quam tanto*] *Quam tacito* membranæ; minus recte. *Modius.*

§ 51 *Clitum esse et convivio exire*] Aristobulus apud Arrian. Clitum in culpa fuisse asserit, quem cum per portam trans muros et fossam arcis Ptolemæus Lagi repente subduxisset, denuo reversus, ac se Alexandro illum inclamanti nomine offerens: 'En tibi Clitum, quem petis, o Alexander,' inquit. Meminere hujus cædis Cicero lib. IV. Tusc. Qu. et Senec. de Ira lib. III. 'quæ Alexandrum,' ut Val. Maximi verbis utar, 'propemodum cœlo diripuit, qui, victor omnium, vino et ira victus est.' *Popma.*

§ 52 *Hasta transfixit*] Orosius III. 18. 'venabulo transfossum' facit; quidam apud Arrian. IV. 2. 9. 'hasta,' alii 'sarissa:' Seneca de Ira III. 22. 8. 'lancea.' Plutarchus cap. 92. ἀλχμῇ vocat. Sed δοράτιον Lucian. in Dial. Mortuor. XIV. *Freinsh.*

I nunc] Irrisionis formula. Virg. Æn. VII. vs. 425. 'I nunc, ingratis effer te irrise periclis.' Seneca Ep. 88. 'I nunc, et vitam longam esse nega.' *Cellar.*

Ad Philippum] Pal. 1. una voce auctior, *ad Phil. pergem:* forte fuit *ad Philippum regem;* quippe quem præfers Alexandro regi. Illis, *i nunc*, &c. respicit Curtius Virgilium II. 547. 'referes ergo hæc, et nuntius ibis Pelidæ genitori: illi mea tristia facta, Degeneremque Neoptolemum narrare memento.' Affinia sunt Marcelli accusatoria ista in Thraseam apud Tacit. XVI. 28. 6. 'Non illi consulta hæc, non magistratus, aut Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab ea civitate, cujus caritatem olim, nunc et aspectum exuisset.' *Freinsh.* A librariis illud *pergem* est, qui non viderunt imperativum *I*, nam id docet lectio Voss. 2. qui omisso imperativo de se subjungit et explet, *nunc ad Philippum, et Parmenionem, et Attalum perge.* Snak.

CAP. II. § 1 *Sed transacta*] Videntur scripti libri magis inclinare eo, ut legimus, non *sed*, sed *sicut*. Modius. *Transacta perpendimus*] Gnome insignis, quam eamdem a Mænandro expressam ad Tacitum Taciti Salus notavit, dignam cum ipsa Taciti iterum hic notari, ut et Curtii cum iis, et hæ cum Curtii contendantur, lucem a se invicem lucraturæ universæ. Menander, ut Stobæus citat: Οὐδεὶς ξύνειδεν ἐξαμαρτάνων πόσον Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ. *Peccando molem nemo peccati videt; Commissa demum mente sera perspicit.* Tacit. XIV. 10. 1. 'A Cæsare perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est,' &c. Quid autem ni Lipsii etiam ipsius adscribam? non hercule venuste minus elatam, et quam sprevisse sane cuivis nefas, religio autem mihi sit vel præteriisse. Ille ibidem, 'Currimus ad scelus præcipites, quod, sedente impetu, veris mox pretiis æstimamus.' *Acidalius.*

§ 2 *Immodica libertate*] Haud postremi nominis politicus, de Jure Maj. III. 13. hoc interpretatur de Alexandro, qui sit abusus licentia absoluta: ita invertitur quasi ex proposito Curtii sensus. Fraudi forsitan fuit, quod in quibusdam impressis sic distinguitur: *Videbat tunc immodica libertate abusum. Sed alioqui egregium*, &c. Ut videas una sæpe distinctiuncula lucem afferri toti alicui periodo. Sic apud Cæsar. de Bell. Civ. III. 18. f. dist. 'Bello perfecto ab iis Cæsar hæc dicta cognovit,' &c. Vide Indicem, in 'Distinctio.' *Freinsh.*

Rex] Hoc emphatice dictum accipe: rex quum esset, carnificis operam exercuit. *Idem.*

Vino pote] Vulgo, *vino poterat imputari*; sed quid in illo modo scriberem,

Digitized by Google

cum ita esset in membranis perscriptum? *Modius. Vino imputari*] Recurre ad illum locum VI. 11. 28. de Hegelocho, *utrumne vino gravatus effudisset illa.* Et quæ nos ad epigramma 25. Martialis, quod Procillo inscribitur lib. I. *Raderus. Quæ vino poterat imputari, nefanda cæde*] Unde Themistius Orat. v. de Cliti cæde eleganter, Καὶ οὐκ ἠμύναντο (Ἀλέξανδρος) οἴνῳ τὸν οἶνον, ἀλλὰ σιδήρῳ. *Non vino vinum, sed ferro vindicavit.* Nam lubricum linguæ temulentiæ dandum fuerat; sed et ipsum Alexandrum temulentia ad cædem impulit. *Loccen.*

§ 3 *Pœnitentiam*] Quo nomine laudat Alexandrum Arrianus IV. 2. 11. 'Quod statim maleficii pœnitentia ductus fuerit:' et VII. 5. 21. 'Id soli ipsi inter veteres reges tamquam eximium ac genuinum quiddam adscribit. Plerique enim, tametsi alicujus delicti conscii sibi sint, tuentes id ut recte factum, obtegere culpam suam putant: iniqueque statuentes,' &c. *Freinsh.*

Solitudo exciebat] Antea legebatur, *solitudo excipiebat*, quod nihili hic verbum est: dicit Curtius, solitudinem Alexandrum movisse, ut etiam magis facti pœniteret, quippe cum nemo eum consolaretur. *Modius.* Nescio an ita scripserit Curtius, cui fere ea dicuntur *exciri*, quæ evocantur cum difficultate, obstantibus quoquo modo uti quæ quæruntur. At Alexandri pœnitentia erat parata, modo libertati ejus nil obstaret. Libri alii habent *excipiebat*, unde suspicor *exhibebat* scribendum. *Schefferus.* Conspirant codices in voce *excipiebat*, nec illud tam nihili verbum, nec ulla alia frequentior apud Nostrum, varia etiam significatione, simili fere lib. VI. 'Ut primum instantibus curis laxatus est, excepere eum voluptates.' Phædr. I. 12. 'Silva tum excepit ferum:' et si velis pro pertrahere, ut sit quasi ex venantium insidiis conficere, vide Phædr. I. 11. 'fugientes ipse excipere:' et ibid. doctissimas notas. Adde et Indicem Nostri. *Snak.*

§ 4 *Ergo hastam*] Scripsit Janus Gruterus ad illum Taciti locum XV. 36. 3. 'Facinorum recordatione numquam timore vacuus,' nobile caput, cui fecit hanc inscriptionem: 'Conscientia eis pro pœna, qui supra pœnam:' ubi plurima ex nobilissimis scriptoribus de facinorum conscientia, quem ego locum indigito tantum, non transcribo, quia prolixissimus est, sed totus tamen huc facit: quem ipsum Curtii locum a Grutero præteritum miror, cum vel maxime ad institutum faceret, et interim alia ex eodem producat. *Raderus.* Collegit ejus generis plurima Arnisæus de Repub. II. 3. 9. 4. &c. *Freinsh.*

§ 5 *Personante regia*] Ita hic quoque de conjectura scripsi, cum in editionibus non bene esset *personans regia.* Modius.

Ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur] Arrianus lib. IV. scribit, quo minus cædis puderet, Anaxarchum Sophistam ab amicis accersitum ad eum venisse, cumque in lectulo jacentem, ac suspirantem offendisset, oborto risu dixisse, Ignorari a mortalibus, cur sapientes Justitiam Jovi assidentem fecerint: id enim ab iis ea ratione excogitatum, ut quidquid ab ipso Jove decerneretur, id juste factum putarent. Oportere igitur, quæ a magno rege fierent, justa existimari; primum quidem ab ipso rege, deinde a ceteris mortalibus. Quæ cum dixisset, Alexandrum, tamquam vera essent, non nihil mœrore relevatum. Curtius a Callisthene revocatum ad vitam refert, cum interfecto Clito Alexander mori perseveraret, tamquam sibi haud amplius honestum foret inter homines vivere, qui amicum hominem vita privasset. Vere Demetrius Epicus poëta: Ζωὸν ἀτιμήσαντες, ἀνοφθίμενον ζητοῦσι. *Oderunt vivum, quem mox post funera quærunt.* Popma.

Digitized by Google

§ 6 *Inter has preces tota nox extracta est*] Iterum editiones, *In has preces tota nox exacta est:* male præ nostris. *Modius.* Recte Modius *extracta.* Noster sæpe: sic VIII. 6. 14. 'Ludi etiam convivales extraxere tempus.' Ibid. n. 17. 'Revocatisque amicis in horam diei ferme secundam extraxit convivii tempus.' Et plura in Indice. *Heinsius.*

Anniversarium sacrificium] Arrianus IV. 2. 5. 'Diem quemdam apud Macedones Baccho sacrum esse ferunt, atque Alexandrum quotannis eo die Baccho sacrificare solitum, tum temporis neglecto Baccho Dioscuris sacrum fecisse.' Aliam rationem adsignat Plutarch. cap. 21. 'Admissum per temulentiam in Clitum facinus, illamque contra Indos Macedonum ignaviam, quasi rudem relinquentium expeditionem suam et gloriam, ad iram et invidiam retulit Liberi patris:' nempe quod patriam ejus, Thebas, evertisset. *Freinsh.*

Statuto] Mss. fere *stato*, quod etiam multas occupavit editiones, et forte non male; nam sollemnis ille dies sacrorum *status dies* dicebatur. Flor. I. 13. 'Et stato quodam die per medias hostium custodias Fabium Pontificem ab arce demisit, qui sollemne sacrificium conficeret:' ut erant *stata sacrificia*, de quibus venustissimus Naso Fast. I. 310. ponit, 'Suos ad stata signa dies.' Idem ibid. vs. 660. 'quid a fastis non stata sacra petis?' Vide Festum Pomp. et ad Nostrum VI. 3. 7. Iterum VIII. 9. 13. 'Mundus statas vices temporum mutat:' ubi et editi et Mstι. quidam etiam 'statutas' inferciunt. *Snak.*

Iram Dei fuisse] Ridiculum est, fateor, aut putidum potius, hoc me monere; sed tamen ita emendavi, cum vulgo esset *iram defuisse.* Modius.

§ 7 *Amicorum animos*] Haud immerito erant attoniti tam recenti exemplo infidæ et periculosæ regum amicitiæ; quarum multa documenta reperies apud Piccart. Observ. Hist. XIII. 9. idemque argumentum facunde exsequitur Sejanus Enenkelii. Vide et Gruteri discursus in Tacit. cap. 38. *Freinsh.*

Terrenti alias, alias timenti] Membranæ, *terrenti alios timentique.* Modius.

§ 8 *Duo filii*] Mileti oppugnationem Arrianus I. 6. 23. Plutarch. cap. 27. et Diodorus XVII. 22. exponunt, sed nullus filiorum Hellanices ullam mentionem fecit, contenti caput rerum, singularibus, quod plerumque fit, neglectis, attigisse. *Raderus.* Meminit tamen ejus rei eodem fere quo Curtius modo Arrian. IV. 2. 12. nisi quod locum, ubi occubuerunt, non signat. *Freinsh.* Verosimile autem est in prima obsidione, rege præsente, occubuisse, non in altera, qua post rebellionem duces Alexandri urbem receperunt. Curt. IV. 5. 13. *Cellar.*

Occubuere] Addunt vulgati codices *mortem;* nec refert absit an adsit, etsi ego abesse malim. *Modius.* Et ego mehercule quoque malim. Nisi l. IV. item sit: 'Ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium.' Ipsa sane phrasis non ubique, sed nec temere alibi promta, ne in poëtis quidem: apud hos 'occumbere morti' memini; 'mortem' non recordor: 'oppetere,' 'obire,' cum eo casu trita; cum eodem hoc verbum durius est omnino, neque facile Curtius usurparit. *Acidalius.*

§ 9 *Servatorum*] Unum Clitum intelligens, pro recepta loquendi consuetudine, plurali utitur. Sicut plane apud Arrian. IV. 2. 12. *φονέα τε τῶν φίλων, amicorum interfectorem,* se appellat, cum præter Clitum neminem ex amicis interemisset. Ita Livius IX. 18. 3. *Freinsh.*

§ 12 *Jure interfectum*] T. Popma (ad num. 5.) simpliciter refert, ideo Justitiam Jovi adsidere dixisse Anaxarchum, quod quidquid ab Jove fieret, recte factum existimandum esset.

Digitized by Google

Ita quæ a magno rege fierent, justa putanda. Sed non tantum voluit Anaxarchus, quæ a Rege fierent, justa existimanda, sed ab illo rege, qui Jovis filius esset. Hæc enim erat potissima energia, et vis persuadendi, qua usus Anaxarchus. Vide Diogen. Laërt. in Anaxarch. *Loccen. Jure interfectum*] Præcipuo instinctore Anaxarcho, ut testatur Arrianus IV. 2. 14. cujus verba bona fide referentem Pompam non opus erat reprehendi. Dixit enim Anaxarchus, 'fingi Justitiam Jovi adsidere, quia quidquid a Jove decernitur, id juste factum esse censeri debeat: oportere igitur, quæ a magno rege fierent, justa existimari :' nimirum quia regis potestas atque etiam nomen in primis tribuebatur Jovi, Anaxarchus alios quoque magnos reges eodem jure censeri æquum putabat: quod vel ex Plutarchi Themist. cap. 48. colligas: nec ulla est suspicio, eum restringi hæc voluisse ad eum tantummodo regem, qui Jovis filius esset. Nec sane pro hac interpretatione unum verbum in Diogenis Anaxarcho. Eodemque modo refertur id apud Plutarch. c. 5. ad Princip. indoctum: 'Anaxarchus, Alexandrum consolans ob Cliti cædem animi se angentem, aiebat, Jus et Fas Jovi adsidere, ut quidquid rex (nimirum quilibet absoluta potestate præditus) agat, id fas justumque putetur.' Et in Alexand. cap. 93. *πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος θεμιτόν· quidquid agatur a dominante, justum esse.* Quam insanam consolationem, omnibusque istis locis merito explosam, postea Athenienses convertisse videntur in adulationem Demetrii Poliorcetæ. 'Sciverunt' enim, 'videri pop. Atheniensi,' quidquid jussisset rex Demetrius, id et apud deos fas, et jus apud homines esse. Plutarch. Demetrio cap. 29. Ceterum Curtius infra VIII. 8. 22. a Callisthene revocatum ad vitam Alexandrum scribit, nulla Anaxarchi mentione; quod quomodo concilies, discas ex Plutarcho Alex. cap. 93. nimirum et Anaxarchum quo dictum est modo eum erexisse; et Callisthenem, 'placida et modesta oratione.' *Freinsh.*

§ 12 *Sepultura prohibituri*] Quasi damnatum et jure occisum, quæ summa apud Græcos ignominia, carnisse sepultura: nam *ἀπόταφοι*, tyranni, proditores, et hoc infame et execratum genus hominum sepultura prohibebantur, quod ex variis scriptoribus testatur Alexander Neapolitanus VI. 14. *Raderus.* Adde notam supra ad III. 2. 19. *Freinsh.*

§ 14 *Xenippa*] Nec ista Xenippa usquam extra Curtium reperienda, ab nullo geographo, scriptore, historico consignata vel expressa. Fides tota penes Curtium est, qui haud dubie ex Græcis auctoribus, qui hodie desiderantur, hanc Xenippa accepta in suo volumine posuit. *Raderus.* Græcum nomen a Macedonibus procul dubio impositum, sed cui regioni, prorsus incertum, quod nemo Geographorum aut Historicorum, præter nostrum Curtium, ejus usquam mentionem fecit. Sogdianæ partem fuisse, ex nexu historiarum suspicari licet. *Cellar.*

§ 16 *Desperatio veniæ*] Maro Æn. II. 354. 'Una salus victis nullam sperare salutem.' Redi ad eum locum, et simul ad Veget. IV. 25. Stewechium ad eumdem locum, Frontin. II. Strat. 6. rursum ad illa Vegetii III. 21. *Raderus.*

§ 19 *Naura*] Apud Arrianum IV. 2. 17. est *Naulaca*, statim post Spitamenis cædem. Apud alios quidem nihil prorsus de hoc nomine. *Glareanus.* At ego apud Arrianum in Erythræi maris periplo lego hanc vocem: 'Deinde Naura et Tyndis, prima seu maxima Limyricæ provinciæ emporia.' Tyndis autem est Ptolemæo civitas et fluvius intra Gangem in India, sicut et Naura regio Arria-

Digitized by Google

no videtur intra Gangem, ut magnopere dubitem, utrum hic non sit potius cum Glareano *Nautaca* legendum, de quo loco etiam Arrianus infra, non certe multum a Bactris et Maracanda remoto. Favet etiam huic scripturæ codex Constantiensis Ms. qui *Nauta* habet pro *Nautaca;* ultima credo syllaba amissa vel omissa. (Proxime accederet Aldus, qui *Nautaiam* habet) Strabo lib. XI. Syssimithris petram in Bactriana constituit. Bactriana autem cis Indum, nec intra nec extra Gangem est. Limyrica autem est in India Austrum versus, ut ex periplo Arriani intelligi potest. Servo tamen *Naura*, quam scripturam et Alex. Neapolitanus I. 24. et Tiraquellus agnovit, quamvis apud Alexandrum vitiose sit scriptum *Maurae* pro *Nauræ*, quorum regio juxta Bactrianos est. Arrianus lib. IV. 4. 1. hanc petram in Paratacis intra Bactrianam collocat. Itaque 'Nautacas' aliam provinciam apud Siculum XVII. et Arrianum reperio. Arrianus autem IV. 4. 1. hanc petram, ejusque dominum, communi nomine 'Chorienem' appellat. Hunc Chorienem Strabo lib. XI. cum Curtio 'Syssimithrem' vocat. *Raderus.* Neque hujus regionis apud alios occurrit commemoratio. Oportet vero etiam circa Bactrianam Sogdianamque fuisse saltem partem alterutrius. *Cellar.*

Coire cum liberis] Quod Curtius refert in Naura regione cum parentibus stupro coire moribus permissum, ad id respicit Ovidianum illud: 'gentes tamen esse feruntur, In quibus et nato genitrix, et nata parenti Jungitur, et pietas geminato crescit amore.' *Popma. Coire cum liberis*] Infandum scelus, et per quod jure gentium incestus committitur. l. fin. de R. N. sed viderit ibi Paulus, quid appellet jus gentium. Ecce enim quod nos merito quidem abhorremus, probabatur Arabibus, Persis, Assyriis, Parthis, Medis, Ægyptiis, Phrygibus, Galatis, Æthiopibus, Indis, Scotis, Hibernis, Nauræ regionis incolis, Nomadibus; ut ex variis auctoribus ostendit Tiraquellus leg. Connub. VII. 30. 32. 33. et Alexandri Dies Genial. I. 24. Quibus accedunt haud pauci ex incolis terrarum recens repertarum. Eo respicit Ovidianum illud Met. X. 331. 'gentes tamen esse feruntur, In quibus et nato genitrix, et nata parenti Jungitur.' Euripides in Andromache vs. 173. τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος, Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται, κ. τ. λ. Orosius I. 4. a Semiramide hunc morem introductum ait. Theodoretus contra Græcos Orat. 9. de Legib. ait, Persas ex Zaradæ cujusdam instituto matribus misceri. Quem Theodorus Mopsuestius apud Photium Cod. 81. appellat 'Zasradem:' Agathias lib. II. de Bello Goth. 'Saradem,' quo nomine etiam Zoroastrem vocari affirmat. Apud Persas autem incestam eam consuetudinem aliquando viguisse, præter citatos a Tiraquello, certum est ex Minutii Octavio, Chrysostomo de Virg. cap. 9. Juliano Imp. apud Cyrillum lib. IV. Gregor. Nysseno in Epist. contra fatum, Æliano Hist. Anim. III. 47. et Tatiano contra Græcos fol. 283. Philone de Special. Legib. Machlyes et Auses eodem more pollutos fuisse facile est colligere ex Herod. IV. 180. item Garamantas, ex Plinio V. 8. Lactantio III. 21. Aristot. Polit. II. pr. Platone de Rep. V. et Solino cap. 43. 'Chaldæos' ex Cæsario apud Glycam et Cedrenum in rebus Alexandri. Sed et Macedones suspecti sunt Tertulliano Apologet. cap. 9. f. Apud Laërtium Pyrrho hac consuetudine et aliis similibus demonstrat, 'idem aliis bonum, aliis malum putari.' Quomodo et Cornel. Nepos Procemio: 'Non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari.' Eodemque

Digitized by Google

sensu Artabanus in Plutarch. Themist. cap. 46. Summus gentilium Philosophus Ethicor. I. 3. Τὰ καλὰ καὶ τὰ δίκαια τοσαύτην ἔχει διαφορὰν, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Quorsum hæc? ut nempe constet, certos indubitatosque bonorum et malorum fines constituere, non esse naturæ, sed gratiæ. *Freinsh.*

§ 20 *Is armatis*] Qui illud *is* ita perscriptum in membranis reperierant, ut *s* quoque *i* non valde dissimile esset, putarunt numerum designari, reposuernntque in omnibus editionibus, *duobus millibus armatis*. Acumen hominum specta! *Modius.*

Tergo petra claudebat] Editiones, *qui terga petræ claudebat;* plane inepte. Hoc enim dicit Rufus, hinc amne, hinc petra clausas fuisse fauces regionis, quas occupaverat Sysimithres. *Modius.* Bene alia Modius: unum ei excidit. *Terga* relinquere debuit, ut non tergum petræ, quo nihil ineptius, sed terga regionis intelligantur; et tamen ipsa vulgata, *qui terga petræ claudebat*, non mala fortasse, imo et vera: si quæ deinceps sunt consideras: 'Ad petram admovit exercitum: ceterum interveniebat fluvius coëuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem.' *Acidalius. Tergo petra claudebat*] Fauces regionis a fronte præterfluens torrens, a tergo petra objecta muniebat: hæc vera lectio, quam frustra impugnant alii. *Freinsh.* In Palatino est, *terga petræ clauserant;* in Bongarsiano et aliis, *tergo petra claudebant.* Suspicor itaque lectionem veram, *terga petræ clausa erant*, vel *terga petra claudebat.* Scheffer.

§ 21 *Sed aditu specus*] Membranæ, *sed aditum specus accipit: Lucem interiora nisi illato lumine obsunt.* Quæ quid sibi velint divinare plane non possum; neque enim ariolandi artem umquam didici, tantum ex scriptura vulgata, quæ est, *Sed aditus specus accipit lucem: interiora nisi illato lumine obscura sunt:* illud feci, quod vides. *Modius.*

§ 22 *Ac validas*] Consensum librorum secutus ita restitui; fecerant alii, *munitas valida manu barb. tuebantur*, non male, nisi quod Curtio suum abstulerunt sensum, qui æque bonus, *angustias munitas ac validas barbari manu tuebantur;* manu dixit, id est, vi et armis. Indicem vide. *Freinsh.* Forte delendum *manu.* Heinsius. Non quod vi aut sensu careat, sed quia jam proxime præcessit, et statim repetitur; nam et sic pro pugnando accipiunt. Florus III. 10. 4. 'Manu prœlium restituit.' *Snak.*

§ 25 *Oxartem*] Nomen hoc mire confusum in Curtio. Legendum hic ex Plutarcho, *Oxyarten*, ad distinctionem 'Oxatris' et 'Oxyatris,' de quibus mox. Oxyatres est Persa hic, de quo hoc loco Curtius, qui auctor est Sysimithri, ut se dedat Alexandro, quod et fecit ex animi quadam dejectione et desperatione. Unde et Alexandri hoc de eo dicterium; cum quæreret ex Oxyarte Alexander, qualis esset Sysimithres, ecquid animi haberet; Oxyartes vero respondisset, hominem esse ignaviissimum; respondit Alexander: Λέγεις σύ γε τὴν πέτραν ἀλώσιμον ἡμῖν εἶναι· τὸ γὰρ ἀρχὸν αὐτῆς οὐχ ὑχυρόν ἐστι. *Profecto tu petram nobis ostendis esse superabilem, quando ejus non est firmum caput.* Hic ergo est ille Oxyartes. Oxyatres autem est pater Roxanis, quam in matrimonio habuit Alexander. De quo hoc libro; ubi pro 'Cohortanus' lege 'Oxyatres;' (nullus enim ibi hiatus est, ut putat Rubenius Elect. I. 29.) nam et ita vocatur lib. IX. et lib. X. (ubi pro 'Oxatris' 'Oxyatris' lege) Oxatres denique est frater Darii, de quo III. 11. *Loccen. Oxarten*] Hoc nomen multis modis scribitur: nec enim puto diversa esse omnia ista, sed unum, Oxartes, Oxathres, Oxyartes, ut apud hunc aut illum auctorem, solemni in

Digitized by Google

barbaris nominibus dubitatione, varie reperias. Interim unum illud nomen pluribus fuisse commune, non nego; idque cum aliis hoc genus accurate in Indice notatum invenies. *Freinsh.*

§ 26 *Ad augendam formid.*] Sæpius usurpatum, ut suadentes vim etiam ostentent, 'mistis precibus minisque,' ut apud Livium IV. 25. 13. quod Epist. 7. Plato vocat δεήσεις μεμιγμένας ἀνάγκαις. Fecit idem Alexander supra VII. 11. 22. unde magis clareat, recte me emendasse in Tacito XV. 27. 5. 'Simul ut consilio terrorem adjiceret, Megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus,' &c. *Freinsh.*

§ 28 *Morituram*] De fortissimis heroinis et mulieribus elegantem habes Plutarchi libellum. *Raderus.*

§ 30 *Unum precatus*] Mss. *inprecatus.* Forte, *unum id precatus.* Heinsius.

§ 32 *Præsens ipsis*] Vulgo, *operirique præsentiam ipsius, supervenit, et victimis, &c.* Modius.

§ 35 *Nobiles juvenes comitari eum soliti defecerant præter Philippum*] Fusius narrat Justinus XV. 3. 'Postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas arenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater ejus cum facere voluisset, inter manus regis exspiravit.' *Loccen.*

Lysimachi] Qui postea regnavit, de quo proxime cap. 1. actum est. *Cellar.*

Appareret] Iterum vulgo, *quod facile appareat:* ineptissime. *Modius.*

§ 36 *Is pedes*] Justinus XV. 3. 11. de Lysimacho: 'In India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas harenarum moles comes cursus fuit. Quod idem antea Philippus frater ejus cum facere voluisset, inter manus regis exspiraverat.' Simile Suetonius de Galba cap. 6. f. 'Campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.' Capitolinus de Maximino cap. 3. 'Ad pedes Imperatoris equitantis accessit. Tum volens Severus explorare, quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus, et cum Imperator laborasset, neque ille accurrendo per multa spatia desisset, ait ei; quid vis, Threcisce? numquid delectat luctari post cursum? Tum ille, Quantum libet, (inquit) Imperator.' De aliorum mirandis cursibus vide epistolam 59. Lipsii ad Italos et Hispanos. Nescio autem an de hac historia capiendus Ælianus Hist. Var. X. 4. 'Alexander tertium quadringentis stadiis continuo itinere confectis, antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus conflixit, et eos vicit.' *Tertium* reddidi illud τρίς, quod est in textu, cum vocula *ter*, ubicumque poneretur, ambiguum faceret sensum. *Freinsh.*

Per D. stadia] Iterum vulgo, *per quinquaginta stadia:* etiam pessime. Cur enim hoc incredibile dictu est? *Modius. Quingenta*] Ex variis numeris hic visus est maxime consentaneus: essent milliaria nostratia sedecim fere, minus triente. *Freinsh.*

CAP. III. § 1 *Dahas*] Legerem hic *Gabas,* ex Arriano; nisi infra Curtius eamdem vocem repeteret. Quamvis et ibi sic legi posset. Erant autem Gabæ Sogdianorum oppidum medium inter Massagetas et Indos. De Dacis vero nihil Arrianus in hac serie historiæ, nec huc faciunt. *Loccen.* Vide IV. 12. 6. VII. 4. 6. *Cellar.*

Numquam fatigata] Quod alias solemne. Lucanus II. 727. 'lassata triumphis Descivit fortuna.' Livius IX. 17. 6. 'Ut alios reges claros ducesque omittam, magna exempla casuum humanorum; Cyrum, quem maxime Græci laudibus celebrant,

Digitized by Google

quid nisi longa vita, sicut Magnum modo Pompeium, vertenti præbuit fortunæ?' Quod aspexisse videatur Seneca ad Marciam 26. 4. 'Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid ætati detraxeris?' Sic intelige Tacitum XV. 6. 2. *Freinsh.*

§ 2 *Ægram fugæ*] Nisi membranarum lectio, quæ est illa ipsa, quam expressi, tolerabilis visa fuisset, maluissem vulgatam recipere scribendo, ut sequitur: *quam ægre fugam et nova subinde exsilia tolerantem in omne discrimen comitem trahebat.* Modius. Damno hic membranas, quod vellem sæpius Modium fecisse, ne tot locis sine causa cusorum librorum veras lectiones pervertisset. Hic e vulgatis quam primum repone, *quam ægre fugam et nova subinde, &c.* Acidalius.

Comitem trahebat] Quomodo Rhadamistus apud Tacitum Ann. XII. 51. *Freinsh.*

§ 4 *Et formæ profecto fiducia*] Leg. *provectam:* supra VIII. 1. 33. 'Non vino modo, sed etiam animi prava contentione provectus.' Infra VIII. 6. 13. 'Simulque epulantium comitas provexit omnes.' VIII. 10. 15. 'Non divino instinctu, sed lascivia esse provectos.' Sed et 'profecto' alibi videas occurrere. IX. 1. 18. 'Exercitum Deorum profecto advenisse memorantes.' *Heinsius.* Certe vox *profecto* non incommoda, eique sua constat vis. V. 11. 7. 'Indicium profecto Patrona detulisse credebat.' Terent. And. IV. 2. 'Hoc ego tibi profecto effectum reddam.' Ovid. Met. VIII. 72. 'sibi quisque profecto Fit Deus.'

§ 5 *Abire conspectu*] Editiones, *abire e conspectu.* Modius.

§ 6 *Eis fortuna*] Vulgo, *his;* neutrum Curtius voluit præ *ipsis:* si tamen hoc saltem voluit, neque omnibus omissis sic potius scripsit, *quamcumque fortuna fecisset sibi. Mortem ded. esse leviorem.* Neque tamen vel hoc affirmato. *Acidalius.* De pronominis rejectione adsentior; de distinctione mutata non item. *Freinsh. Eis fortuna*] Forte, *Deus et fortuna;* ut Poëta, 'Deus et fortuna recessit.' *Heinsius.* Sic Ovid. Met. I. 21. 'Hanc Deus et melior litem Natura dimovit.'

§ 8 *Fertur*] Forte, *defertur.* Heinsius.

§ 9 *Gladium stringit*] Judithæ simillimum facinus, simillimoque modo patratum, nisi quod illa sanctissimæ herois hostem numinis et patriæ, hæc amantissimum sui maritum, illa pie, hæc impie, interfecerit. *Raderus.* Sic etiam Belides quinquaginta, una excepta Hypermnestra, viros suos occidisse leguntur. Ovid. Epist. Herold. XIV. *Freinsh.*

§ 10 *Sicut erat*] Elegans formula, qua etiam Nepos XVI. 3. 2. usus erat. *Cellar.* Vide Indicem. *Snak.*

Esse quæ ex ipsa] Iterum editiones, *adesse quæ, &c.* perperam. *Modius.*

§ 11 *Deplorandam contumeliam*] Honesto vocabulo videtur involvere vim pudicitiæ illatam; nam et sic accepit Livius de Virginia, duplici sensu, altero aperto de servitute, altero dissimulato de stupro. 'Morte amitti melius quam contumelia liberos,' III. 50. Ludibria appellat Noster I. IV. 10. 27. 'Num ludibria meorum nuntiaturus es?' et clarius X. 1. 3. 'Virgines et principes feminarum stupra perpessæ corporum ludibria deflebant.' Vide Turneb. Adv. XXVIII. 32. *Snak.*

§ 13 *Confuderat notas*] *Nota* hic est 'lineamentorum qualitas,' ut appellat Justin. I. 2. 'qua inter se noscitantur facies;' ut Noster VIII. 13. 24. Val. Flacc. Argonaut. II. 466. 'Pariusve notas et nomina sumet Cum lapis.' Ubi Cl. Burmann. ad locupletem exemplorum congeriem more suo conducet. 'Confundere' autem in hac re frequens optimis scriptori-

Digitized by Google

bus.' Justin. III. 5. 'Temporis spatio confusa corporis lineamenta.' Petron. cap. 108. 'Liquefactum per totum os atramentum omnia lineamenta confudit.' Sic Noster VI. 7. 18. 'Ceballinus ore confuso magnæ perturbationis notas præ se ferens.' Adde Petron. cap. 105. ubi Cl. Burmannus iterum multis subveniet. *Snak.*

§ 14 *Proditor tantis rebus*] Nisi quidem somnians hæc consideravi, certe edepol scio, rectius longe ita legi, quam quomodo solent hactenus: *meritum ingens in semet esse credebat, quod transfuga et proditor, quique tantis rebus, si vixisset, injecturus morum fuisset, interfectus esset.* Modius.

§ 15 *Vicit tandem*] Vulgo, *vicit tamen*; sed quis non continuo videat, ita hoc esse mutandum, ut excusum est? *Modius.*

Gratiam meriti] Virg. Æn. IV. 539. 'Et bene apud memores veteris stat gratia facti.' Cod. Fl. *meritis*, et in hunc sensum Naso Met. V. 14. 'meritisne hæc gratia tantis Redditur?'

Exemplar transferret] Sic Cicero pro Deiot. cap. 12. 'Quæ est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem venisti, ut hujus urbis jura, et exempla corrumperes, domesticaque tua inhumanitate nostræ civitatis humanitatem inquinares?' Adde locum Philonis relatum infra ad VIII. 5. 6. Non paucas gentes ex commercio aliarum nationum corruptas leges. In literis Sacris habes Israëlitas apud Ægyptios, Babylonios, Tyrios, et alios vicinos idololatriam aliasque pessimas artes doctos. Diu Græci Romanique sancte frugaliterque vixere, postea paullatim mores defluxere, paupertasque probro haberi cœpit, luxuriæque peregrinæ invictum malum, ad effeminandos animos ab exercitu Asiatico in urbem primum invectæ, mores infecit; sicut aurum Persicum fugato Mardonio Atheniensium animos labefactavit, et dira tabe infecit. Inde illecebræ libidinum, et rerum secundarum luxus in omnem licentiam grassati. Plura Alex. ab Alexandro, Plinium XXXIII. 11. et XXXIV. 7. licet consulas, et Liv. XXXIX. 6. Val. Max. Sallustium in exordio belli Catilinarii. (Florum III. 12. 7. g.) Herodot. I. 155. narrat quomodo fortissima gens Lydorum Persarum consuetudine (imo potius fraude et artibus) penitus fuerit effeminata. Inde factum, ut multæ gentes, quæ cum externis nationibus nihil habuere commercii, mores incorruptos tuerentur. Documentum ex Cæsare accipe, qui de Bel. Gal. II. 1. de Belgis hæc prodidit: 'Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate Provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important.' Idem II. 15. de Nervis docet: 'Nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent.' Ab iisdem fere virtutibus celebrat Usipetes Germanos IV. 2. Sinæ ad usque nostra tempora exteros omnes e finibus suis excluserunt: ultimis hisce annis primum e nostra societate Patres, dein Lusitani in penetralia regni admissi, non ut corrumperentur, sed corrupti emendarentur, et fines adversus Scythas seu Tartaros defenderent. Plura in hanc rem passim leges: hæc mihi sub calamum venere. *Raderus.* De Laconum ξενηλασίᾳ, seu *peregrinorum expulsione*, notum. De impiis ejiciendis exempla dictaque similia suppeditant Ovid. Met. VIII. 97. Cassiod. Var. I. 18. f. Cic. pro Deiot. cap. 12. *Freinsh.*

§ 16 *Dataphernem*] Sic etiam appellatur supra VII. 5. 21. et Arrian. III. 6. 10. At hoc loco quidam Ms. *Phrataphernem* legit; quod incertum

Digitized by Google

me fecit, an non supra quoque VIII. 1. 8. pari commisso expulsus *Dataphernes* cesserit *Phratapherni*. Tamen cum diligentius rem inspicerem, diversos fuisse reperi: hunc, de quo hic agitur, Spitamenis individuum socium, qui cum eo Bessum tradidit; illum autem Chorasmiorum principem, quem Arrian. IV. 3. 3. *Pharasmanem* vocat, Φαρασμάνην: quod nomen proxime accedit ad *Pharasmanem*, ex Tacito notum. At 'Chorasmios' superiori Curtii loco recte nos in textum admisisse ex citato Arriani capite liquet; itemque ex Orosio III. 18. *Freinsh.*

§ 17. *Mardos cum Tapuris*] De Mardis diximus ad V. 6. 17. 'Tapuros' Plinius, et Strabo, et Dionysius Periegeta 'Tapyros' vocant. Ptolemæus 'Taporos,' o brevi, et in alio codice 'Tapuros,' media diphthongo. Plinius VI. 16. cum Hyrcanis conjungit. Dionysius V. 732. cum Mardis et Hyrcanis. Strabo lib. XI. inter Hyrcanos et Arios ponit. Polybio V. 44. *Ταπύρων ὄρη τῆς Ὑρκανίας θαλάττης οὐ πολὺ διέστηκε. Tapyrorum montes non longe absunt ab Hyrcano mari.* Ptolemæus suos Taporos in Margiana locat, quos alios a Strabonis et Plinii Tapyris censet Harduinus. *Cellar.*

Arsani Drangarum] De homine hoc singulariter monendum, tum de populo. Arsames iste, sive Arsanes, non est cujus supra III. 4. 3. mentio; nam ille in prœlio ad Issum cecidit. Quam rem frustra occultat mendum in Arriano II. 2. 37. ubi 'Αρσάμης legitur pro 'Αρσάνης, quod cuilibet, qui eum locum cum ejusdem auctoris I. 5. 18. contulerit, clarebit. Puto autem hic intelligi Artabazi filium Arsanem, de quo Arrian. lib. III. 5. 6. Certe Artabazo 'Bactrianorum regionem reliquesque vicinos Satrapatus Alexander commiserat:' Arrian. IV. 3. 4. in iis ergo et Drangæ fuere, quos capularis ille senex interim filio commiserit, dum aliter ea de re constitueret Alexander. Nam de Caria, quam hic præferunt editiones, aliena res est, multas ob rationes; ex quibus, quod certum est, nulli barbaro illas provincias Græciæ proximas unquam ab Alexandro commissas fuisse: deinde in finibus Indiæ agentem quis putet sollicitum fuisse de Carum Satrapia? cum præsertim tam longe abiturus dudum, ut verisimile est, isti rei prospexisset; haberetque ibi ex primariis amicis, quibus ista et aliquanto majora permitteret. Nec sane alia hic provincia nominatur tam longe a locis, ubi Alexander agebat, dissita, sed Hyrcania Mardi, &c. Cares igitur istos, omnibus fere libris volentibus, indicantibusque non obscure quid vellent dicere, expuli. Varias Lectiones vide. Est et aliud quantivis pretii argumentum, quod eam Satrapiam Stasanori ait creditam. At Drangarum hunc fuisse prætorem vel ex Justino XIII. 4. 22. patet, si ei jungas Nostrum infra X. 10. 4. ut eo loco explanatius ostendemus, immo ex Arriano IV. 3. 18. liquido: 'Stasanorem in Drangas præsidem mittit.' *Freinsh.* Perperam vulgo *Caria* est editum, quæ provincia ad has oras nihil pertinet. Arrianus lib. IV. et Justinus lib. XIII. 4. 21. Stasanorem Drangarum præsidem appellant, unde Curtium emendavit Freinshemius, haud parum juvante codicum antiquitate. Sunt autem Drangæ, sive Drancæ, inter Ariam et Carmaniam. Strabo lib. XI. Regio 'Drangiana' vocatur. *Cellar.*

CAP. IV. § 1 *Cabaza*] *Cabazum* reperit Sabellic. nostra excerpta fere *Casaba:* Ald. *babas*, quod proxime accedit ad *Gabas* Arriani IV. 3. 15. quas superiori capite pro *Dahis* repositum ibat Vir Doctus, me quidem non adsentiente. Nec magis probo quod alii hanc *Gabazam* habent pro *Nautacis* Arriani et Diodori. *Freinsh. Gabaza*] Nomen Historicis et Geographis ignotum. In Sogdiana Gaba et Gasa oppida Arriano. *Cellar.*

§ 2 *Proximus ei*] Elegantissima et

Digitized by Google

plane oratoria hæc tempestatis est descriptio, ut lector ipse inter media tonitrua, fulgura, grandinem, et fulmina versari videatur. Quod si voles aliorum scriptorum industriam cum Curtio componere, habes Virgilium Æn. I. 96. Ovid. Met. XI. 480. et Trist. I. 2. ex novis Malapertium, ex historicis Maffeium in Indicis, Osorium lib. II. p. 60. Et composuit poëtas inter se Julius Scaliger in Hypercriticis; et, si memini, noster Melchior de la Cerda in suis oratoriis exercitationibus. Caussinus ex Livio, Dione, D. Chrysostomo, Maffeio, cujus unius verba adducit, ceteros nominat tantum; sed hæ descriptiones pleræque pertinent ad mare. Lucretius proprie de terrestri tempestate et fulminibus eleganter disputat VI. 95. *Raderus.* Ut sunt hominum ingenia! quæ ab Radero elegantissima dicitur descriptio, ut tumidissima proscribitur, et ad inquisitionem Logices rationes exigitatur a Cl. Clerico, Judicii de Curt. VIII. 8. *Snak.*

Pristino] Priore, antecedente, quam pridie. Vide Gell. N. A. X. 24. Macrob. Sat. I. 4. de nupero tempore familiare Nostro: sic paullo ante hoc libro I. 43. 'Clitus ad pristinam violentiam ira quoque adjecta.' IV. 10. 3. 'Nec sidera præstare pristinum fulgorem,' tam nuperum significat, quam antiquum. Iterum VIII. 10. 31. 'Non veniam modo, sed etiam pristinæ fortunæ impetravit decus;' quod plane respondet illi ex III. 12. 12. 'Ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinæ fortunæ fore.' VI. 7. 13. 'Abunde constantis animi, et dignus qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutaverat.' X. 4. 3. 'Si quos adhuc pristina noxa judicaret esse contactos.' X. 8. 8. 'Et pristina quidem regiæ species manebat.' Sic Cæsar de B. Civ. I. 74. 'Magnum fructum suæ pristinæ lenitatis omnium judicio Cæsar ferebat.' Adde Davies. ad eumdem de B. G. IV. 14. *Snak.*

Non sine minis crescentis] Pulcre ita hæc emaculavi; scribebatur antea, *non sine crescentis mali damno præteriit.* Germanæ nugæ. *Modius.* Non abnego pulcre sic emendatum, si tamen e membranis magis quam ex ingenio. Alias non temeraria vox *damno* sit, in qua lateat alia compendio scripturæ vitiata; fortasse, *denunciatione*, vel *indicio*, vel quid tale. Lugdunensis editor iterum moro suo more utrumque simul recepit: *non sine minis crescentis mali damno præteriit.* Cucurbitas, homo, in tempore tibi adhibe; nam hæ certe minæ sunt crescentis insaniæ, quæ non sine damno optimorum auctorum præteribit. *Acidalius. Non sine minis*] Probat hanc Modii lectionem Acidalius, et nostris etiam lectionum excerptis juvatur. Quamquam alii, omissa voce *minis*, addant aliam *damno*, quam perperam alii junxerunt alteri; quidam tamen, repetita vocula *sine*, non male fecerunt: *non sine minis crescentis mali, sine damno præteriit:* quod tamen vereor ut sit ex libris. *Freinsh.* Modio et Acidalio probata scriptura: ante hos legebatur, *non sine crescentis mali damno*, unde quidam conjuncte putant legi posse: *Non sine minis crescentis mali, sine damno præteriit.* Cellar. Forte, *non sine minis crescentis mali omnino præteriit.* Heinsius.

§ 3 *Meantis exercitus*] Rectum hoc, fateor; sed tamen quid si *metantis* legas, ut cuidam amico meo plane legendum videbatur? *Modius.*

§ 4 *Considere*] Aio et præsto legendum *consistere*; sic VII. 5. 6. 'Pigebat et consistere, et progredi.' *Acidalius.* Olim sic emendavi monentibus etiam illis IV. 15. 6. 'Non consistere territi, nec progredi debiles poterant.' *Freinsh.*

§ 5 *Effunditur*] Forte, *effundi.* Heinsius.

Digitized by Google

Ad primum] Alii *ac primo*: non aguntur fortunæ Græciæ. *Modius.*

Lubrica rigentes manus] Ita hunc locum scribendum, cum vulgo esset, *nec retinere arma lubricæ et rigentes manus poterant*, et ante censui, et etiamnum censeo, præsertim, postquam vidi in membranis Sigebergensibus exstare, *nec retinere arma lubricæ rigentes manus poterant*. Modius. *Retinere arma lubrica et rigentes*] Quid, quæso, *retinere manus rigentes?* non enim quale *retinere arma lubrica*; ergo conjunctio hic delenda, aut scribendum, *retinere arma lubricæ et rigentes manus*, quod utrumque in libris antiquis legitur, sed frequentius posterius, in quod idcirco, tamquam rectius, magis propendeo. *Scheffer.*

Quam vitabatur] Levis mutatio non leviter ad sensum facit: lego, *qua vitabatur*; major ingruebat vis tempestatis ab ea regione, in quamcumque obverterant corpora vitaturi; etiam copia *et* nullius usus ibi. *sed et jam.* Si lubet, dele. *Acidalius.* Vulgatum autem habeo. *Freinsh.* Hoc vult, in quamcumque partem se vertissent, ut vitarent violentiam tempestatis, in ea occurrisse propemodum majorem violentiam, ut prior frustra evitata videretur. *Scheffer.*

§ 11 *Efficacior necessitas*] Supra IV. 3. 24. eodem ferme modo, *efficacior omni ferme arte imminens necessitas.* Cellar.

Dolabris] Hinc diserte discis, dolabras non pro runcinis, sed securibus accipi, quibus arbores exscindebantur. Quia tamen apud Livium lib. XXX. lego dolabris subrutos muros, quod securibus fieri non poterat, sed ligonibus, facile intelligo, utrumque genus instrumenti complexus. *Rader.*

§ 13 *Mille militum*] Supra V. 5. 22. 'Singulis vestrum mille denarium dari jussi,' ubi Mss. quidem *milia*, quod etiam reponi vult δ πάνυ Gronovius ad Livium XXIX. 15. Vide de hoc A. Gellium I. 16. Macrob. Saturn. I. 5. et eumdem Gronovium Patrem de Pecunia Vetere I. 10. sed de omnibus accuratissime disputantem Cl. Perizonium ad Sanctii Minervam IV. 4. 78. *Snak.*

§ 14 *Memoriæ proditum*] Nihil horum vel Arrianus vel Plutarchus prodidit. Diodorus in XVII. libri Indice indicat rem verbo, quam haud dubie suo loco explicavit, sed locus ille vetustate abolitus nobis lacunam duntaxat exhibet. *Raderus.*

Habitu, in quo mors quemque deprehenderat] Voss. 2. *deprenderat.* Ad verbum expressit Ovid. Met. IV. 559. 'Quo quæque in gestu deprenditur, hæsit in illo.' Et sic semper de subita undiquaque oppressione, qualis apud Horat. II. Od. 16. 'in patenti Prensus Ægæo.' Quam et Noster sæpe eodem hoc verbo eleganter expressit, ut Index exhibebit. Adde Phædr. V. 4. 10. *Snak.*

§ 15 *Gregarius miles*] Hoc egregium Alexandri factum inter Clementiæ exempla refert. Val. Max. V. 1. 11. ext. et Frontinus IV. 6. 3. *Locen.* Haud omnino dissimile est illud Cæsaris apud Sueton. 72. 1. qui 'C. Oppio comitanti se per silvestre iter, correptoque subita valetudine, et diversoriolo, quod unum erat, cesserit, ac ipse humi ac sub divo cubuerit.' Nec dissimilia de Tiberio suo prædicat Velleius II. 114. *Freinsh.*

Seque et arma sustentans tamen] Hoc tibi veridico credas ex ore profundi, germana hæc esse Curtii verba, etsi in editionibus ita vitiose legatur: *Forte Macedo gregarius miles seque ad arma sustentans tandem in castra pervenerat.* Modius. Germana et ipse hæc esse statuo Curtii verba, sed nec etiam distinctionem. *Tamen* ad proximum *sustentans* referri, non ad *pervenerat*, ut nunc jubet interpunctio, debet. Etsi verius hoc ipsum *tamen* cum veteri distinctione sic ceperis, ut III. 7. 1. 'Ad Euphratem conten-

Digitized by Google

dit, junctoque eo pontibus quinque tamen diebus trajecit exercitum.' *Acidalius.*

In sella regis] Vide Brissonium de Regno Persarum lib. I. pag. 20. de Romanis Impp. Spartian. in Severo cap. 1. *Freinsh.*

§ 17 *Capital foret*] *Capitale* vulgo; sed memini idem monere alibi. *Modius. Capital foret*] Quomodo etiam Modius rescripsit; sed apud Val. Max. v. 1. 11. ext. etiam *capitale* est, non *capital*. Raderus. In hanc vocem passim sævierunt librorum vitiatores. *Capital* antiquissimæ membranæ Florentinæ, et sic bene ediderat Modius, qui cum Carrione eamdem vocem Silio, ut et Bongarsius Justino, nosque ipsi Livio restituimus. Porro sic amabant in legibus, 'qui hoc fecerit capital sit,' per ellipsin pronominis; ut in contrarium 'sine fraude sit,' utrobique omisso 'illi.' *Gronovius ad Senecam Controvers.* III. 8.

§ 20 *Sacas*] Cur hic vastatas ait ab Alexandro Sacarum terras, cum supra VII. 9. 19. se ipsi per legatos dediderint, misso ad ipsos Excipino? Defecisse illos cum Sogdianis non dubito. *Raderus.* In hac expeditione urbem quoque iis in locis condidisse consentaneum est: de quibus Isidorus in Παθμοῖς Parthicis: 'Inde Sacarum, et prope Alexandria urbs, et prope Alexandropolis urbs.' Salmasium illum in Solin. pag. 794. consule. *Freinsh.* Sacarum gens deditione in fidem recepta fuerat VII. 9. nunc post defectionem ferro et flammis in ordinem redigitur. *Cellar.*

§ 21 *Cohortanus*] Ego jam diu mecum disputo, et Homeri verbis, κατὰ φρένα μερμηρίζω, *studiose in pectore verso*, quid ita Roxanen Cohortani Satrapæ filiam Q. Curtius faciat, quam alii consensu Oxatris vel Oxyartis. Verba ejus sunt hæc: *Inde pervenit in regionem, cui Cohortanus Satrapa, &c.* Vides ex contextu et serie, palam appellari Roxanen. Atqui Arrianus, cautus et veri diligens historicus, ita scribit IV. 8. 28. 'Erat Oxyartis filia virgo jam viro matura, Roxane dicta.' Atque adeo Alexander apud Curtium X. 8. 11. 'Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio junxi.' Iterumque Curtius indicat IX. 8. 10. 'Oxatres prætor Bactrianorum non absolutus modo, sed etiam jure amoris, amplioris imperii donatus est finibus.' Ubi Curtius sane quam eleganter 'jus amoris' dicit, quia non ex merito promotus, sed ab hoc in filiam affectu. Quid igitur? illum pro Cohortano substituimus? (ut Aldus fecit) temerarium sit et falsum. Nam quæ hic narrantur non congruunt Oxyarti, qui jamdiu in fide regis. Puto hiatum aliquem et defectum esse, et post illa de Cohortano narrationem fuisse de Oxatris comitate et convivio, cujus caussa sive occasio deest. Ponamus igitur ἐκλείψεως notam inter hæc verba, *tradit * barbara opulentia.* Nam ut aliter nunc suppetias feram, non est copia. *Rubenius Elector.* I. 29. Mihi *Cohortanus* ille natus videtur ex aliorum *Choriene.* Ceterum Roxanen Oxyatris filiam iterum appellat Arrianus VII. 1. 18. Strabo lib. XI. 'In Bactriana,' inquit, 'sumptuose admodum hospitio exceptum Alexandrum, cum Roxane Oxyartæ filia nuptias peregisse.' Diodorus XVIII. 3. vocat 'Oxyarten Bactrianorum regem, cujus natam Roxanen duxerat Alexander.' Strabo lib. XI. 'Petra Sisimithræ in Bactriana, in qua Oxyartes filiam habuit Roxanen.' Arriani priorem locum refert et Suidas in Ἀλέξανδρος. Eamque sententiam sequi videtur Plut. de Fort. Alex. I. 17. quem qui erroris arguit, errat; fuit enim Roxane, secundum nonnullos auctores, ipsumque Curtium mox num. 26. inter captivas: nam saltasse et cecinisse in convivio, ne Curtius quidem tacuit. *Freinsh.*

§ 22 *Etiam eum, qui penes*] Sigebergenses membranæ habent, *Satrapes*

Digitized by Google

etiam eo, qui penes ipsum relinquebatur tradi, barbari opulentia convivium quo regem accipiebat, instruxerat. Modius.

*Tradit * **] Quod omnes scriptores Roxanis patrem non Cohortanum, sed Oxartem vel Oxyartem vocant, Diodor. XVIII. 3. Strabo lib. XI. plane probabile fit, initium narrationis de Alexandri nuptiis, quod fortasse reditum in Bactrianam significavit, desiderari. In Bactriana enim ad Sisimithræ patrem illas nuptias celebratas esse, Strabo auctor est. *Cellar.* Hæc Rubenius supra notaverat. *Snak.*

§ 24 *Oculos convertit in se*] Verus est versus Terent. Eunucho II. 3. facies pulchra, ' ubi ubi est, diu celari non potest.' *Raderus.* Heliodorus lib. II. sive cap. 6. ' Pulchritudo neque sub terram occultata latuerit.' Sed de ' conversis oculis,' Aristænetus Epist. II. 2. ' Simul vidi, simul me forma sauciavit tua: nam ex quo vidi, vertere oculos alio non fait.' Et II. 21. ' Tu solum visa cunctorum oculos rapis,' *ἁρπάζεις τὰ πάντων ὄμματα.* Heliodorus I. 1. ' Oculos vero ipsius dolor deprimebat, vultus autem virginis ad sese trahebat.' Idem lib. II. sive cap. 6. ' Ubicumque apparuerit, seu in delubris, seu cursibus, seu in foro, tamquam recens facta statua (*ἀρχέτυπον ἄγαλμα* potius *primigenium statuæ exemplar* verterem, h. e. præcipuum illud, summaque cura a magno artifice elaboratum, ad quod exemplum alia deinceps perficiuntur: *das Original:*) Dei cujuspiam, omnium mentes ac vultus in se vertit.' Et lib. IV. a pr. ' Cum comparuisset, continuo totum theatrum ad sese convertit.' Pertinet huc Dioxippi Olympionicæ historia Diog. Laërtio in Diog. cap. 79. Plutarcho de Curiosit. cap. 18. et Æliano XII. 58. narrata; qui joco Diogenis perstrictus est, cum ' subito pulchritudine victus, indesinenter fixos in mulierem oculos, retorto ad aspiciendam eam collo, haberet.' Pertinet et Alexandri dictum apud Plutarch. in Vita cap. 36. *Ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες! Quam magni oculorum dolores sunt Persides!* Freinsh.

Contra quam] Forte, *contra quæ.* Heinsius.

25 *Præter Roxanen*] An hæc inducenda? Sane Darii uxorem omnes ætatis suæ feminas supergressam, alii prædicant. Arrianus quidem IV. 3. 28. ei Roxanen haud dubie postponit. Ipse tamen Curtius supra III. 12. 22. ' Quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit:' quod quidem adhuc comparationem æqualis formæ patitur, et hunc Curtii locum defendit. *Freinsh.*

In amorem effusus] Errat Plutarchus forte errorem *μνημονικὸν*, cum fuisse Roxanem eam scribit, quæ inter bello captas in convivio Alexandri saltavit et cecinit. Illa fuit alia ab hac Roxane, nempe uxor Hystaspis, et neptis Ochi, ut videre est lib. VI. et Suidam fefellit memoria in *Δαρεῖος*, ubi Roxanem Darii filiam facit, et addit a Dario oblatam Alexandro in matrimonium reconciliationis ergo: *Καὶ αἰτεῖται εἰς διαλλαγὴν ἐλθεῖν, καὶ δοῦναι αὐτῷ καὶ τὴν θυγατέρα Ῥοξάνην πρὸς γάμου κοινωνίαν.* Non fuit huic Roxanis, sed Statiræ nomen. Leg. Curtius lib. III. *Loccen.*

Superbiam victoribus] Si scilicet connubiis et consanguinitate mixti, quos antea pro victis asprevissent, incipererent amare ut affines et necessarios. Quod quidem ad stabiliendum regnum pertinere, vere dixit: testaturque Plutarchus cap. 33. magnopere eo facto devinxisse sibi barbarorum animos. In re impari, par dictum Megadori apud Plaut. Aulularia III. 5. ' Nam meo quidem animo, si idem faciant ceteri, Opulentiores pauperiorum filias Ut indotatas ducant uxores domum, Et multo fiat civitas concordior, Et invidia nos minore utamur quam utimur.' *Freinsh.*

Digitized by Google

§ 27 *Ne inferri nefas arbitrentur, ita matrimonii jure velle jungi*] Quid *ita* hoc loco vult sibi? abundat in nullum usum, nisi rite corrigendum, vel *in*, lib. x. 'Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio junxi.' Nam illud eloqui vix etiam audeo, ut priora leviter mutentur: *Cum captiva coisse, ne in se fore nefas arbitrentur: et tamen matrimonii jure velle jungi.* Ne sibi turpe putent, etiam Achillem fecisse; et se tamen hoc amplius, ut minus turpe sit, in matrimonium poscere conjugem legitimam, non pellicem, aut amicam. Sed taceri hoc profecto poterat; quippe certo scio, turpius Alexandro Macedones censuisse, quod connubiali etiam jure captivam sibi jungeret, quam si junxisset more tantum connubiali. *Acidalius. Ne inferri*] Male sollicitatus ab Acidalio locus, paullo melius defenditur. Ille voluerat, *ne in se fore nefas arbitrarentur: et tamen matrimonii jure velle jungi;* haud simplici peccato. Melius enim utique *ne inferri*, dum tamen ad Roxanem non trahas, quasi ei illatum fuisset nefas, si ea concubina usus fuisset Alexander: nam certe ne id quidem parum sibi honorificum duxissent ejus propinqui. Sed ad ipsum et Macedonas respicit; ne arbitrentur in mores et jura ipsorum inferri nefas, eosque contaminari, si captivam duceret; cum idem et Achilles fecisset. In reliquis autem vulgata lectio, *ita matr. jure velle jungi*, bene propugnatur: *ita* enim est, eodem modo. Nam et Achilles Briseide captiva non pro concubina et pellice abusus est, sed quemadmodum illi Patroclus deductor promiserat, in legitimam uxorem duxerat: quod ex Homero et epitome rerum Troicarum intelligi potest. Ergo retinendum *ita*. Ita enim dixit Alexander sibi velle jungi matrimonii jure Roxanem, ut Briseida junxerat Achilles. Melius etiam *inferri*, quam *in se fore*; quia nisi legitime duxisset, nefas nobilissimæ virgini intulisset. *Raderus.* Hoc *ita* non videtur idoneum; licet Raderus explicet per 'eodem modo,' quo Achilles matrimonium contraxit. Mallem ita distinguere, ac scribere totum locum: *Achillem quoque, a quo genus ipse duceret, cum captiva coisse, ne inferri nefas arbitrarentur. Et matrimonii jure velle jungi;* vel, *et ita matrimonii jure velle jungi.* Scheffer. *Ne inferri*] Acidalius, *ne in se fore* aliter; forte, *ne sui in se forsitan nefas.* Heinsius.

Patrio more panem] Cælius Lect. Ant. XXVIII. 15. 'in re uxoria gentium ritus varios' adnotat. Plures Alex. Dier. Genial. II. 5. Similem fere morem apud suos observari scribit Aurelianus ad Tacit. XI. 27. 2. 'Sub velo stantibus duobus conjugatis panem et vinum a sacerdote benedictum edendum et bibendum dari.' Alium Dalecampius ad Plinium XVIII. 8. 'Festo et Boëtio matrimonia contrahebantur farreo libo adhibito, Plinio prælato. Itaque farreum hic libum plures ejusmodi exponunt. Servatur mos ille præferendi libum ante prodeuntes sponsas etiamnum apud rusticos Lugdunenses.' Alium Stuckius Tigurinus Convivial. Antiquit. I. 30. cujus verba: 'Panis, postquam sponsus atque sponsa cum suo comitatu e templo, post nuptiarum consecrationem, ad sponsi ædes pervenerunt, ex ædibus affertur in frusta dissectus, ex quo sponsus primo frustum accipit, ac degustat, deinde illum sponsæ porrigit, quæ et ipsa, postquam similiter partem accepit, et degustavit, reliquum panem post tergum rejicit, qui a pueris ac reliquis nuptialis pompæ spectatoribus certatim arripitur.' Quo loco et alia subjicit de pane, amicitiæ atque benevolentiæ signo. Quam quidem interpretationem Curtianæ, quamquam haud ineptæ, tamen anteposuerim. Nullus enim dubito, significare voluisse veteres rerum communionem,

Digitized by Google

quæ deberet inter conjuges observari, mutuamque fidem; ut monerentur communicanda sibi, partiendaque invicem omnia commoda, etiam ad usque buccellam panis. Inde quoque Solonis legem explicem, qua sanxerat, ut 'sponsa cum sponso conclusa malum cydonium cum eo comederet.' Plutarch. Solone c. 32. 'Romulus quoque in communione panis et aquæ matrimonii fœdus inisse traditur:' quod fide Alexandri Neapol. refero. Sane 'Confarreationis' nomen eo videatur pertinere. De qua volente Deo exactius ad Tacit. IV. 16. 2. Eamdem causam habuisse reor Galatarum morem, quibus solemne erat, ut ex uno poculo sponsus sponsaque biberent, notissimo circa eam rem Synorigis exitio, de quo et Plutarch. in Amatorio cap. 48. Persicum autem conjugii sanciendi ritum attigit Arrianus VII. 1. 22. Francicum exponit Lindenbroch. ad Tit. XLVI. Leg. Salicæ. *Freinsh.*

§ 28 *Opes*] Addubito, an non convenientius, *spes*. Idem.

§ 29 *Hoc modo*] Nuptias Alexandri cum Roxane, depictas ab Aëtione, haud minus venusto penicillo delineavit Lucianus in Herodoto. *Idem.*

§ 30 *Ex deditis*] Forte *ex deditiiis;* et sic habent codd. VII. 11. 29. 'Multitudo dedititiorum incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est.' *Heinsius.*

Sed post Cliti cædem libertate sublata, vultu qui maxime servit, adsentiebantur] Omnia hæc non erant in duobus manu exaratis codicibus, Sigebergensi et meo: quid refert tamen, cum ex Coloniensi et reapse satis constet esse Curtii? *Modius. Vultu adsentieb.*] Sic apud Tacit. IV. 12. 1. 'Senatus populusque habitum ac voces dolentum imitatione magis, quam lubens induebat.' Multa huc pertinentia Graterus Discursu 28. in Tacitum; quibus probat, 'maxime laudari, qui minime merentur.' Quod autem dicit vultum maxime servire, testem habet Ciceronem Epist. Fam. I. 9. 'Fronte atque vultu simulatio facillime sustinetur.' Unde Juvenalis Satyra II. 8. 'Frontis nulla fides.' *Freinsh.* Cicero ad Lentulum Ep. I. 9. 'Fronte atque vultu simulatio facillime sustinetur.' Et ad Q. Fratr. I. 1. 5. 'Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur.' *Cellar.*

CAP. V. § 1 *Obsides simul*] Callidissimum consilium, quo et postea usus Hannibal apud Livium XXI. 21. 10. in Hispania, 'conquisitoribus in civitates missis, quatuor millia conscripta delectæ juventutis, præsidium eosdem et obsides, duci Carthaginem jubet.' Sic enim interpretatur illa Polybii III. 33. Ὁμηρείας ἔχοντας καὶ βοηθείας ἅμα τάξιν. *Freinsh.*

§ 2 *Craterum*] Idem tradit Arrianus IV. 4. 10. 'Craterum adversus Catanen et Austanen, qui soli ex Paritacenis defecerant,' verti debuit, 'qui soli ex defectoribus in Paratacene (nam et Παρατακηνῶν scribend. pro Παρειτ.) supererant.' Ceteri enim, qui simul defecerant, jam erant domiti, ut ex antecedentibus apud Arrianum constat. *Freinsh.*

Bubacene] Hanc regionem nemo præter Curtium laudat. *Raderus.* Cogitandum, annon dicere voluerit *Paratacene?* Si Arrianum introspicias, videbitur. *Freinsh.* Regio soli Curtio memorata, ideoque alii *Parætacene* malunt, ubi Polyperchon cum Cratero rebelles domuerat auctore Arriano lib. IV. *Cellar.*

In ditionem] *Deditionem* libri vulgati. *Modius.*

§ 3 *In bellum Indicum*] Quod jam dudum agitabat animo, supra VIII. 2. 27. Et apud Arrian. IV. 3. 4. respondet Pharæmani, ducem se comitemque Ponticæ expeditionis fore pollicito, 'sibi res Indicas in animo esse.' *Freinsh.*

§ 4 *Clypei militares*] Membranæ omnes, quas vidi, *Periti, militares aure et*

Digitized by Google

ebore fulgere dicebant; quæ lectio unde sit, nisi ab imperitis est, qui dixerit, is profecto ingentem a me gratiam initurum se scito. *Modius. Clypei*] Vett. libri, *Pereti*, vel *periti:* an fuit *periti militare?* ut ipsi homines auro et ebore fulgere dicerentur, non tantum clypei illorum; nam et alibi quam in clypeis tantum, sic ornatos fuisse consentaneum est. Sic de exercitu Persico supra III. 10. 9. 'fulget auro purpuraque.' *Freinsh.* Hoc *clypei* est interpretum. Veteres habent *pereti*, vel *periti;* unde Freinshemius, *Periti militare auro et ebore fulgere dicebantur.* Sed cur hic *peritos* pro militibus Noster usurparit? num scripsit potius hoc modo totum locum: *Dives regio habebatur, non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque. Ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculta aperiri. Militares auro et ebore fulgere dicebantur;* vel potius, *ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculto operiri militares, auro et ebore fulgere dicebantur;* hoc est, operiri, sive tegi militares eo, quod exceltum esset magis ad luxum, quam magnificentiam; intelliguntur autem omnia, vestes pariter ac arma. *Scheffer. Clypei*] Forte, *peltæ.* Vide Freinshemium. *Heinsius.* An legi non posset ex vestigiis Mss. pro *pereti*, vel *periti*, *viri et equi*, vel *viri equique?* nam hos conjungit Noster IV. 13. 1. 'Armis insignibus equi virique splendebant.' VIII. 13. 10. 'Terribilior erat facies ripæ, quam equi virique complebant.' *Snak.*

Argenteis laminis] Unde et hi scutati Argyraspides dicti. *Loccen.* Justin. XII. 7. 'Arma militum argento inducit, exercitumque suum ab argenteis clypeis Argyraspidas appellavit.' Quod Justinus hic affirmat exercitum Alexandri ab argenteis clypeis Argyraspidas appellatum, tum primum, cum in Indiam moveret, a vero procul repulsum videtur, cum lib. IV. 13. jam Argyraspidas Curtius post phalangem in acie constitutas doceat. *Raderus. Argenteas laminas*] Hæc verba non advertit Raderus, cum Justinum XII. 7. 6. erroris arcessit, quod Argyraspidas demum fecerit Alexander, cum in Indiam moveret, quid enim aliud hic expressissimis verbis Curtius? Ergo hic potius arguendus erat, quod sibi ipsi contraria scriberet, Argyraspidum supra IV. 13. 27. in prœlio Arbelitico facta mentione; deceptus, ut conjicere licet, a Diodoro XVII. 57. nam Arrianus III. 2. 24. ὑπασπιστῶν ἄγημα, *scutatorum agmen;* non ut Diod. ἀργυρασπιδῶν appellat. Posset tamen dici, Diodorum id hausisse ex antiquo scriptore, temporibus illis coævo, qui, quum istud prœlium describeret, aliquanto post quam acciderat, nomen illi agmini indiderit, quod tunc habebat, utpote notissimum, non illud quod pugnæ tempore habuisset, jam desuetum et oblivioni traditum. Ejusmodi προλήψεως exempla multa passim observantur, ut in Virgilio apud Macrobium. *Freinsh.*

CXX. millia] Intellige cum triginta millibus istis, quorum a pr. capitis hujus mentio, aliisque barbaris, impedimentorum potius loco, quam militum habitis a Livio IX. 19. 5. Nam si robur exercitus computes, verum reperies, quod quidam in Panegyrico Constantino dicto adfirmat, numquam ultra 40000. militum millia duxisse; cui et dicto loco Livius, et Justinus IX. 6. 2. adsentiuntur; ubi Bongarsii notam vide. *Freinsh.*

§ 5 *Tunc esse maturum*] Deest certe vocula participialis: infero, *tunc esse maturum ratus;* et hæc qui perierit omnes facile vident, qui saltem aliquid vident. *Acidalius.* Vocem *ratus* ex Acidalio adsumsi, et revera desiderari judicavi, sicut infra n. 19. a 'Persis discere,' quæ res Glareanum confudit, ut locum non explicaret. *Raderus. Maturum*] Quod multos in exercitu haberet Persas, qui ex avita

Digitized by Google

consuetudine adorare eum incipientes, facilius permoturi essent Macedonas, ut exemplum sequerentur, quos alias ad id persuaderi, nullo vel paucis præeuntibus, arduum videbatur. Post hanc vocem Acidalius inserit *ratus*, exigente sensu: putem tamen potius absorptam fuisse a consimili sono superiori linea: *omnibus præparatis, ratus quod olim, &c.* Freinsh. *Maturum ratus*] Quod exigit sensus, et inseri voluit Acidalius, habet optimus Cod. Fl. ut proinde ille recte divinasse, et locus supplendus voce sua videatur. *Snak.*

Etiam credi] Cum tamen ipse non crederet, nec expresse auderet jubere, ut crederetur: vide infra VIII. 8. 15. et Gruteri Discurs. in Tacit. XXIX. 8. 'Quis enim imponat mihi (aut cuivis) necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi?' In quibus putari possit cogitasse Tertullianum, qui hoc appellat 'interdicere opinionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim.' *Freinsh.*

§ 6 *More Persarum*] De quo exacte Brissonius post pr. libri primi de regno Persarum. Et post eum Cordova Didascaliæ cap. 3. Arnisæus de Repnbl. II. 3. IV. 18. et de Jure Majest. VI. 19. Quibus adde Philonem de Legat. ad Caium: 'Quidam barbaricum adorationis morem in Italiam intulerunt, nativam Romanorum libertatem corrumpentes.' Dionem lib. LX. de Claudio: 'Edixit ne quis eum adoraret, ne quis ipsi sacrificaret.' *Idem.*

Macedonas] Hactenus enim civilius erga hos se gesserat, ut supra ad VI. 6. 6. notatum est: quo alludit Lucianus in voto Samippi, omnino ad exemplum hujus regis expresso: 'Barbari me adorent: ego juxta Græcorum legem imperabo,' vel potius, trajecta vocula, τῶν Ἑλλήνων κατὰ νόμον ἄρξω, *Græcis secundum leges imperabo.* Hoc est, secundum fas Græcorum, quibus indignissimum semper visum quemquam adorare: quam in rem multa, nec ignota exempla festinans prætereo. Id ergo jam a Macedonibus etiam audebat postulare, rem gravissimam, etiamsi non victores cum eo gentium, sed ab hostibus victi fuissent. Sic enim Livii IX. 18. 3. capio: 'Desideratas humi jacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus.' *Freinsh.*

Venerabundos] Servilem cultum, imo supra humanum et vere divinum vis verbi indicat, quod aversabantur Macedones, civiliter antehac a rege suo habiti. *Cellar.*

Prosternentes humi corpora] Hoc est, quod Græce προσκυνεῖν vocant, auctore Corn. Nepote in Conone cap. 3. quo plus quam servilis adoratio significatur, Græcis et omnibus ingenuis semper gravis et molesta. *Cellar.*

Perniciosa adulatio] Exstant multa passim optima dicta in pessimos adulatores, quæ tu apud eos leges, qui communes locos in Polyantheas conjecere; plurima quoque passim Stobæus I. 42. ad quæ non pauca Opsopæus. *Raderus.*

Perpetuum malum regum] Adsentior plane Bernartio his verbis adstruenti lectionem Cod. Ms. apud Statium II. 257. 'Non desunt regni comites;' hoc est, adulatores, qui perpetuo hærent regno, non regi, et fortunam potius magnatum, quam ipsos amant, ut innuit Germanicus apud Tacit. II. 71. 6. Adde Arrianum in sequenti nota. *Freinsh. Adulatio perpetuum malum*] Semper enim magnæ fortunæ comes est adulatio. Vell. Paterc. II. 102. *Cellar.*

Sæpius adsentatio] Verissima gnome, et in qua exprimenda certasse videantur auctores. Capitolin. in Gordianis cap. 25. 'Miser est imperator, apud quem vera reticentur.' Agatharchides apud Photium: 'Novi

Digitized by Google

enim, ut natu grandior, multarumque rerum experientiam consecutus, per assentationem eos, qui excellerent dignitate, regnaque simul funditus deleta Cassandri, Lysimachi, et Alexandri, tanta cum fuerint, Medorum, Syrorum, et Persarum; ut neque generis semina reliquerint,' &c. Diphilus apud Athenæum VI. 16. 'Nam assentator imperatores, dynastas, amicos, Ac denique civitates evertit; Sermone damnoso brevi tempore oblectans.' Arriani loca nescio an adverterint alii; sic enim ille II. 2. 2. 'Qui ad voluptatem tantum loquuntur, maximo semper regibus, cum quibus versantur, damno futuri.' Sive potius: 'Qui jucunda tantum proferentes aderant, semperque aderunt regibus, illorum damno.' Respicit enim id quod modo notatum; hos esse indivisos regni comites, et 'perpetuum regum malum.' Idem IV. 2. 5. 'Cujusmodi homines regibus, regumque negotiis, et perniciosi semper fuerunt, et numquam esse desinent.' Et VII. 5. 20. eadem fere verba repetit, quæ lib. II. posnerat. Marcellinum XXVII. 11. addam de Valente: 'Spectator æquissimus rerum, antequam adulationum perniciosis illecebris captus rempub. funeribus perpetuo deflendis afflligeret.' *Freinsh.*

Libare sustinuit] Facilius eorum peccatis ignosci solet, qui per amorem peccant; quare spero ne mihi quidem damno futurum, quod hic de Palmerii mei conjectura *libare*, quod valet 'delibare,' pro vulgato *labare*, substitui; etsi habeo etiam hujus mei facti alias causas reddere: primum enim aptius nostrum hoc, quam receptum verbum, ad locum videbatur, quod aliud sit pati aliquid in aliqua re immutari, aliud ipsum te immutationi ejus operam dare. Deinde in membranis perscriptum exstabat, non *labare*, sed *libere*; quod plane hominis mihi amicissimi, et in his studiis apud Germanos facile sine controversia principis conjecturam adjuvat. Neminem tamen cogo, ac ne rogo quidem; neque enim tanti est, ut aut Palmerii, aut mea caussa quidquam, si *labare* magis placet, demutet, cum etiam hoc ferri posse intelligam. *Modius.*

§ 7 *Honestarum artium*] Philosophiæ, poëtices, oratoriæ. Tales in Romana aula apud Tacit. XIV. 16. 3. et Philonem de Legatione ad Caium. Vide Plutarchum de Discrimine Adulatoris et Amici, sapientissimo opere. *Freinsh.*

§ 8 *Agis Argivus pessimorum carminum post Chœrilum conditor*] De illo Arrianus ita: Ἄγις Ἀργεῖος ἐποποιός. Meminit et Plutarchus in libro de Adulatoris et Amici Discrimine. Chœrilum vero eodem modo laudat Horatius (quo Curtius) de Art. Poët. vs. 357. 'Sic mihi qui multum cessat fit Chœrilus ille.' Ad quem versum sic Scholiastes vetus: 'Chœrilus fuit poëta ineptus, qui Alexandrum M. secutus ejus bella descripsit; cui Alexander fertur dixisse, malle se Thersitem Homeri esse, quam hujus Achillem. Alexander autem pactus cum eo, ut si bonum faceret versum, aureo numismate donaretur, si malum, colapho feriretur; qui sæpius male scribendo (septem enim versus tantum laudabiles fecit) colaphis necatus est.' Sed hoc melius ac verius de eo judicium vide apud Scaliger. in Animadv. ad Euseb. pag. m. 94. Muretum in Var. Lect. XII. 14. et Gerard. Voss. in Hist. Græc. IV. 7. *Loccen. Agis quidem*] Sic et apud Arrian. IV. 2. 15. scribitur, et in Plutarcho de Discrim. Adul. et Amici cap. 34. ubi insigne ejus specimen notatur. Nam 'cum Alexander cuidam scurræ magna daret dona, præ invidia ac dolore exclamavit, Proh rem absurdissimam! cumque iratus rex se ad eum convertisset, et, Quid ais? dixisset, Fateor, inquit, indignari me ac moleste ferre, quod vos

Digitized by Google

Jove genitos omnes video hominibus adulantibus ac ridiculis uti; nam et Hercules Cercopibus quibusdam, et Bacchus Silenis sese oblectavit, et tales apud te in pretio esse manifestum est.' Et ibid. cap. 51. nescio quos Agesias nominat; nam et ibi Nostrum hunc alludere videtur, qui in nonnullis Curtii libris etiam *Hages* scribitur. Nisi forte propius accedat ad Nicesiæ nomen; nam et ille inter adulatores Alexandri fuit. Athenæus VI. 31. *Freinsh.*

Post Charilum] De hoc inter scriptores historiæ de Alexandro dictum. Gyraldus de Poëtis Dial. 3. duos fuisse statuit hoc nomine poëtas epicos, alium qui LXXV. Olympiade floruerit; et hunc qui cum Alexandro circa Olymp. CXIII. vixerit. Prioris etiam Suidas meminit, non sine eximiis laudibus. At hic, de quo Curtius, ab illo et Horatio pro omnium ineptissimo traducitur. Quod quidem contra Scaligeri sententiam (nam unum tantum asserit fuisse Chœrilum, summum poëtam, Horatiique judicium maximopere reprehendit, ad Eusebian. num. MDXXXIV.) contraque Mureti Var. Lect. XII. 14. et Cl. Vossii de Historic. Græcis IV. 7. evidentissime ostendit Magni illius Viri non tam librorum quam eruditionis heres D. Heinsius lib. II. de Satyra Horatiana. *Freinsh.*

Ex Sicilia Cleo] Sic scripsi audacter, cum alioqui in editionibus *Cilicia* legeretur, et veterum librorum, qui quasi manu me ad hanc lectionem ducebant, auctoritate, et rei ipsius veritate fretus. *Modius. Cleo*] Mirum dictu, quidquid a Cleone Siculo disputatum ait Curtius, hoc totum Anaxarcho Sophistæ Abderitano assignat Arrianus IV. 2. 14. Nec apud Plutarchum ulla Cleonis mentio, et multa Anaxarchi. *Raderus.*

Nationis vitio] Ergo Siculi adulatores? non memini ab aliis scriptoribus hac laude insignitos. Quod semibarbare locuti sint scriptores testantur. Firmicus Astronomic. I. 1. 'acutos;' Cicero in Verrem lib. I. 'genus hominum acutum et suspiciosum' dicit: et de Orat. II. 54. et in Verrem lib. VI. *Siculos facetos.* Σικυλίζειν vero apud Parœmiographum de vafris et improbis dicitur. De variarum porro gentium virtutibus et vitiis tractat Alexand. Neapol. IV. 13. Exstat alius scriptor de moribus gentium improbus et impudens, cujus nomen prætereo, ne chartas meas inquinem, famosus enim potius libellus, quam verus liber. *Raderus.* Vide notam supra ad IV. 1. 30. et V. 1. 37. cui junge Tiraquellum in VII. Leg. Connub. glossæ primæ parte VII. num. 61. et Bodinum de Republ. V. 1. *Freinsh.*

Purgamenta] Malis moribus meriti ut ejicerentur patria. Adde X. 2. *Cellar.* Καθάρματα vocat et explicat Turneb. Adversar. XXVII. 16. et sic Ciceronis vis intelligi potest Catil. I. 5. 'purga urbem.' *Snak.*

§ 9 *Castorem*] De Castore et Polluce scripsimus ad Martialis Epigrammata, et habes longissime explicata ab Natali Comite lib. VIII. toto cap. 8. apud Gyraldum Syntagmate V. de Castoribus seu Dioscuris, uti Græcis appellantur, Ledæ ex Jove filiis, Tyndaridis. *Raderus.* Adde Sueton. Cæs. cap. 10. Hanc autem orationem Arrian. IV. 2. 18. adscribit Anaxarcho. Item IV. 2. 6. jam ante in convivio Cliti cæde insignito, idem fert jactatum a nonnullis. A talibus assentationum portentis infatuatus Caligula, 'primo æmulabatur Semideos quos vocant, Liberum, Herculem, Castores, Trophonium, Amphiaraum, Amphilochum, et similes, irridens eorum oracula orgiaque, ad suam collata potentiam.' Philo de Legat. ad Caium. *Freinsh.* Quatnor Deos enumerant, omnes Jovis filios, quibus Alexandrum exæquant, idem fastigium affectantem. *Cellar.*

Digitized by Google

Cessuros esse] Similis in Cæsarem adulatio Virgilii Georg. I. 34. 'tibi brachia contrahit ardens Scorpius, et cœli justa plus parte relinquit.' *Freinshemius.*

Nobiles] Haud dubie periit vox *Persæ*, vel *barbari nobiles:* id ostendit tam ipsa antithesis, *non modo Macedones et Græci;* quam num. 21. ubi diserte de barbaris, qui convivio intererant. Idem sentiebat Bongarsius. *Freinsh. Nobiles*] Leg. *etiam barbari nobiles;* ut recte Bongars. et Freinshemius. *Heinsius.*

§ 10 *Præparatus erat*] Vulgo, *sicut præparaverat;* Sigebergenses membranæ, *sicut præparatum erat.* Modius.

Gratiam posse, si quem] Nisi meum mihi somnium, non male hæc ita ope veterum codicum restitui. antea circumferebatur: *Merita deinde percensuit, quibus uno modo referri gratia posset, si quidem intelligerent Deum esse, confiterentur;* inficete, imo prodigiose, inepte. *Idem.*

Turis impensa] Alios veteres honores hominibus, alios heroibus, alios Diis adhibebant. De quibus Gyraldus Syntagm. XVII. hujus loci memor, etiam ex Arriano ostendit. *Radérus.*

§ 11 *Persas*] De quibus Brissonius post pr. lib. I. exacte: 'Quin in hanc usque diem Persarum rex pro deo colitur a suis appellaturque dominus, qui cœlum ac terram fulciat sustineatque; et aqua, qua ille pedeis abluit, religiose, ceu res sacra, ac salutare morborum omnium medicamentum, adservatur.' Cluverius German. Antiquæ I. 25. Sed et Æthiopes 'reges ut Deos colunt.' Strabo lib. XVII. Diodorus III. 5. de Romanis Impp. notum. Quorum Augustus, princeps introducendi moris ejus, 'accepisse honores ejusmodi, non quod probaret, sed quia id postularet amplitudo imperii, cui veneratio quædam parabatur his artibus,' videtur Philoni de Legat. ad Caium: quæ sententia eadem vi est cum ea quæ mox seqnitur. Ægyptii reges suos mortuos in deos reposuerunt, solum Xerxem vivum adhuc deum appellarunt. Diodor. lib. II. Quod idem Romanis usitatum fuisse, suis temporibus adnotat Tacitus extremo annali quintodecimo. *Freinsh.*

Majestatem] Pulcherrima gnome; eoque passim citata et illustrata politicis. Incidit in parem sensum Plinius XI. 17. ubi de apibus: 'Non constat inter auctores, rex nullumne solus habeat aculeum, majestate tantum armatus.' De majestate pulchra Ovidius ab initio quinti Fastorum: 'Assidet inde Jovi; Jovis est fidissima custos; Et præstat sine vi sceptra tenenda Jovi.' Item: 'Illa datos fasces commendat, eburque curule, Illa coronatis alta triumphat equis,' &c. Vide Clapmar. Arcan. III. 12. Arnis. de Republ. II. 2. 12. 122. Chokier. Thesaur. Polit. II. 9. &c. et accuratum Lipsium Polit. IV. 9. Nec omitto ex Brissonio de regno Pers. lib. I. pag. 81. adscribere, quod Imperatoris Juliani, qui eunuchos, cocos, tonsores, palatio exegit, factum a plerisque hoc nomine improbatum Socrates Histor. Eccles. III. 1. tradit, *Ὅτι πανομένη ἡ ἐκ τοῦ βασιλικοῦ πλούτου τοῖς πολλοῖς ἐγγινομένη κατάπληξις, εὐκαταφρόνητον ἐτόλει βασιλείαν* id est, ut Cassiodor. Histor. Tripart. VI. 1. vertit, *quod remoto fastu palatii, contemptibile videretur imperium.* Idem.

Vicissent invidiam] Vere enim vetus Panegyrista, alludens ad Sallust. Jug. 10. 2. 'Difficillimum est, invidiam virtute superare:' aut, ut Justin. I. 2. 5. loquitur, 'amplitudine rerum;' nam ut ait Ovid. Amor. I. 15. 39. 'Pascitur in vivis livor, post fata quiescit. Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.' Nempe teste Horatio III. Od. 24. 31. 'Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi.' Ergo 'apud

Digitized by Google

posteros, cum obtrectationis invidia decessit, industriæ testimonium' redditur, ut Justin. fine præfationis ait. Soletque fieri, ut cujus, 'si inter eos, quos numquam vidimus, floruisset, non solum libros, sed etiam imagines conquireremus, ejusdem nunc honor præsentis et gratia quasi satietate languescat;' ut Plinii verbis utar Epist. I. 16. Nam in omni laudis genere, 'illustres atque admirandæ actiones graves invidias et acres calumnias conflare solent.' Polyb. I. 36. Verum qui virtutem sectamini, si tamen hac quoque mercede gaudere potestis, ne dubitate, quin, etiamsi nostra judicia malignitas et invidia tardaverit, verum de nobis dicturi sint posteri nostri.' Auctor de Causs. Corruptæ Eloq. XXIII. 6. et ut ait Tacitus IV. 35. 3. 'Posteritas suum cuique decus rependet.' Sed desino congerere talia, quamquam belle medius fidius, et sapienter dicta. *Freinsh.*

Perplexe] Obscure, ambigue. *Cellar.*

§ 13 *In Callisthenen*] Quare, cum ex hac caussa (*gravitatis et promptæ libertatis*) non posset, sub specie insidiarum interfectus est. Quod mali quoque prævidens præceptor ejus Aristoteles, παῤῥησίᾳ sua et fandi libertate ut parcius uteretur ad Regem, vitæ potestatem et necis in acie linguæ portantem, monuit. Diog. Laërtius in Aristotele. Val. Max. VII. 2. 8. ext. Ammianus Marcell. XVIII. *Loccen.* At Philostratus in Apollonio VII. 1. et 2. interfectum ait, quod 'uno eodemque die Macedones laudavit, et accusavit.' Adde Plutarch. Alex. c. 96. Unde constat, eo quoque facto, nam et ibi libertatis incautæ specimen dederat, incurrisse regis odium. Forte et illo, quod Athenæus X. 9. ex pluribus scriptoribus memorat: 'Alexandro convivante, cum meri poculum, quod ad eum pervenerat, aspelleret, rogante quodam cur non biberet? respondit, nolle se, dum Alexandri poculum ebiberet, Æsculapio indigere.' Quod etiam Plutarchus de Ira Cohib. cap. 6. et Sympos. I. 6. ioco nunc mutilo retulit. De Callisthene videndus et Polybii locus, in Excerpt. Vales. pag. 54. *Freinsh.*

Gravitas viri] Non minus apte dixit Sallustius in Catil. 'Nam regibus boni, quam mali, suspectiores sunt; semperque his aliena virtus formidolosa est.' *Popma.*

Invisa erat] Forte, *invisa erant.* Heinsius.

§ 14 *Si rex, inquit*] Conjunge cum Arriano IV. 2. 20. Ceterum hoc exordio per artem usus est, ut ipsi etiam regi pudorem faceret ejus rei cupiendæ: non quod ignoraret regis animum, quem homo non stupidus, aut ignarus aulæ, sed consilio et animi constantia liber, ex tot indiciis facillime deprehendere poterat. *Freinshemius.*

Peregrinos externosque] Inserui hanc vocem, volentibus jubentibus ita membranis; alioqui in editis nulla erat. *Modius.*

§ 15 *Nullum esse eundem et diuturnum et præcocem fructum*] Elegans similitudo, et nobilis gnome; nam cito nata cito pereunt: sumpta est comparatio ab arboribus præcocibus, quales sunt amygdalus, nucipersicæ seu præcoces, de quibus Plin. XV. 14. et XVI. 25. et singillatim de pomo nucipersico, quia non aliud fugacius: 'Longissima namque decerpto bidui mora est, cogitque se venundari.' Adi nostros commentarios ad Martialem XIII. 46. 'Vilia maternis fueramus præcoqua ramis, Nunc in adoptivis Persica cara sumus.' De amygdalo idem Plinius. Floret prima omnium amygdala mense Januario; Martio vero pomum maturat. Transferuntur hæc in ingenia præcocia, honores præproperos, et hoc genius alia. Alciatus Emblem. 208. 'Cur properans foliis præmittis amygdale flores? Odi

Digitized by Google

pupillos præcocis ingenii.' Quinctilianus enim XIII. 2. testatur, hoc præcox ingeniorum genus numquam fere pervenire ad frugem; et Accius apud Gellium XIII. 2. ait: 'In juvenilibus ingeniis itidem sibi placere, ut in pomis immaturis acerbitas ipsa placet; ea enim demum maturescere (maturitas enim tempestivam adfert suavitatem) reliqua ante tempus putrescere.' Adfert Claudius Minos ex Cælio Rhodigino exemplum de Hermogene Rhetore, quod in commentario ejus ad Alciatum leges. *Raderus.*

Præcoquem fructum] De voce 'præcox,' 'præcocis,' etiam Grammatici tricantur: negat Gellius X. 11. dici 'præcox, præcoquis,' rescribendum esse 'præcocis,' quod in recto non scribatur 'præcoquis,' sed 'præcox,' et versum ex Afranio adducit: 'Appetis dominatum demens præmature præcocem:' 'in quo versu,' inquit Gellius, 'animadvertendum est, quod 'præcocem' inquit, non 'præcoquem;' est enim casus ejus rectus non 'præcoquis,' sed 'præcox.'' Apud Curtium ergo legendum erit *præcocem*, ut pleraque edita ostendunt exemplaria. Ms. Constantiensis et Modiana *præcoquem* habent, quibus mea sententia Gelliana emendatio est præferenda. Est tamen hæc vox duplicis ordinis, secundi et tertii, ut dicatur 'præcoquus, i.' et 'præcox, cocis;' quod ex scriptorum auctoritate docuit ad Martialem. *Idem.*

§ 17 *Immortalitatis*] Leg. *immortalitati.* Heinsius.

Amolita natura est] *Abolita* est in libris scriptis. *Modius.*

§ 18 *Scilicet ego et tu*] Οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ ὅμοιον ἄνθρωπος ἰσχύει πλάσαι θεόν. Sap. XV. Sane ridiculum, Deum aliquem declarari ab hominibus, ut scilicet excellens potentia opus habeat tam imbecillo auxilio. Quod argumentum præclare urgent omnes lati patres, qui contra factitios Deos Christiani cultus veritatem propugnaverunt. Quin et Ethnicorum multi satis intellexerunt: quid enim aliud Ælianus Hist. Var. II. 19. 'Alexander Græcis scripsit, ut se Deum facerent; satis equidem stulte: neque enim quæ natura ei largita non fuerat, hæc ab hominibus petendo lucri faciebat.' Et ibidem Lacedæmonii: 'Quoniam Alexander Deus esse vult, esto Deus.' Apud eumdem v. 12. 'Pop. Atheniensis Demadi irrogavit mulctam centum talentorum, quod Alexandrum mortalem et hominem adscripsisset Olympicis.' Egregie Agesilaus, certe ille magnanimitatis præ Alexandro compos, in Plutarchi Lacon. Apophth. cap. 9. qui 'Thasiis eum, quod magna ab ipso se adeptos beneficia sentirent, templis divinisque honoribus venerantibus, eaque de re legatos mittentibus; ut legit quos honores sibi decernerent, quæsivit a legatis, an civitas ipsorum homines in Deos posset convertere: cum affirmarent; Agedum, inquit, vos ipsos primum deos facite: eo facto, credam vobis, posse me quoque a vobis in Deum mutari.' Atque idem innuit Diogenes apud Laërtium: 'Atheniensibus Alexandrum Dionysium appellari decernentibus, me quoque, inquit, Serapim facite.' Postea hanc artem exercuerunt Vaticani Præsules. *Freinsh.*

Fac aliquem regem, si Deum potes facere] Sensus postulat, *f. a. Deum, si regem p. f.* sequitur enim, *facilius est imperium dare quam cœlum.* Loccen. *Fac aliquem regum*] Age experire vires tuas: minus est regem creare et facere, quam deum. Si regem non potes, quando poteris Deum? facilius est imperium dare, quam cœlum: illud non potes; hoc quomodo poteris? *Raderus.* Optime; nam alii sine caussa mutant: *fac aliquem Deum, si regem potes facere.* Illi Agesilai at-

Digitized by Google

que Diogenis (de quibus modo) mentem in consilio habebant, non Curtii. *Freinsh.*

Facilius est cœlum dare, quam imperium] Videor mihi bene hæc interpunxisse ita, cum in editionibus esset, *facilius est imperium dare, quam cœlum.* Languide plane. *Modius.* Modio subscribunt omnes nostri codices, et profecto majorem vim habere videntur hæc ἐμφυτικὸς prolata, quasi per ὑποβολὴν ipse ad propositum suum respondeat: *fac regem, si Deum potes: facilius* scilicet *est cœlum quam imperium dare.* Snak.

§ 19 *Discere: quos equidem, &c.*] Jam pridem hic Glareanus offendit, cui obscurum, quos respiciat *quos* relativum, Deosne, an Reges, an Macedones? Obscurum id quidem, sed nihil respicitur horum. Mihi vero claro meridie clarius, excidisse aliquid, et id ipsum certo invenisse puto me, quo particula isthæc referatur. Referenda enim certe postrema pars hæc orationis Callisthenicæ ad Persicum adorationis morem, ut illi respondeat Cleoneæ, qua exemplum is Persarum attulerat ad persuadendos Macedonas de divinis honoribus ipsorum etiam regi exhibendis. Verba sunt ejus hæc supra: 'Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter Deos colere: majestatem enim imperii salutis esse tutelam.' Ego igitur hanc mihi licentiam audacter usurpabo, ut, quod deest, a me suppleam, pœnam subiturus quamcumque docti statuerint, ni rem ipsam, quod dicitur, acu tetigero. Scribo, *Non pudet patriæ, nec desidero ad quem modum rex mihi colendus sit a Persis discere: quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, quis vivamus, accipimus.* Acidalius. *Discere*] Olim vidi excidisse aliquid, atque nunc etiam sentio scripsisse Curtium, *a victis discere.* Quod et Acidalium non fugisse postea vidi, qui supplet *a Persis.* Sicut et Bongarsius in suo cod. notarat. Seneca apud Augustinum de Civ. Dei, VI. 11. 'Usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.' De Judæis loquitur, de quibus et Rutilius Itin. I. 398. 'Victores suos natio victa premit.' Ceterum ut talia a victis disci revera absurdum fuerit, ita contra laudabile et usu egregium in suam remp. 'transferre, quod usquam egregium fuerit,' ut loquitur Claudius Imp. apud Tacit. XI. 24. 2. Quam rem de civibus suis deprædicat apud Lucian. in lib. de Gymnasiis, Solon ad Anacharsidem: 'Persuasissimum habe, Athenienses sibi nequaquam dedecori ducturos, ab homine peregrino ac barbaro ea perdiscere.' Adde infra ad VIII. 8. 13. *Freinsh.* Freinshemius jussit *a victis* addi. Tellierius in textum recipit, quem imitamur. Sine eo enim hiulcus sensus est, nec sequens *quos* habet quo referatur. *Cellar. Discere*] Forte add. *a victis;* ut recte Freinshemius. *Heinsius.*

§ 21 *Post aulæam*] Supra ad VI. 11. 12. Hoc etiam ex more Persico, de quo Athenæus IV. 10. 'Hos quidem rex videt per obditum januæ velum, regem autem contueri illi non possunt.' Id imitantur non in conviviis, sed in consiliis Imperatores Turcæ. Lips. in Not. ad Polit. III. 8. De aulæis autem ejusmodi late Brisson. lib. II. pag. 224. et Dempsterus in Paralip. ad Rosini Antiquit. v. 10. *Freinsh.* Mallem, *aulæa, quæ lectis obduxerat.* Vide infra IX. 7. 15. *Scheffer. Aulæa* et *aulæum* velum est, quo parietes vestiuntur, aut triclinium, ut hoc loco, dividitur: plerique librorum *aulæam* habent, muliebri forma; usitatius neutrum genus numero plurativo. *Cellar.*

Barbaros tantum] Simile discrimen

Digitized by Google

observaverat supra VI. 6. 6. ubi nos vide: quod absurdum fore dixerat apud Arrian. IV. 2. 25. Callisthenes: 'An tibi diversi plane honores sint decernendi, Græcis quidem humanos honores Græcorum more tibi deferentibus; barbaris autem barbarice te colentibus?' ubi dixit *Græcorum more*, 'Ελληνικῶς, intellexit idem, quod *νόμον*, *legem*, Græcorum vocat Lucian. citatus ad VIII. 5. 6. Aristoteles ei suaserat, 'ut Græcis principem, barbaris dominum præstaret,' quod merito improbant Plutarch. de Fort. vel Virtut. Alex. I. 8. et Strabo sub fin. lib. I. *Freinsh.*

§ 22 *Polypercon*] Arrianus Leonnatum fuisse ait; qui cum Persam quemdam indecore adorantem conspexisset, ob idque gestum illius, ut ineptum irrisisset rursus, indignatus, adorare ceteros vetuit. *Popma.*

Qui cubabat supra regem] Id est, qui lecto decumbens supra regem mensæ accumbebat. Curtius de Polyperchonte: 'Detractum eum lecto rex præcipitat in terram.' Et eodem libro paullo post: 'Totum exercitum aspicite, qui paullo ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis.' Observa hic veterem discumbendi modum: mensæ accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum. Tres autem uno lecto ut plurimum cubabant. Qui ad caput lecti summus, qui ad pedes imus dicebatur, qui inter illos medius. Polyperchon supra regem mensæ accumbebat, Rex medius, utpote dignissimus. De discumbendi modo apud veteres Lips. lib. III. Ant. Lect. Rosin. Antiq. R. v. 28. Ciacconius de Tricl. *Popma.* Adde Raderum ad Martialem VI. 50. *Snak.*

§ 24 *Castigato diu*] Ægre fero istud *diu*, et vix abstineo interpolare: *Polyp. quidem postea, castigato prius, ignovit.* Tamen din multumque castigatum ceperis ex vulgato. *Acidalius.* Acidalius *dix* mutavit in *prius*, liquidiore sane intellectu: sed inest tamen priori lectioni germanus et aptus sensus, ut dicas, diu castigato in carcere tandem ignovit. Callisthenis odium alta mente reposuit, quod suo tempore expromsit, ut ex atroci ejus postea supplicio apparuit: oneravit hunc invidia et odio apud Alexandrum Anaxarchus, ut est apud Plutarchum. *Raderus.* Pitiscus *diu* explicat 'multum.' *Cellar.* *Postea castigato diu ignovit*] Suspectus est hic locus Criticis; quorum nemo tamen emendavit. Mihi dubium non est, quin sic restitui debeat: *postera castigato die.* Certe sententia congruit, et alias quoque ita loqui libuit. Nam III. 12. 18. 'Alexander postera die cum cura sepultis militibus,' &c. 'Postera die classe ad mœnia admota,' inquit IV. 3. 13. Sic etiam 'postero die' dixit VII. 5. 17. Advocemus etiam Ciceronem, qui de Officiis III. 15. de Pythio Syracusano: 'Ad cœnam hominem invitavit in posterum diem.' Et paullo post: 'Ab his petivit, ut ante suos hortulos postera die (alii legunt *postridie*, sed prius videtur rectius) piscarentur.' Obe jam satis est, imo plus satis. Nam qui adhuc dubitare sustinet (liceat cum Ovidio Trist. v. 4. 8. loqui) 'Ostendi solem postulat ille sibi.' *Heumann.* De quo autem dubitare nos vetat vir Cl.? an de usitata apud optimos scriptores formula, *postera die?* consentiremus, etiamsi minus esset exemplorum adductum, quibus utramque facile paginam implere potuisset. An de correctione? Non tamen sic quoque nos deterret, etiamsi ipsi in sole cæcutire videamur: neque enim credimus tam ingratum sonum interjectæ vocis *castigato* inter illud adjectivum et substantivum non obstrepiturum fuisse auribus accuratissimi Curtii; et illud exemplis confirmasse satius fuisset; vel probandum, id postera contigisse die. Nihil adsero, nec mihi vindico, tacentibus membranis; sed legi posse

Digitized by Google

non diffido *postea castigato sat diu*: vox *sat* vel *satis* ex affinitate præcedentis syllabæ facile intercidere potuit. Sic Plaut. Captiv. IV. 2. 12. 'Qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur?' Terent. Eunuch. V. 8. 55. 'Satis diu jam hoc saxum volvo.' *Snak.*

CAP. VI. § 1 *In Callisthenen*] Hinc orsi sunt novum caput; quod quia receptum est, turbare non sustinuimus. Alias enim recte Raderus conjunxit hæc cum prioribus, ita distinguens: *Polyperconti quidem postea castigato diu, ignovit: in Callisthenem olim contumaciæ suspectum pervicacioris iræ fuit*, &c. Estque par omnino membrorum constitutio, quam reperias in illis Taciti I. 13. 5. 'In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.' De Tiberio loquitur. *Freinsh.*

§ 2 *Mos erat*] Erat jam ante a Philippo institutum, ut nobilissimi Macedonum filii, postquam adolevissent, ad regios usus deligerentur. Hi regi ministrabant, cubantem adservabant, equos adducebant, venantem comitabantur. *Popma. Mos erat*] Institutus a Philippo, ut præter Arrian. IV. 2. 20. auctor est Ælian. Hist. Var. XIV. 49. 'Philippus, clarissimorum in Macedonia hominum liberis adsumptis, sui curam ministeriumque ipsis imposuit; non per injuriam aut contemptum, sed ut patientes eos laborum, et ad ea quæ fieri opus esset peragenda promptos atque paratos redderet.' At Val. Max. III. 8. 3. 'Vetusto Macedoniæ more regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant.' Quod verum puto: sic enim et Noster infra VIII. 8. 3. 'More patrio et ab antiquissimis Macedoniæ regum usurpato.' Sic et hodie pueri nobiles in comitatu et familia procerum, dum ex ephebis excedant, arctissimo famulitio distinentur: quod et Pollet. de Foro Rom. 2. 7. notat; unaque morem Romanum, adolescentulos post prætextam puerilem depositam, dandi in contubernium viris magnis et gravibus. Hæc ergo puerorum cohors delecta erat ex nobilissimis adolescentibus. Alii longe fnere 'epigoni,' de quibus ad X. 4. 8. infra: alii et Βασίλειοι apud Suidam: alii denique 'Principes juventutis' supra VI. 9. 21. *Freinsh.* V. 1. 42. *Snak.*

§ 3 *Excubabant*] Sic apud Sueton. Galba 10. 3. 'Delegit et equestris ordinis juvenes, qui, manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.' At Gaudæ Masinissæ nepoti 'peténti custodiæ caussa turmam equitum Rom. negavit Metellus, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani, satellites Numidæ traderentur.' Sallust. Jug. 65. 2. ubi pro 'in eos,' quod quidem tolerari potest, credo fuisse 'in nos,' h. e. in pop. Romanum. Sic fere apud Tacit. XIII. 41. 4. 'Nec id nobis virium erat,' hoc est, Romanis. *Freinsh.*

Ædis] Forte *sedis*; sic exhibent codd. quidem infra II. 13. 'ad fores ædis ejus.' *Heinsius.*

§ 4 *Actos ab Agasonibus*] *Acceptos ab agasonibus* vulgo. *Modius.* 'Agasones, equos agentes,' Festus Pompeius. *Snak.*

§ 5 *Sedentibus vesci*] Rex accubabat, et cum rege majores principes et amici; nobiles pueri principum filii sedebant: ut et ii, qui feram extra retia nullam adhuc confecerant, ut supra ad VIII. 1. 13. demonstratum est. *Raderus.* Olim autem 'sedebant in cœnis heroës, non accumbebant: qui mos, ut inquit Duris, Alexandro etiam interdum servabatur. Is enim aliquando quadringentos duces in sellis aureis et argenteis veste purpurea stratis sedentes ac reclinatos convivio excepit.' Athenæus I. 14. quo loco et illud quod Raderus innuit, legitur. Quod autem de Heroibus dixit Duris, ex Homero

Digitized by Google

est colligere, alibi, et Odyss. I. 7. 'Convivantes autem per domum audiunt cantorem Sedentes ordine.' Ergo et in Nuptiis Pelei Catullus LXV. 308. 'Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus.' Illyriis eumdem fuisse morem testatur Hermippus apud Athenæum X. 12. et ipsi Alexandro Plutarchus de Fort. vel Virtut. Alex. II. 14. Tiberio quoque Cæsari, sed militiæ, Sueton. Tib. XVIII. 4. et Vellei. II. 114. Pompeio quoque apud Diodor. in Excerpt. Vales. pag. 409. Philo de Josepho: 'Jussi deinde sedere juxta ætatis ordinem; nondum enim discumbendi mos receptus erat,' &c. Ulpianus apud Athenæum pr. lib. XI. 'Apud Adrastum, o amici viri, optimates ac primarii homines sedentes cœnant: Polyeidus, dum in via hostiam immolat, adventantem Peteum detinet, et in gramen reclinato, fronde loco mensæ instrata, de iis quæ mactata fuerant apponit. Præterea, Autolyco, ad opulentum Ithacæ populum cum pervenisset, nutrix sedenti (priscos enim ita cœnasse liquet) idem officium præstitit. Ulyssem, quod scribit poëta Odyss. XIX. 400. 'Puerum tenellum oblatum, filiæ suæ gnatum, Euricleia genibus amicis imposuit, Cœnare cum desiisset.' *θῆκεν*, inquit, id est, super genibus posuit sedentis, non prope genua locavit.' Idem alibi: 'Cum igitur sibi persuaderent, Deos esse præsentes, moderate et temperanter dies festos agitabant antiqui. Itaque neque solebant accumbere, sed epulabantur sedentes.' Sic apud Apollon. Argon. II. 304. *Αὐτὰρ ἐπεὶ μέγα δόρπον ἐπὶ μεγάροισιν ἔθεντο, Δαίνυντ' ἐζόμενοι.* Varro de Vita Pop. Romani: 'Majores nostri sedentes (male impressi, *edentes*) epulabantur: quem morem habuerunt e Laconibus et Cretensibus.' Idem autem quod in Macedonicis pueris Alexander, in suis nepotibus observavit Augustus: 'neque enim cœnavit una, nisi ut in imo lecto assideret.' Sueton. 64. 6. Nam et apud Romanos 'mos habebatur, Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria et parciore mensa.' Tacit. XIII. 16. 1. ubi multa Lipsius, quæ non exscribo. Tantum moneo illud Planti eo loco citatum: 'Haud postnilo equidem med in lecto accumbere, Scis med esse imi subsellii virum:' non extare in Persa ejusdem, sed in Sticho III. 2. 32. Notandum autem, quod Val. Max. II. 1. 2. scribit: 'Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Jovis epulo, ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus servat,' &c. Isidor. Etymolog. XX. 2. 'Apud veteres Rom. usus non erat accumbendi, unde et considere dicebantur. Postea, ut Varro ait de vita pop. Rom. viri discumbere cœperunt, mulieres sedere; quia turpis visus est in muliere accubitus.' De Laconibus et Cretensibus (quorum institutum majoribus suis hæsisse Varro supra citatus affirmat) vide Athen. IV. 6. &c. et in primis IV. 10. ubi 'Pyrgion lib. III. Cretensium Institutorum: In conviviis Cretenses, ait, hilariter sedentes epulantur.' Adde Plutarch. de Fort. Alex. II. 1. 4. Sueton. Tiber. 18. 4. *Freinsh.*

Castigandi verberibus eos nullius potestas præter ipsum erat] Pulchre: quasi rex ipse manus admovere debuerit castigandis. Hoc enim verba sonant, nulli verberare eos licuisse, nisi uni ipsi regi. At tu mecum scribe, *Castigandi verberibus eos nulli jus, nisi potestas per ipsum erat.* Hoc verum: non licebat, nisi cui rex jussisset: ipse infra: 'Nuper cum procacius se in venatione gessisset, more patrio, et ab antiquissimis Macedo-

Digitized by Google

niæ regibus usurpato eum castigari jussi.' Neque te turbet, quod hoc eodem libro: 'Cum Hermolaus apud eum quoque verberatum se a rege quereretur.' Sana mente id accipiet, qui ipsus est sana. *Acidalius.* Hic locus, ut a me editus est, ex Acidalii castigatione prodiit; antea erat, *cast. verb. eos nullius potestas præter ipsum*, quasi rex lorarii vices ipse ageret. Illud autem infra Hermolai: 'Cum Hermolaus apud eum quoque verberatum se a rege quereretur.' Intellige jussu regis, ut supra rex ipse dixerat, 'castigari eum jussi.' *Raderus. Verberibus*] Sic apud Ælianum XIV. 49. Philippus 'Aphthonetum flagris cecidit, quod cum sitivisset, acie deserta, digressus ab itinere, ad publicum hospitium divertisset.' Nec Acidalium audio, qui volebat, *Cast. verb. nulli jus, nisi potestas per ipsum erat.* Quasi scilicet periculum esset, ne quis sic acciperet, ipsum regem admovere manus debuisse; et quasi non ipse videretur fecisse, quod ipsius jussu alius. Quomodo enim aliter Hermolaus mox num. 25. apud Callisthenem 'verberatum se a rege quereretur?' quem ex num. 7. constat tantum jussu ipsius verberatum. *Freinsh. Nullius potestas*] Suspicor scripsisse Curtium *nulli potestas*, quia video in aliis legi *nemini*, quod sine dubio ex glossa est; factum autem censeo *nullius*, quia itidem per glossam aliquis vocabulum *potestas* explicaverat per *jus*, ita natum primo, *nulli jus potestas*, et deinde junctum, *nullius potestas*. Scheffer. Leg. *nulli jus*, et dele *potestas*: X. 2. 15. 'Cni... non intuendi vos jus reliquisti.' Vide Acidal. et Freinsh. *Heinsius.*

Hæc cohors velut seminarium] Sic Noster lib. V. 'Magnorum præfectorum et ducum hæc incrementa sunt et rudimenta:' hinc et proprie, Ἐπίγονοι, vel Διάδοχοι, quod ducibus præfectisque defunctis succederent. Justin. lib. XII. et Suidas in voce Νόμφις. Dio Διαδόχους τῆς ἀρχῆς vocat: dicti quoque Βασίλειοι, quasi regii alumni: Suidas in voce Βασίλεια: hinc et Noster lib. VI. 'Principes juventutis' more Romano vocat. *Loccen.*

§ 6 *Post multas ætates*] Iterum vulgo, *per multas ætates*; male. *Modius. Post multas ætates*] Constat ex regum singulorum, qui Alexandrum secuti sunt in Macedonia, ætatibus, sive annis quibus imperaverunt, non nisi sex et quinquaginta annos supra centum colligi. Scaliger in Thesauro Euseb. Canon. Isag. lib. III. pag. 335. ita ut si ætatem pro sæculo accipias, nec duabus quidem totis regnarint, nedum multis. Si ætatem triginta annos interpreteris, erunt quinque, nec, ipse ut vides, multæ. Si singulorum tempora, quibus regno præfuerunt, respicias, erunt quindecim; atque ita multæ videri possunt: itaque accipiendam hic ætatem suadet res ipsa, et mos loquendi apud Græcos, ubi γενεὰς habes apud Diodorum Siculum, id est, *ætates*, ubi de successione Carani usque ad Alexandrum agit, et ἑκκαίδεκα γενεὰς, ætates seu generationes ponit. *Raderus.* Non post multa sæcula, sed post multas γενεάς. De quibus ad VIII. 1. 18. diximus: citius enim quam post multa sæcula Alexandri successores in potestatem Romanorum venerunt. *Cellar.*

Romani] Vide Florum II. 12. et ibi citatos. *Freinsh.*

Opes ademerunt] Macedonibus primum, deinde Syris, denique Ægyptiis regibus. *Cellar.*

§ 7 *Hermolaus*] Confer Arrianum IV. 2. 31. Quod autem ob aprum occupatum sic indignatus est rex, affectum nosce, qui inest venantibus, ut nempe ægre ferant, gloriam sibi venationis ab alio præripi. Vide Scalig. in Poët. ubi collatione illustrat Homer. et Virg. de venatione apr. Nota in eam rem est Meleagri fabula. Sed et ex verioribus historiis constat apud Per-

Digitized by Google

sas in venatione feram ferire non licuisse, priusquam telum misisset rex. Nam, si fides Plutarcho Apophth. cap. 7. Artaxerxes Longimanus 'primus permisit, in venatione eum qui vellet ac posset, primum conjicere telum.' Verum Xenophon Cyropæd. lib. I. Cyaxarem edicentem facit, 'ne quis feriret prius, quam Cyrus feriendo satiatus esset;' negatque Cyrum id permittere voluisse: quod si verum, jam ante Artaxerxem promiscue licuerit occupare feras. Ejusdem Xenoph. locum ex Cyropæd. lib. IV. huc pertinere arbitror, de Assyrio rege: 'Venatus est cum eo, tamquam amico; quumque prodiisset in conspectum ursa, et uterque hanc persequeretur, noster iste modo princeps emisso jaculo aberrat, quod utinam ne umquam accidisset: at meus ille filius, telo conjecto, quod minime factum oportuit, ursam sternit,' &c. narrat enim ibi Gobryas filii sui cædem inde sequutam. Sic de eodem tam benigno Artaxerxe contrarium plane Plutarcho factum narrat Ctesias: 'Egressus post hæc aliquando ad venationem rex, a leone invaditur, quem in sublime sese attollentem, jaculo percutiens Megabyzus interficit. Id factum graviter tulit Artaxerxes, quod antequam ipse feram nactus esset, eam Megabyzus confecisset, quare caput ei abscindi imperat.' Nisi dicamus ad reconciliationem horum auctorum intelligi posse, regem post hoc factum pœnitentia ductum, liberam postea percutiendi potestatem cuivis venanti secum fecisse. Sed et alia Ctesiæ, auctori ne veteribus quidem valde probato, lis movetur a Diodoro XV. 10. ubi scribit hunc regem sic a Teribazo servatum summum homini honorem habuisse: tantum abest ut caput præcidi jusserit. *Freinsh.*

§ 8 *Amore ejus ardens*] Arrianus IV. 8. 35. ubi ἐραστὴς non satis perspicue exponitur *amicus*. Ab ejusmodi hominibus multas conspirationes factas notat Plutarchus in Amatorio cap. 24. Aristogeitonis exemplo, qui Pisistratidas nullam aliam ob causam aggressus sit, quam ob amasii injuriam. Quam rem et Thucydides VI. 9. diligenter narrat. Similique ex causa Charitonis insidiæ in Phalaridem prolixe narrat Ælianus Hist. Var. II. 4. Talis etiam occasio causam præbuit insidiarum, quibus Philippus occubuit. Diodorum XVI. 94. vide. Sic et supra VI. 7. Dymnus conspirationem suam in regem tuto se detegere posse putat amasio suo. Magna enim necessitudo, et quasi legitima societas habebatur, ut etiam Plutarchum non puduerit scribere Erot. cap. 12. 'Ut infantem a nutrice, puerum a magistro, ephebum a gymnasiarcha,' &c. Sic 'amasium ab amatore regi.' Confer Tiraquell. tom. II. p. 129. pr. 1. Zwing. Theatr. pag. 3462. f. *Freinsh.*

In quo deperibat] Vera hæc est scriptura, ut sciunt, qui Latine sciunt; et qui eam mutarunt, reposuerunt*que quod* pro *quo*, ii varii virgis jam dudum esse debebant. *Modius.* Frobenianus codex habet *in quod deperibat*. An legendum, *qui quum laceratum corpus id, quod deperibat?* accederet sermoni elegans quædam emphasis. Sane 'deperire in re aliqua' num receptum sit Latinis, dubito, vellemque videre exempla. *Scheffer.* Forte, *id quod dep.* Heinsius.

§ 9 *Sollerter legerunt*] Arbitror extra controversiam futuram hanc meam emendationem, si non mea, certe membranarum caussa, unde eam hausimus. Vulgo erat: *quippe solerter quos in societatem sceleris adsciscerent Nicostratum, Antipatrum, Asclepiodorumque, et Philotam placuit assumi:* inepte. *Modius.*

Asclepiodorumque] Aldus, *Asclepiodori filium*, Arrianum, ut puto, secutus potius, quam Curtium. *Freinsh.*

Per hos] Lege, *præter hos*. Nam

Digitized by Google

Arrianus hos conjungit, qui in societatem facinoris pertracti sunt: Antipatrum Asclepiodori f. (qui Satrapatum Syriæ gessit) Epimenem Arsei f. et Philotam Carsidis Thracis f. Nicostratum, Asclepiodorum, et Elaptonium non agnoscit. *Loccen. Per hos*] Nempe qui principes ab auctoribus conjurationis in societatem adlecti fuerant, aliis deinceps idem persuaserunt. Sic apud Tacitum XIV. 40. 2. 'Fabianus subdidit testamentum, ascitis Vicio Rufino, et Terentio Lentino, equitibus Romanis. Illi Antonium Primum, et Asinium Marcellum sociaverant.' Nihil ergo mutandum. *Freinsh.*

§ 10 *Ab expertibus consilii*] Quomodo apud Tacit. XIV. 5. 3. ubi de insidiis in Agrippinam: 'Nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, et quod plerique ignari etiam conscios impediebant,' &c. *Freinsh.*

Forte autem] Ex Basiliensi codice videatur hic legendum *sorte*, nihil enim in hac excubatione fortuitum. Verum *sorte* quoque non eligebantur, sed habebant omnes certas suas vices, quod ex l. VII. c. 1. apertum est. Itaque id *forte* debet accipi de eo tempore. Tum, cum Hermolaus ita castigabatur, accidit, ut aliis aliisque vicibus vigilias agerent, et ob id facinus meditatum expedire non possent. *Scheffer.*

Alius alia nocte] Novem omnino in conjurationis societatem coiere, septima quaque nocte ad eos redibat officium excubandi: tres ergo et sexaginta erant excubitores. *Raderus.*

§ 12 *Mutua fide læti*] Leg. *mutua fide celati.* VIII. 10. 12. 'Jovis femine Liberum patrem esse celatum.' Vide Indicem. *Heinsius.*

Fuerunt] Pal. 1. nihilo deterius, *fecerant*. Freinsh.

Omnibus] Non abs re hoc miratur: magis etiam merito Justinus X. 1. 6. de conspiratione quinquaginta filiorum in Artaxerxem: 'Ostenti prorsus genus, ubi (forte rectius, uti) in tanto populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit (an *potuerit?*) ut ex quinquaginta liberis nemo inventus sit, quem aut paterna majestas, (de regno cape,) aut veneratio senis, aut indulgentia patris, a tanta immanitate revocaret.' Ergo et Tyrannicidæ Athenienses apud Thucyd. VI. 9. 26. 'Cum paucis conjuraverunt, ut res tutius gereretur.' Unde referente Tacito VI. 59. 3. Pisoni quidam inculcabant, 'frustra silentium et fidem in tot conciorum animis et corporibus sperari.' Ipsique hi pueri Curtiani mox num. 15. 'sperare non poterant in illud tempus (septem dierum) omnibus duraturam fidem.' *Freinsh.*

§ 15 *Post VII. dies*] Leg. *post septimum diem.* Heinsius.

§ 16 *Mulier adtonitæ*] Aristobulus tradit, mulierem hanc natione Syram, quæ interdum Apollinis furore correpta, futura prædicens Alexandrum sequebatur, primo Regi ac ceteris ut levem ac vanam irrisui fuisse; mox, ut ejus vaticinia exemplis comprobata sunt, jam non amplius contemptui habitam, permissumque sive noctu, sive interdiu vellet, ad regem ingredi. Hanc tunc forte, cum minime plena esset, Regi e convivio recedenti obviam factam, orasse, ut ad convivas reverteretur, ac reliquam noctem ibidem ageret. Alexander divinitus se monitum suspicatus, revocavit amicos; atque hic, convivio in lucem extracto, conjuratorum insidiæ detectæ sunt. *Popma. Mulier adtonitæ*] Syram fuisse prodit Arrianus IV. 2. 33. natione puto, non nomine. Feminas autem plerumque fata præcinuisse passim legitur. Tacit. XIV. 32. 2. 'Feminæ in furore turbatæ adesse exitium canebant.' In sacris etiam reperiuntur vaticinatæ feminæ, sed parcius. Unde Clemens Stromat. lib. I. satis amplo virorum vatum enarrato catalogo, sex tantum

Digitized by Google

feminas subjicit: Saram, Rebeccam, Mariam, Deboram, Oldam, et Annam. Nostri majores huic sexui 'inesse sanctum aliquid et providum putabant' ætate Taciti: ipsum vide Germ. VIII. 8. Notandum quod Zonaras narrat tomo tertio: 'Michaële Rangabe imperante, muliercula quædam ex gynæceo imperatorio ad lunares circuitus furore percita ad eum clamitabat, Descende, alienis cedito. Id non semel, sed sæpissime factum turbavit imperatorem: itaque Theodoto, quo familiariter utebatur, mulierculæ vociferationes exponit.' His et similibus exemplis moti arbitrantur Henricus de Hassia, et Picus Mirandula lib. IX. de Prænotione, futura prænoscendi et revelandi munus feminis præ maribus datum esse, quod magis fatuus ille sexus sit. Nam de omnibus ejus farinæ vatibus fere fertur, furore quodam percitos prædixisse futura. De ipso Fauno, unde fanatici appellati, Tertullian. ad Nationes II. 9. 'Faunus Pici filius in jus agitabatur mente ictus,' leg. 'furiis agitabatur,' et statim ei tribuit 'insaniam.' Inter omina imperii Tacito oblata, fuit et quod 'fanaticus quidam in templo Silvani tensis membris exclamavit, Tacita purpura, Tacita purpura, idque septimo;' ut refert Vopiscus in Floriano cap. 4. De mulierum vaticiniis aliquammulta exempla refert Zwingerus Theatri Volum. v. lib. IV. Sic et Sixti Pontificatum furiosi prænuntiavere, &c. Fulgosum vide I. 8. De Pythia vulgo notum. Denique et Græci μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellaverunt. Servius ad illud Virg. Æn. III. 443. 'Insanam vatem adspicies, quæ rupe sub ima Fata canit.' Adi Ciceronem de Divinat. lib. I. c. 31. *Freinsh.*

Quia instinctu] *Instinctus* hic absolute ponitur pro enthusiasmo. *Loccen.* *Quia instinctu*] Cujus? videtur quid abesse, sed nec cetera hujus loci clara. Cur enim additur supra, 'ut creditum est?' Alterutrum necesse erat non videri, sed verum esse, vel ut attonitæ mentis esset, vel ut prædiceret instinctu divino. An scripsit, *quum mulier adtonitæ mentis conversari in regia solita, quia instinctu divino videbatur futura prædicere.* Scheff.

Motum præferens animi] Neque *metum* neque *motum* probo, si quis substituere velit. Rectum est quod vulgo. Tamen eleganter *animi mota* pro instincta, quæ non sit suæ mentis, ut solent, qui divinitus inspirantur. *Acidalius.*

§ 17 *Horam diei*] Diem alii aliter observavere. Babylonii inter duos solis exortus: Athenienses inter duos occasus: Ægyptii et Romani, qui diem definivere civilem, a media nocte in mediam: vulgus omne a luce ad tenebras; quomodo et Curtius a prima luce horam primam numerando, in horam diei ferme secundam Alexandrum convivii tempus extraxisse narrat. *Popma.* *Horam diei secundam*] Post solis ortum intellige, quæ apud nos est ante meridiem octava, sic ut tertia est nona, et sexta duodecima: de qua re disputatum est ad Martialem. *Raderus.* Eam Raderus ait intelligi, quæ apud nos est ante meridiem octava. Sed hæc ratio non constat, nisi sub æquinoctia; quantoque longius ab iis receditur, tanto major ejus deprehenditur inæqualitas. Verbi gratia: constituamus diem octodecim horarum, quarum prima incipiat cum nostra tertia, ultima desinat in nostram nonam vespertinam: jam singulæ horæ Romanæ continebunt sesquihoram nostratem; atque ita prima Romana erit nostra tertia cum semisse quartæ; secunda, semissis alter quartæ nostræ, cum tota quinta, et sic deinceps. *Freinsh.*

§ 18 *Humanæ mentis concupiscentiæ devoraverunt*] Hic venlam ab eruditis peto prudentem, si quid, ut neme nostrum non peccat, homines enim sumus, ut ait ille, non Dii, si quid, in-

Digitized by Google

quam, in hujus loci emendatione a me titubatum est. In editionibus legebatur antea, *adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes quam ingentes concupiscentiæ devoverunt.* Membranæ Colonienses referebant, *adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes devotaverunt.* Sigebergenses vero, *adeo pertinax spes est, quam humanæ mentis devoraverunt.* Ex quibus omnibus secutus nominis mei auspicium, ita scripsi, ut excusum est. Nec debebat sane dubitari, quin illud *ingentes* natum sit ex voce *mentes*, litera una inserta, præsertim cum in membranis non exstet: in hoc magis disputari posse videtur, an etiam illud, *concupiscentiæ*, quod æque a veteribus libris abest, non melius omitti et a nobis possit, ut legamus, *Adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes devoraverunt.* Et sic me Musæ ament. Sic tibi hoc persuadeam, lector, ut non tantum ita scribi potest, verum etiam debet: me tamen antea moverat, quod, ut dixi, *mentis*, non *mentes*, in Sigebergensi codice reperissem. Sed nunc aliter videtur. *Modius.* Ego vero libens veniam Modio do, sic ut legimus immutanti, quin amplius vellem, ita prorsus excudisset, ut ad ultimum conjecit, *Adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes devoraverunt.* Non veniæ modo, sed et gratiæ locum reperisset, apud me quidem. Nam mihi sane totum istud, *quam ingentes concupiscentiæ*, glossa marginalis est, in contextum, ut fit, ab imperitis denique recepta. Nisi tamen non invenuste aliter etiam interpolari videatur in hunc modum: *quam humanæ mentes tam ingenti concupiscentia devoraverunt.* Quod si cui placet, eum dono: sibi habeat. Mihi Modianum, quod dixi, unice probatur. *Acidalius. Pertinax spes*] Ego legebam, *Adeo p. res* (an *spes*) *est, quam humanæ mentes ingenti concupiscentia devoraverant.* Cicer. in Epist. ad Attic. 'Spe devorare hæreditatem.' *Loceen.* Sequor Constantienses chartas, quæ habent, ut edidi, *Quam humanæ mentes devoraverunt.* Quæ scriptura et Modio et Acidalio placuit. *Raderus.* Sed Acidalius: *quam humanæ mentes tam ingenti concup. devorav.* ita tamen ut unice probet illud Modianum, *Adeo pertinax spes est, quam hum. mentes devoraverunt;* habeatque pro glossemate verba ista, *quam ingentes concupiscentiæ.* Quod judicium ab Radero, Constantiensis Cod. auctoritate plane comprobatur. Nec tamen credam lectionem eam mendo carere: certe spe aliquid devorare non semel legi, at ipsam spem, neutiquam. *Freinsh.* Hæc vero pars sententiæ falsa est. Non enim cujuslibet mens spem fovet pertinacem. Quorumdam mentes desperant facilius. Sed nec 'devovere spem' receptum puto. Lego, *adeo pertinax spes est, quam humanæ mentis ingentes concupiscentiæ devorarunt.* Et in hanc emendationem consentiunt codices plerique veteres. *Scheffer.* Forte, *Adeo pertinax res est, quam humanæ mentes spe deveraverunt.* Vide in Catalectis Eleg. de spe. *Heinsius. Humanæ mentis concupiscentiæ*] Locus male sanus. Si *concupiscentiæ* vox apud alios, quam Ecclesiasticos inveniretur; quam edidimus scripturam maxime probarem, quia a vulgatis minus quam aliæ discedit. Ceterum dum certiora præferantur, Modio et Radero prorsus accedo, qui verba vulgaria, *quam ingentes concupiscentiæ*, pro glossemate habent, leguntque, *Adeo pertinax spes est quam humanæ mentes devoraverunt;* quod Constantiensi codice etiam confirmari dicitur. *Cellar.*

Devoraverunt] Quod vulgo *devoverunt* legitur. Suspicatur Tellierius *foverunt* genuinam forsan scripturam esse, ut mollior dictio et Curtiano ingenio dignior, quam sunt, *spem devovere*, aut *devorare*, recipiatur. 'Spem' enim 'fovere' usitatum bonis scriptoribus est; ut Tacit. Hist. III. 62. 1. 'ne quam ultra spem foverent.' *Idem.*

Digitized by Google

§ 19 *Ad curanda corpora*] Curare corpus, est lavare, cibo reficere, dormire, et his similia. Vide supra III. 8. 22. cum notatis VI. 7. 23. quod conferas cum VI. 9. 9. *Idem.*

Quinquaginta sestertia] Efficiunt mille ducentos quinquaginta Philippeos, sive florenos mille sexcentos sexaginta sex. Unum in neutro sestertium continet mille sestertios: sestertius est dimidiatus victoriatus, sive duo cruciferi; qua de re tota copiosissime scripsi ad Martial. II. 26. 'Mutua viginti sestertia forte rogabam.' *Raderus.* Romanis scribens Curtius videtur Latine dixisse, quæ Græcis sunt 'duo talenta.' Sestertium enim mille sestertios continet. Sestertius autem quarta pars drachmæ est, sive denarii, et CCL. drachmæ unum sestertium et plus paullo quam XXX. thaleros constituunt, quos si quinquagies multiplicaveris, genuinam summam habebis, quam supra vulgari talento dedimus. *Cellar.* Omnia habet, qui videndus est, J. Fr. Gronovius de Pecunia Vetere II. 5. pag. 82. *Snak.*

Collaudatisque] Mallem, *collaudatis quoque.* Scheffer.

§ 20 *Quia captis obstare credebat*] Cur hoc? quia credo Alexander revocatus fuit a muliere, quæ divino instinctu agi credebatur. *Idem.*

Fratri suo Eurylocho, quid pararetur, aperit] Arrianus tradit rem palam factam per hos indices; Epimenem Charicli (non Eurylocho, ut Curtius) rem aperuisse, Charicles Eurylocho Epimenis fratri, Eurylochum Ptolemæo, hunc regi. *Locen.*

§ 21 *Inficit fratri manum*] De hoc pluribus egit Brisson. de Formulis Juris lib. v. *Raderus.*

Excitatisque custodibus corporis] Atqui vigilias agere, ac in statione esse hi solebant, quod apparet ex superioribus. Cur ergo hic excitantur? Puto Curtium scripsisse, *excitisque custodibus;* hoc est, evocatis. Nam stetisse Eurylochum cum Epimene in vestibulo regiæ verisimile est. *Scheffer. Excitatisque*] Forte *excitisque*, et mox *excierant.* Heinsius.

§ 22 *Alterius*] Epimenis, qui reus nesciebat quid rex de ipso esset decreturus. *Raderus.*

Ptolemæum ac Leonnatum excubantes ad cubiculi limen excitaverunt] Potius *excitaverant.* Si tamen ipsa vox sincera; quam etsi fero, (acceptam non trito illo significatu, sed quo inferius etiam est hoc libro VIII. 8. 9. 'Nolo singulos vestrum excitare, ne invisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro gravem fecero;') tamen ejusdem crebra repetitio suspicionem movet. Etenim et vix præcessit, 'Excitatisque custodibus corporis,' et statim sequitur, 'excitant regem.' *Acidalius.*

§ 23 *Per se*] Ipsum qui loquebatur: nam et hoc pertinebat ad exculpandam domum, ut scilicet alter fratrum pœnitentiam ageret; alter non innoxius tantum, sed etiam indicii delator atque minister esset. Reliquum sensus distinctione juvimus. *Freinsh.*

Quæ detegeret] Ita eleganter Colonienses membranæ; alii libri omnes, *quæ decederet*, non æque idonee rei. *Modius. Qua decederet*] Ita Mss. malim, *qua detegerentur.* Heinsius.

§ 25 *Jam viros esse*] Ambigua sane sententia: si in malam partem et invidiam trahas, exponet: Iudignissimam rem videri, jam viros, adhuc puerorum more verberibus castigari: tantam ergo injuriam et contumeliam a viris non modo non ferendam, sed omnibus modis ulciscendam. Et hoc est, quod Curtius dixit, videri dictum hoc a Callisthene ad dolorem juvenum incitandum. Mitior sensus alter est: Non tam ægre ferendam corporis castigationem, nec puerorum modo lamentandum; fortium esse virorum, fortia pati. *Raderus.* Auctor est Plutarchus cap. 97. eos consuluisse Callisthenem, qua ratione claris-

Digitized by Google

simi possent evadere: Callisthenem, si clarissimum e medio tollerent, respondisse. Val. Max. tamen VIII. 14. 4. ext. hoc non dictum vel quæsitum vult de interimendo Alexandro, sed Philippo, nisi idem quoque de Alexandro repetitum, vel Valerius memoria lapsus fuerit. Ille sic: 'Pausaniam Hermocratem percontatum esse, quomodo subito clarus posset evadere, atque is (cum) respondisset, si illustrem virum aliquem occidisset, continuo Philippum interfecisse.' *Loccen.* Idem quod Valerius narrat etiam Diodorus XVI. 95. Puto apud Plutarchum μνημονικὸν ἁμάρτημα esse. *Freinsh.*

An ad consolandum, an ad incitandum] Posterioribus Curis nostris c. 4. aliquid de ingeminato *an* subnotavimus. *Cellar.*

§ 26 *Eurylochum L. talentis donat*] Orosius III. 18. occisum ait, sed falso. *Loccen.*

Cujusdam Tyridatis] Pronomen propriis nominibus adjunctum ignobilitatem fere, et vulgarem conditionem significat. *Cellar.*

Opulenti bonis] Scripsi ita, quia ita scribendum visum fuit; libri omnes habebant *opulentis bonis.* Modius.

Donat protinus] Sebisius malebat, *donat: protinusque fratrem, &c. restituit.* Orosius autem III. 18. erroris arcessitur a Viro Docto, quod Eurylochum occisum dicat ab Alexandro. Sed sciendum, non de hoc puero sentire Orosium, sed de alio quodam: id ex Justino XII. 6. 14. unde Orosius sua desumpsit, clarum. Nam Justinus istum Eurylochum occisum innuit dudum ante Clitum, cum nondum de puerorum conjuratione quidquam compertum foret. *Freinsh.*

§ 28 *Qui sanguine contigissent*] Vide supra ad VI. 11. 20. Et Arnisæum de Jure Majestatis VI. 8. *Freinsh.* *Contigissent eos*] Leg. *reos*, et sic mox, *increpantibus deinde universis reos.* Sic et apud Tacitum peccatur et in Fragm. Tragur. *Heinsius.*

§ 29 *Præter Callisthenen*] Cujus rei ipse Rex rationem dat VIII. 8. 20. *Cellar.*

CAP. VII. § 1 *Hermolaus*] Similis libertatis exempla in damnatis morituris que congessit Gruterus ad Tacitum Discurs. 31. 6. 7. *Freinsh.*

§ 2 *Etiam parentis*] Quia lege Maced. omnes propinqui rei occidebantur. *Raderus.*

§ 3 *Quæ nostris malis didici*] Forte, *quæ de nostris malis vis dici.* Heinsius.

§ 4 *Non e vilissimo*] Ex nobilissimo sanguine. *Cellar.*

Sta in acie] Alii, *stant in acie*, et profecto melius. *Modius.*

§ 5 *Ne simplici morte*] Ut Philotas, antea in eculeum impositus. *Raderus.* De *simplici morte*, Indicem consule. *Freinsh.* *Ne simplici morte*] Propter tormenta, quibus lacerati, antequam necarentur, non una morte mori videbantur. *Cellar.*

Attalum] Vide Supplem. I. 10. *Cellar.*

§ 7 *Obstrepunt*] Sic apud Tacitum IV. 42. 2. 'Æmilius e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert, et quamquam inter obstrepentes magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur.' *Freinsh.*

Supremum] Forte *supremo*, vel *sub prima ira.* Virgil. Georg. II. 326. 'prima vel autumni sub frigora.' Sic Ovid. Fast. v. 455. 'redeunt sub prima crepuscula mœsti;' ubi Mss. etiam 'suprema,' et apud Val. Flacc. *Heinsius.* Facile locum hic sibi vindicat hoc *supremum;* nam sumitur eodem significatu, Latino nempe et eleganti, quo Noster dixit V. 12. 8. 'Artabazum ultimum illum visurus amplectitur.' Terent. Andr. II. 1. 22. 'Si id facis, hodie postremum me vides.' Justin. XIV. 2. in fine. 'Ut postremum sibi alloqui exercitum liceret.' Gell. V. 9. 'Se videre, quid

Digitized by Google

faceret, magnum inclamavit.' Confer. ad III. 1. 7. *Snak.*

§ 8 *Ægre coërcitis*] Leg. *coërcito.* Heinsius. Ideo forte correxit Nobiliss. Heinsius, quod ipsa editio, qua utebatur, adstipulantibus suis Mss. vitiose etiam habebat, *coërcitus.* Snak.

§ 10 *Rem pulcherrimam*] Sic ipse æstimabat, alii contra. Ita Romæ 'occisus dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.' Tacitus I. 8. 7. *Freinsh.* Cædem tyranni; 'Græci enim Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt.' Cicero pro Milon. cap. 29. 'Occisus Dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.' Tacit. Ann. I. 8. 7. *Cellar.*

Cum morti olim destinatus sit] Non capio sensum hujus loci. An enim hæc est causa, quod a nemine dicatur conscius fuisse cædis, quia jam ante morti fuit destinatus? quid ergo hac reticentia ei profuerunt? 'Nemo parcit morituro,' inquiebat supra Philotas: malo igitur, *quamquam morti olim destinatus.* Vitium ex eo, quod in *quamquam* alterum *quam* putarunt otiose repetitum, ac idcirco omiserunt. Deinde ut orationis sensui consuleretur, ex *quam*, *quum* est factum. Sententia elegantissima. Licet sciamus morti eum a te destinatum, neque posse eum liberari ullo nostro silentio, nemo tamen eum nominat. Causa, quia innocens est, nec conscius hujus cœpti. *Schefferus.*

§ 11 *Trig. millia mulorum*] Quum hæc primum legerem, candide Lector, ipse mecum rem quasi ridiculam admiratus, cogitare diligentius cœpi, essetne verum quod homini mihi imperito earum rerum, etiam prope impossibile videretur. Quantam enim pecuniæ summam triginta millia mulorum ferre posse credamus? Hæc quum ita mecum tacitus reputassem, cœpi anxius etiam atque etiam cogitare, quo pacto rationem inirem, ut id ita esse certo invenire, atque ideo firmis argumentis approbare possem: ibi in mentem venit, si ad solam, quæ Persepoli capta est, pecuniam requirebantur mulorum ac camelorum tria millia, ut Diodorus in sexto Alexandri anno supputat; certe etiam hic numerus, quantumvis magnus, aliquo modo ad veram rationem deduci posse, mihi videbatur. Si enim omnes summas Susis, Ecbatanis, Pasargadis, Arbelis, Babyloniæ, et Persepoli inventas computare volemus, tum cogitare non aurum solum, sed et argentum vectum, et pretiosa alia, ut lapillos, gemmas, ac margaritas; denique, exaggerationem factam ab hoste perituro Hermolao; non parvum adjumentum habebimus ad hunc locum firmiter constabiliendum. Sed primum Diodori locum in abacum revocemus; ac eo discusso, lectori non omnino stupido reliqua de aliis locis dijudicanda relinquamus. 'Persepoli,' inquit Diodorus XVII. 71. 'inventa sunt, auro ad argenti rationem deducto, centum ac viginti millia talentum:' qui numerus per sexcenta ductus, producit summam 72000000. coronatorum. (septuagies bis millena millia; non, ut solemni errore enuntiat Explanator, septuagies bis millies centena millia.) Jam quod ad pondus attinet, (portabant enim eam pecuniam mulorum ac camelorum tria millia, ut dictum est,) in Romanæ libræ besse comprehenduntur septuaginta duo coronati: est autem bes libræ Romanæ dimidium libræ zygostaticæ, quæ habet coron. 144. per quos si 72000000. dividantur, erunt libræ zygostaticæ 500000. Hæ libræ si per 3000. mulorum dividantur, singulis mulis evenient libræ 66. ac supersunt 2000. libræ; quas si addamus, incedent mulorum ac camelorum duo millia, centenis sexagenis septenis; alia millia, centenis sexagenis senis libris. Nostra quidem ætate equi vehunt ducenas li-

Digitized by Google

bras, sed fortassis non in tam longum iter. Sed et vasa ipsa non tam commode, quam pecunia duci potuere: nec omnia in auro erant fortassis, sed et in ebore, argento, aliisque rebus (ut diximus) pretiosis: ut non omnino, si quis recte secum animo omnes ubique summas colligat, ad eum quem in Persepoleos thesauro ostendimus modum, absonum sit veritati, 30000. mulorum aurum captum vehere Alexandro. Hæc præter consuetudinem nostram ideo scribuntur, ut juvenibus ad sublimiora anhelantibus cogitandi daremus occasionem, ad ea quæ ante hanc ætatem nemo noverat. Quotusquisque enim tum erat, imo quotusquisque hodie vivit inter eximie etiam doctos, qui quum ad hujusmodi res ventum est, non continuo fateatur, vel ad se nihil attinere, vel rem frivolam esse, considerationeque indignam! At ego ejus sum opinionis tantos auctores haud temere motos, nec talia scriptis prodituros fuisse, nisi ea et lectu multo dignissima, et cognitu utilissima judicassent. *Glareanus.* Adstipulatur Curtio Plutarchus de Fortuna Alex. II. 24. 'Aurum ab innumeris circumferendum camelis.' Μυρίους dixit Plutarchus, quod illi innumeros reddiderunt, veriti fortasse, ne dictu nimium aut incredibile foret, decem millia camelorum auro onusta. Sed decem ea millia nondum accederent ad Curtii rationem, si uni camelo duorum mulorum onus deputes. Apud eumdem in Alexandro cap. 68. Persepoli repertum 'instrumentum regium et opes decem millibus jugorum mularum et quinque millibus camelorum egesta.' Rationarium imperii Gallicani, sive *Le secret des finances de France descouvert par Froumenteau*, indubitatis argumentis colligit, ab anno 1550. ad 1581. in Gallia tantum auri exactum esse, quod circiter triginta millibus quingentis tribusque et octoginta mulis onerandis sufficeret: idque sic demonstrat: Anno 1529. Flaviobrigam (ea hodie *Fontarabia*) redimendo Regi Francisco I. missos fuisse, teste Bellayo, 1240000. aureos solares triginta duobus mulis pecuniam eam portantibus: exactos autem fuisse aureos solares 1583333333. hoc est, millies quingenties octuagies ter millena millia, trecenta triginta tria millia aureorum, et insuper triginta super trecentos. Ad hanc rationem si examines Alexandri captivum aurum, reperias 1200010100. solares aureos, sive millies ducenties millena millia, et centum supra decem millia. Sane ut supra ad VI. 11. 6. notavimus, Ecbatanis habebat centies octies millena millia Philippæorum: sed hæc vix sextadecima pars fuerit ejus summæ. Aliunde quidem eum magnam pecuniæ vim habuisse dubitari non potest, cum Cyrus olim devicta Asia, hoc est, Lydorum atque sociorum ditionibus, quæ minima portio Persici deinceps imperii fuit, 'argenti quingenta millia talentorum reportaverit,' teste Plinio XXXIII. 3. 17. hoc est, trecenties millena Philippæorum millia. Sed hæc quoque summa longe ab illa abest, quam diximus. Certe oportet ingens auri pondo fuisse, quo tot muli onerarentur, et unde sedecim amplius Colossi aurei fieri potuissent, æquales æneo quem in Rhodo mundus stupuit. Nam illius materia nongentis camelis asportata est. Cameli vero onus est duplum ad onus muli. Est enim DCCC. pondo, ut notat Scaliger ad numerum Eusebian. MDCCXCIV. Non igitur abs re Lipsius in nota ad III. 2. Admirandorum, peccatum in Curtii numeris putat, et omnino *tria millia* pro *triginta millia* scribendum; eum etiam Demosthenes, de Classibus, pro magno referat, quod regi Persarum *mille ducenti cameli* pecuniam veherent. Sed tamen contra hoc judicium, Curtium haud leviter tueri videntur allata Plutarchi loca. Et ne supra fidem

Digitized by Google

videatur ea pecuniæ summa, certe ex tot antiquissima opulentia refertis provinciis; ex tot tantisque regnis, quidni intra septem aut octo annos tantumdem congesserit Alexander, quantum intra triginta annos ex una Gallia exactum fuisse constat? Præsertim cum etiam David modicorum finium rex, si cum tanto imperio compares, ingentem pecuniæ modum habuerit, Paralipom. cap. 22. 'Auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentum;' quod efficiat 1200000000 Philippæorum, duodecies centies millena millia. Ideo Maiolo adeo Curtianus numerus non videtur sufficere, ut insuper alia decem millia mulorum addat. Sic enim scribit in Dieb. Canicular. ubi de metallis: 'Erat Alexandro Magno tanta gaza, ut vehi non posset a paucioribus quadraginta millibus mulorum, ut Curtio videtur, et ex illo etiam recolit Franciscus Picus libro II. de Strigibus.' Sed enim plus satis erant triginta millia. *Freinsh.* *Tria millia*] Lipsio auctore in notis ad lib. de Magnitudine Romana III. 2. posuimus *tria* pro vulgari *triginta*, ne immanis auri summa surgat. *Cellar.*

§ 12 *Patrios mores*] Firmari hinc possit felix conjectura Boxhornii in Justin. XII. 4. 1. 'A Philippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriæ morem ejuraret:' qua etiam de caussa hic ab Hermolao perbelle appellatur 'transfuga.' Adstipulatur et Val. Max. IX. 5. 1. ext. 'Fastidio Philippi Jovem Hammonem patrem ascivit: tædio morum et cultus Macedonici, vestem et instituta Persica adsumpsit: spreto mortali habitu, divinum æmulatus est, nec fuit ei pudori filium, civem, hominem dissimulare.' *Freinsh.*

Te transfugam] In Persarum ritus et mores. *Cellar.*

§ 14 *Tristius*] Falsum hoc apud plerosque: rari quippe sunt quibus ista cordi: 'aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitium?' Tacit. II. 5. 4. deprompta ex istis Sallustii Hist. I. 2. 10. 'Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam aut mori per virtutem?' Adde ejusdem Catil. XX. 6. *Freinsh.* Multa in hanc sententiam Cicero, Philipp. II. 44. 'Servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum.' Philipp. III. 14. 'Cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus.' Et Philipp. X. 9. 'Mors civibus Romanis semper servitute potior.' *Cellar.*

§ 15 *Si emendari potes*] Gruterus ad Tacit. Discurs. 41. 5. plus amarulentiæ subesse putat his verbis, quam prima fronte videatur, et sic exponit, quasi velit Hermolaus quod apud Tacit. XV. 68. 1. Sulpicius Asper ad Neronem: 'Non aliter tot flagitiis ejus subveniri posse;' vel, ut Sueton. Ner. 36. 5. effert, 'aliter illi non posse, nisi morte succurri.' Ego tamen non video, quomodo Curtii verba hanc explicationem patiantur: non enim imputat Alexandro, ut illi apud Suetonium, quod eum voluisset occidere; sed quod utilibus eum præceptis ad bene imperandum, si ea monitione corrigi posset, instruxisset; ad quam rem utique non morte regis festinata, sed longiore vita opus erat. *Freinsh.*

Parce] Deest *parentibus*, aut tale quid. Bongars. suspicabatur legendum, *De cetero parce, aliorum orbam sen. suppliciis ne oneraveris.* Melius Ruderus edidit, *parce his quorum orbam, &c.* si tamen ex libris id supplevit Modius; eum enim ille sequitur, aliis quidem libris abest pronomen. Adspicit autem Hermolaus morem Macedonum, quo parricidarum propinqui etiam puniebantur. De quo aliisque similibus supra ad VI. 11. 20. et mirifice disputat Grotius de Jure Belli II. 21. 9. et sequentibus. Arnis. de Jure Majest. III. 6. 8. et seqq. et

Digitized by Google

de Rep. I. 4. 2. et Clapmar. Arcan. IV. 5. *Freinsh.* Locus admodum corruptus. Nam sive legas, *de cetero parce: aliorum orbam, &c.* quod volebat Bongarsius; sive *parce his, quorum, &c.* quod volebat Raderus; sive *parce parentibus, quorum, &c.* quod volebat Freinshemius; sententia nulla idonea est: quid enim est, *quorum ne oneraveris? τὸ ne oneraveris* petentis est periode, ut illud *parce;* at in isto *ne oneraveris,* ratio debebat poni petitionis. An legendum, *De cetero per te horum orbam senectutem supplicüs ne oneraveris.* Scheffer. Tellierius, *parce his,* parentibus nempe et consanguineis. *Cellar.* Pro *parce quorum,* legendum *parentum.* 'Alias conjecturas duriores esse et a scripturæ hujus vestigiis magis recedere' putat Clericus Judic. de Curt. cap. 10. 8. *De cetero parce quorum*] Emendat Clericus acutissime, ut legat *parentum* pro *parce quorum.* Quæ lectio ut firmior sit, moneo, eam ipsius Curtii auctoritate niti. Nam capite subsequenti, quo Alexander Hermolae copiose respondet, ad allata Hermolai verba num. 10. hæc reponit: 'At nunc mones me, ut vestris parentibus parcam.' Erat enim vetustus mos apud Macedonas, ut eorum, qui vitæ regis struxissent insidias, etiam parentes propinquique necarentur. Curt. VI. 11. 20. et VIII. 6. 28. Qua eadem de caussa pater Hermolai eum vocabat 'parricidam parentis sui' VIII. 7. 2. Addo geminum locum ex Tacito Annal. XVI. qui de Servilia scribit, 'Ne patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur.' *Heumann. Art. Crit.* p. 179. Modius cum nihil monuerit, procul dubio auctores habuit codd. suos, cum edidit *parce his;* nam sic est etiam in Voss. 2. et habet efficaciam quasi digito monstrantis *parce his,* qui ex 'amicis propinquisque' conjuratorum 'in consilium advocati fuerant' VIII. 6. 21. Qui 'obstrepebant cuncti,' ut paullo ante. Nec geminata petitionis contentio huic loco alicna est in homine adolescente vehementissime in utramque partem affectibus agitato. *Snak.*

Jube duci] Ad supplicium, quod integre legitur apud Justinum XII. 11. 8. Non raro autem *duci* ita absolute de capitali supplicio. Plinius Epist. X. 97. 'perseverantes duci jussi.' Seneca de Morte Claudii 'Febrim duci jubebat,' quod ibidem explicatur 'collum illi præcidi.' Florus III. 21. 'morte damnati duci jubentur.' Tertullian. ad Scapulam cap. 5. de supplicio Christianorum, 'paucis duci jussis.' *Cellar.*

CAP. VIII. § 1 *Patientia mea ostendet*] Imo, *ostendit,* præsenti tempore vel præterito potius. Ostenderat enim jam longe aliter se moratum rex ista ipsa patientia, qua convicia et probra debacchantis in ipsum Hermolai tam placidis auribus acceperat, et tulerat animo tam æquo. Documentum et exemplum moderationis suæ dederat, immodestiam sine ulla moderatione exprobranti sibi modestissime auscultans. *Acidalius. Patientia mea*] Si enim essem istis moribus quibus me videri iste voluit, jampridem indicta caussa eum occidissem. Elegans est illud in hanc rem, quod de Augusto narrat Sarisberiensis, qui cuidam in publico inclamanti, 'O Tyranne!' respondit, 'si essem, tu non diceres.' *Freinsh.*

§ 2 *Tamen ut vos quoque*] Absque libris veteribus esset, poteramus lectionem vulgarem, quæ talis exstat, *Confessum enim ultimum facinus, tamen ut vos quoque, non solum ipse, audiretis, expressi,* suspicione mendæ liberare. Sed cum illi partim hoc totum, *ut vos quoque non solum ipse,* partim tres voces ultimas ejus non habeant, expresserunt, ut imperarem animo meo credere, scripsisse Curtium, ut excudi jussi. *Modius. Ut vos quoque*] Male affectus locus: omnes istas voces omittunt Mss. at sequentes, non

Digitized by Google

solum ipse, recentiores impressi. Si mei sit arbitrii, faciam, *ut vos quoque ipsi audiretis*. Vulgo, *non solum ipse*, quod de se dicere Alexandrum intelligas. *Freinsh.*

§ 3 *Procacius in venatione*] Aprum feriendo, quem ipse rex trajecturus erat, cap. 6. 7. *Cellar.*

Ab antiquissimis] Non ergo cepit illud institutum a Philippo, ut volebat Ælianus supra ad VIII. 6. 2. ubi vide. *Freinsh.*

A tutoribus] Liquida sententia, subturbida verba, sic mutanda: *et fit a tutoribus pupillis, a maritis uxoribus.* Aut potius minori mutatione sic: *hoc et oportet fieri*, (dubito an et hoc mutandum *ferri*,) *et ferunt a tutoribus pupilli, a maritis uxores, servis quoque, &c.* Acidalius. *A tutoribus*] Hæc ita concepta fuisse putem: *Hoc et oportet fieri; et fit: tutoribus pupillos, maritis uxores, servis quoque hujus ætatis pueros verberare concedimus.* Tutoribus autem id jus in pupillos apud Romanos quoque fuisse conjici potest ex definitione tutelæ, quod sit 'vis ac potestas in capite libero.' Nam 'tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponitur,' lib. XII. § 3. de Administr. Tut. Juvat et ratio legis unicæ C. de Emend. Propinquorum. *Freinsh. Ferri et ferunt*] Hæc ex ingenio Acidalii sunt. Vulgo, *oportet fieri, et ut a tutoribus.* Tellierius quoque *ferunt* pro *ut*. Cellar. Forte, *et ferunt*; et sic Acidalius. Vel forte, *Hos id oporteret ferre, ut ferunt*. Vel etiam, *hoc eos oporteret ferre, ut ferunt*. Heinsius.

Uxores] Ne tamen sine legitimis caussis, neve flagellis aut fustibus id fiat, Arg. l. 8. § 2. C. de Repud. et Nov. 117. cap. 14. ubi Gothofr. cui junge Alciatum de Præsumpt. regula prima Præsumpt. 3. et quos ibi citat. Idem Tiraquell. in Leg. Connub. 1. 8. et 9. prolixe, qui probat jure quidem maritis eam potestatem concedi, sed sapientes et cordatos viros ea uti non solere. *Freinsh.*

Servis] Inprimis pædagogis: elegans exemplum in Plauti Bacchid. III. 3. quæ scena digna lectu: digna, qua bona insunt, imitatu. *Idem.*

§ 4 *Non ignoratis*] Sequitur in omnibus editis libris, *commemorare supervacuum est*; quod quidem nisi re vera hoc loco supervacuum est, servitum me abducito, et ego me tibi addicam. *Modius.* Lege *cum non ignoratis*; et vide Modium. *Heinsius.*

§ 6 *Bis insidiatum*] Plenior historia desideratur. Adde X. 1. 40. *Cellar.*

Duobus indiciis] Ita habebant membranæ, unde poterat etiam scribi, *duobus judiciis*; ego tamen præ hoc, et illo, amo vulgatam lectionem, *a duobus indicibus*; dixit jam supra Rufus VII. 1. 'A duobus indicibus (sicut supra diximus) delatus tertium jam annum custodiebatur in vinculis.' Unde etiam apparet, mox non *biennium*, quod vulgo hæret, sed *triennium*, ut et membranæ etiam habent, quas Diodorus confirmat, legendum esse. *Modius.*

Rursus] Intellige, primum a duobus indicibus nominatum veniam impetrasse; iterum deinde convictum pœnas luisse. Turbat tamen supra VII. 1. 6. ibi enim etiam in easdem cogitationes occidendi regis post veniam relapsum scribit: sed id de duobus indicibus, non ut hic priori, sed posteriori ejus consilio attribuit. *Freinsh.*

§ 7 *Attalum*] Insidias regno ipsius nectebat Attalus, Cleopatræ, quam alteram Philippus uxorem duxerat, avunculus. Hunc igitur e medio submovendum curavit per Hecatæum, qui per occasionem societatis cum Parmenione interfecit Attalum. Diodor. Siculus lib. XVII. *Loccen.*

Probra dicentis mihi] Alii, *probra dicentem mihi*; quod perinde est. *Modius.*

§ 8 *Clementia*] Videtur expressisse Isocratis verba Nicocle 3. 11. Μὴ μόνον τὰς φόνου αἰτίας νομίζετε τοῦ κα-

Digitized by Google

λεπτὸν ἢ πρᾶον εἶναι τὸν τυράννου, ἀλλὰ καὶ τὸν τρόπον τῶν πολιτῶν. *Locc.* *Clementia*] Verissima, verissima gnome; cui tamen etiam lumen accedat ab sententiis et exemplis a Grutero in Tacit. Discurs. cap. 24. Cui adde nobilissimam Apophthegma Theopompi apud Plutarch. Apophth. Lac. cap. 66. qui interrogatus, 'Quid ita Sparta floreret? quia ne reges recte imperare scirent? Imo, inquit, quia cives parere.' Laudat in Agricola suo dexteritatem istam Tacitus XLII. 6. 'Domitiani vero natura præceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur; quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat.' Quod idem si fecisset Clitus, vixisset. *Freinsh.*

Mitigantur imperia] *Ingenia* Sigebergenses membranæ, quod nihil attingit ad rem. *Modius.*

Quid ego mirer] Arguto genere defensionis utitur: insimulatum se crimine avaritiæ, a quo nemo dubitet eum esse alienissimum: facile igitur judicari posse, ne ceteris quidem criminationibus fidem adhibendam. Eodem modo purgare se conatur Nero apud Sueton. XLI. 4. 'Cetera convitia ut falsa non alio argumento refellebat, quam quod etiam inscitia tantopere laboratæ perfectæque a se artis objiceretur: singulos subinde rogitans, nossentne quemquam præstantiorem?' *Freinsh.*

§ 9 *Argenteis lectis*] 'Post Alexandrum maximum, quia Asiæ thesauros diripuit, prorsus exorta est, quæ, ut Pindarus inquit, late dominatur opulentia,' ait Athenæus VI. 4. cum paullo supra narrasset, adeo rarum antea Græcis usum auri fuisse, ut 'Philippum Alexandri patrem Duris scripserit, exiguam auream phialam, quam penes se habebat, in lecto cubantem, pulvinari semper subdidisse.' Quod tamen non credam, nisi ante exculas aurifodinas Macedoniæ, de quibus Diodor. XVI. 8. Addam pauca ex Dionis Orat. 25. sub finem. 'Alexander in Asiam duceus exercitum, Macedones ditissimos omnium hominum effecit, simul et pauperrimos; et pariter fortes, et pariter infirmos; exulesque et reges eosdem; Ægyptum et Babylonem et Susa et Ecbatana imperio addens, Ægas vero et Pellam et Dion auferens.' Sed mirum est quod de argenteis lectis ait Curtius; et quidem tam vulgatos fuisse, ut toti exercitui tribuantur. Certe de Heliogabalo imperatore rem insuitatam prodere sibi videtur Lampridius cap. 20. 'Hic solido argento factos habuit lectos et triclinares et cubiculares.' Forsan hi solidi argento fuerint, illi militum leviter ornati vel inducti et bracteati. Augustum contra ne 'toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili et modice instrato.' Sueton. Aug. LXXIII. 1. *Freinsh.*

§ 10 *At enim*] Adhuc illæ, de quibus dixi proxime, membranæ, *At enim Persæ, quos vicimus, in magno honore sunt apud me. Id quidem moderationis meæ, &c.* Sed malo vulgata. *Modius.* *At enim*] Suspicor quædam hujus orationis membra parumper esse luxata, quæ sic in ordinem redigam: *Spolia de hostibus suis sustinere non possunt, et sane plus habemus quam capimus: insatiabilis autem avaritiæ est, adhuc implere velle, quod jam circumfluit. At enim Persæ, &c.* Nam illa intermedia, *et sane plus habemus, &c.* infra num. 12. interveniunt alieno argumento, cum ibi de Persis eorumque moribus imitandis instituta sit tractatio. *Freinsh.*

Sunt apud me] Feci sic postulante sententia. Hactenus cusi, *in magno honore sunt. Apud me quidem, &c.* quid intersit, quivis facile æstimabit. *Freinsh.*

Solitudinem facerem] Camillus apud Liv. VIII. 13. 13. ad Patres Romanos: 'Pacem vobis, quod ad Latinos

Digitized by Google

attinet, parare in perpetuum vel sæviendo, vel ignoscendo potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos victosque? licet delere omne Latium: vastas inde solitudines facere,' &c. quod tum prudenter consideravit senatus. At in Taciti Agric. XXX. 7. Romanis invidiose objicit Britannus ille, quod, 'ubi solitudinem fecere, pacem appellent.' Ceterum quæ non minus eleganter hic, quam prolixe de clementia et moderatione vibrat, ea pluribus deducit Gruterus Discurs. in Tacitum cap. 25. et 26. item Virdung. ad ista Taciti Agric. XIX. 1. 'Parum profici armis, si injuriæ sequerentur.' *Freinsh.*

Non paniterat] Quantivis pretii dictum, cui tamen par illud Theodorici apud Cassiodor. Var. Epist. III. 43. 'Nobis propositum est, Deo juvante, sic vincere, ut subjecti se doleant nostrum dominium tardius acquisiisse.' Sane 'firmissimum est imperium, quo obedientes gaudent,' ut ait Liv. VIII. 13. 16. Ad Alexandri subditos accommodat Plutarch. de Fort. vel Virtut. Alex. I. 7. dictum Themistoclis: Ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα. *Periremus, nisi periissemus.* Idem.

§ 11 *Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur*] Sallustius ad Cæsarem de Rep. Ord. 'Ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna arbitror.' *Loccen.*

§ 12 *Quam cupimus*] Male ad Alexandri mentem *cupimus*. Ille vero *capimus* voluit, nec Curtius aliter ipse. *Acidalius. Quam capimus*] Est indubitata emendatio Acidalii; prius legebatur, *quam cupimus*; nec pro Curtii mente, nec Alexandri. *Freinsh.*

Insatiabilis avaritiæ] Impendio placuerunt isti versus: 'Multi cum nimium possideant, sibi Ferme nemo satis possidet: omnibus Fas felicibus est esse: sed haud magis Quisquam sorte sua scit bene perfrui: Sic quo dives, eo pauper is est magis.' Sunt autem Reusneri ad Symbolum Fl. Justiniani II. quo loco multa de avaritia lecta digna congessit. *Freinsh.*

Adhuc implere] Forte, *adhuc impleri*. Heinsius.

§ 13 *Eorum*] Forte, *victorum*, vel *exterorum*. Idem.

Imitari] Vide supra ad VIII. 5. 19. Sic a Rom. veteribus 'accitis quæ usquam egregia, compositæ duodecim tabulæ.' Tacit. III. 27. 1. Præclare Cæsar apud Sallust. Catil. 51. 22. 'Majores nostri, P. C. neque consilii, neque audaciæ umquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur,' &c. Plato hac potissimum de caussa et ipse suscepit peregrinationem, et civibus suis, non uno loco libri XII. de Legib. commendavit, 'ut patriæ urbi communicarent, si quid alibi reperissent ei futurum et usui et ornamento.' Merito autem ab hoc consilio laudat Alexandrum Plutarch. de Fortuna ejus I. 8. quod Aristotelem non esset sequutus, 'qui eum jubebat Græcis se tamquam principem, barbaris ut dominum præbere,' &c. Judicium Strabonis idem est sub finem libri primi. *Freinsh.*

§ 15 *Haud alienum*] Tum opportunum ad res gerendas; tum etiam, quod tacite innuit, rebus suis haud male conveniens. Quomodo Livius Præfat. VII. 'Ea belli gloria est pop. Romano, ut quum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat; tam et hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur.' Sic in Luciano apud Minoëm: 'Si vero Deus hominibus videbar, parcendum illis erat: nam rerum magnitudine, ut tale aliquid de me crederent, inducti sunt.' Et seq. Dialog. priorem rationem expenit: 'Quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc usus sum vaticinii.' Quæ ta-

Digitized by Google

men ipsa ratio a Philippo patre ibidem refellitur, inter alia argumenta et eo, quod ad IV. 7. 30. verbo 'corrupit,' consideravimus. Haud tamen omnino vanam istam vanitatem fuisse probari possit exemplo, quod refertur supra VII. 6. 6. Easdem fere ob rationes Varro apud Augustin. de Civ. Dei III. 4. 'Utile esse civitatibus' dicit, 'etsi falsum sit, ut se Deorum filios credant.' Et IV. 31. 'Multa sunt vera, quæ non modo vulgo sciri non est utile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expedit.' Ergo apud eumdem Lucianum Diogenes ad Alexandrum: 'Sacerdotum Ammoniorum mendacium ad res gerendas tibi haud quaquam fuit inutile; propterea quod vulgus te verebatur metuebatque, quum deum esse crederet.' Sic fere omnes populi referebant originem suam ad Deorum aliquem, ut 'primordia urbium augustiora facerent,' Livius Procemio; ad quem locum exempla multa Gruterus notat. Atque hæc pro Alexandro ipse aliique dixere, haudquaquam paria futura contrariis argumentis, si quis ex diverso urgeat. *Freinsh.*

Veri vicem] Livius XXXIV. 12. 8. accinit: 'Sæpe vana pro veris, maxime in bello, valuisse:' remque exemplo subjecto testatam facit; de fama autem supra ad III. 8. 7. dictum, quibus jungi potest Lipsius Polit. v. 16. *Idem.*

§ 16 *Arma vestra auro argentoque adornasse*] Florus I. 16. 7. 'Populus R. Samnitas invasit, gentem aureis et argenteis armis;' ubi vide quæ Doctissimus Freinshemius collegit, nec pigebit eum consuluisse. *Snak.*

Nihil vilius hac videri materia volui] Nondum constitui, an hæc satis bene ita a me emendata sint. Membranæ habebant: *Assuetis nihil vilius hac videri materia volui ostendere. Macedonas invictos ceteris nec auro quidem vinci.* Hinc tute tecum delibera, quid sequaris, aut quid fugias potius, nam hoc invenire longe tibi erit facilius. *Modius.* In tanta lectionum varietate, facilius omnino, quid fugiamus, invenire est, quam quid sequamur, ut Modius aiebat. Alluxit nobis tamen aliquis lucis radius, sive strictura est; et speramus illius ope verum ita pervidisse, ut accenso de nobis novo lumine tenebras omnes loci penitus illustrare possimus et clarare. Primum hæc refutanda erat, quam Modius dedit. At refutat ipse Curtius, si verba istius ea cum sequentibus comparemus. Scilicet si assuetudine vile aurum argentumque concinnare Macedonibus Alexander statuisset, ut qui ceteris invicti, nec illorum æstimatione et cupiditate vincerentur; id si vellet, inquam, ita subjungeret scilicet: *Oculos ergo primum eorum sordida omnia et humilia spectantium capiam, et docebo nos non auri aut argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venire.* Quid horum sententia dissentaneum inter se magis? quid tota absurdius oratione? De Macedonibus præmittit: mox de Indis idem interpretatur. Atqui nihil ad Macedones ista: *Assuetis nihil vilius hac videri materia volui:* nihil hæc omnino ad Macedones, iterum dico. De Indis etiam ipsis capienda: quæ commode non possunt tamen, imo nullo possunt modo, nisi leviter emendentur, et ad hoc prorsus exemplum, revocata etiam voce *ostendere*, quæ in vulgatis editionibus non temere addita, temere in Modianis, etsi consilio quidem ipsius, emissa. Scribo, *Assuetis nihil vilius hac videre materia volui ostendere, Macedonas invictos ceteris, nec auro quidem vinci. Oculos ergo primum, &c.* Ait, Indis, qui aurum argentumque solum spectant, qui nihil, quod ea materia vilius sit, oculo recto pæne dignari solent, hujus tantum cupidi et æstimantes: iis apparatu hoc et cultu armorum ostendere ac probare volui, Macedones meos

Digitized by Google

virtute ac ceteris rebus quacumque gente superiores, ne his quidem ornamentis, luxuriæ verius instrumentis, vel tantillo inferiores.' Illorum ergo oculos, hæc tantum, ut sola præclara et sublimia, quæ revera sordida tamen et humilia, spectantium aspectu primo capiam; simul docebo, nos minime ad divitias istas obtinendas, quibus ipsi jam abundemus, sed ad imperium orbis terrarum occupandum, quod virtuti nostræ debetur, advenisse. Diduxi hæc aliquantulum, ut sensus magis explicaretur: in quo tamen ista verba, *nihil vilius*, pariunt nonnihil ambiguitatis (unde et totus in reliquis error, et corruptio ipsa fluxit) quæ sic potius interpretanda videantur: vilem et passim obviam auri argentique materiem apud Indos, qui illam ipsam tamen unice spectare sueverint et sectari. Sed hoc quidquid est, momenti levioris est, et quod totum locum non arguat minus a nobis recte emendatum. Hunc vero emendatum sic rectissime, testem, fundum, et subscriptorem ipsum dabo Curtium; qui superius Alexandri mentem et consilium hoc ipsum aperuit nobis, cum ita disserit: 'Itaque omnibus compositis, cogitationes in bellum Indicum vertit. Dives regio habebatur, non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculta.' Clypei militares auro et ebore fulgere dicebantur. Itaque necubi vinceretur, cum ceteris præstaret, scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit: loricas quoque alias auro, alias argento adornavit.' Et absque hoc loco esset, alter ille nec emendari, nec explicari potuerat omnino. *Acidalius. Volui ostendere*] Revocavit Acidalius ultimum verbum ex vulgatis editionibus, unde Modius pepulerat, et *videre* legendum, non *videri*, docuit: hæsit tamen in explicatione sequentium, *Oculos ergo, &c.* nec mirum; nullus enim inde sanus exeat sensus, si pro *spectantium*, non scribas *exspectantium*, nisi tamen et simplex illud hoc significatu capitur, quod pene inducor, ut credam, cum toties hujus loco reperiam. Sensus igitur est: Capiam (tanquam ex insidiis) præstringamque Indorum oculos qui nihil exspectant adventu nostro, quam sordida et humilia omnia, arma ære aut ferro rubiginoso squalentia, nihil opulenti, nihil ornati. Ergo cum hæc species nec opinantibus fuerit objecta, cum alias etiam melius honorificentiusque de nobis opinabuntur; tum quoque deprehendent non auri argentive inopia vel cupidine, sed per virtutem, et ob gloriam, istam expeditionem nos suscepisse. *Freinsh.* Non potest esse dubium, quin legi debeat *videri*, sive typographi sive alterius culpa hoc ita editum sit in Freinshemii editione. *Scheffer. Adsuetis*] Indis, qui adsueti sunt nihil videre vilius, nihil communius, quam aurum et argentum; ostendere hoc novo ornatu voluí, Macedonas quoque auro non vinci, quibus tam obvium sit ac vile, ut armis quoque inducant. *Cellar. Nihil vilius*] Quantum nunc mutatus ab illo! III. 3. 14. 'Turba muliebriter propemodum culta luxu magis quam decoris armis conspicua erat.' *Snak.*

§ 19 *Quæ in me modo jecisti*] Qui editionibus præfuerunt, credo quod Curtium, donatis ei liberaliter duabus vocibus de suo, demereri vellent sibi, scribunt, *quæ modo in me jecisti, modo audisti*. Sed multimodis mori sunt, nisi forte placet suspicari in eum dicturum fuisse Callisthenem, cui advocatus venisset, quod illos facere facile sane patior, dum illum hujus patientiæ fructum feram, ut liceat mihi per eos non tam acuto esse. *Modius. Modo audisti*] Suspecta hæc verba, nec video quomodo tolerentur, nisi non explices de præsenti tempore, sed ita; quæ vicissim apud Callisthenem de me nunc dixisti, nunc

Digitized by Google

ipsum dicentem audivisti: hæc enim probra jam diu magister iste tuus tibi præcinuit. *Freinsh.* Suspecta verba Freinshemio, si de præsenti intelligas; tolerari possunt de præterito, id est, quæ antea ex Callisthene privatim audisti, illius nunc ore in publico concilio referantur. *Cellar.*

Olynthio] Callisthenem intelligit, quem natione Olynthium fuisse, et discipulum, ac cognatum Aristotelis ex Hero consobrina ejus editum, præter Plutarchum et Suidam Diogenes Laërtius in vita Aristotelis refert. Ejus de rebus Alexandri historiam Ms. Gr. in bibliotheca Stroæ, et Cardinalis a S. Angelo, etiamnum extare nonnulli tradunt. *Popma. Olynthio*] Id est, cum Olynthius sit. Odiose autem nomen patriæ ejus inducit, ad exasperandos Macedonum animos, memoria vetustissimæ simultatis, quam ea cum urbe exercuit Macedonia, donec Philippus eam exscinderet; qua de re Dio Chrysost. Orat. XXV. 'Philippus Macedonas humiles et infirmos, suoque patre concedente Olynthiis principatum, fortes fecit et bellicosos, et propemodum totius Europæ dominos. Callisthenem autem Olynthium fuisse, et discipulum, ac cognatum Aristotelis ex Hero consobrina ejus editum, præter Plutarchum in Sylla 72. Alex. 98. et Suidam, Diogenes Laërtius in vita Aristotelis refert.' *Popma.* Antigonus apud Diodor. XIX. 61. πολεμωνδρους Μακεδόνων vocat τοὺς Ὀλυνθίους. *Freinsh.* Olynthus in finibus quidem Macedoniæ sita, non autem ad regnum pertinebat, sed liberi juris erat, antequam a Philippo everteretur. Situm urbis describit Herodotus VII. 12. 2. *Cellar.*

§ 20 *Hominibus*] Forte *omnibus*; toti coherti, non parti, vel certis quibusdam: ut nimirum ita vindictam expeterent illatæ in societatem suam infamiæ. Adspirationem sæpe adjici aut demi temere, dicetur in Indice, H. adspiratio. *Freinsh. Hominibus*] Forte, *commilitonibus*; vide Indicem; vel *comitibus*. Heinsius.

Ut fidem suam] Sic apud Tacit. Ann. I. 44. 5. 'Gaudebat cædibus miles, tamquam semet absolveret.' *Freinshemius.*

Savitia regi] *Savitia rei*, sed hoc hic locum non habet. *Modius.*

Excruciatos necaverunt] Alexander apud Plutarch. in Epist. ad Antipatrum scribit, Hermolaum, ceterosque conjuratos, non a custodibus necatos esse, sed Macedonum more obrutos saxis. *Popma. Excruciatos necaverunt*] Arrianus IV. 2. 38. et apud Plutarch. cap. 98. ipse Alexander, more Macedonum saxis obrutos scribunt: quod tamen non impedit, quin ante mortem excruciati fuerint, exemplo Philotæ supra lib. VI. extremo. Crudelitas enim illa maxime in usu fuit apud veteres; unde quasi solemnis scriptorum formula, 'excruciatum necare;' quam apud Livium XXV. 23. 10. restituo: 'Necati omnes excruciati sunt,' non *et cruciati*. Victor de Cæsar. cap. 36. alterum pro utroque posuit: 'Cum auctores Aureliani necis excruciavisset;' sicut in Phocione cap. 47. Plutarchus bis. Suetonius Aug. XIV. 1. 'discruciatum necare.' Cicero pro L. Manil. cap. 5. alia addit augendæ indignitati: 'Legatum pop. Romani consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit.' Atque ita Livius XXIX. 18. 11. 'Tribunos militum in vincula conjectos, dein verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatos occidit.' Statim Curtius, mutatis paullisper verbis, 'Callisthenes tortus interiit,' nam illud 'ante,' ('ante tortus') quod inserunt recenter editi, jam olim glossæ suspectum, volentibus libris expuli. Encolpii verba apud Petronium, 'Si quid tristius paras, celeriter confice: neque enim tam magnum facinus commisimus, ut debeamus torti perire.' Græ-

Digitized by Google

cis est στρεβλωθέντα aut βασανιζόμενον ἀποθανεῖν, tortum mori: ut Plutarcho Phocione cap. 47. Zonaræ tom. II. αἰκισάμενον ἀποκτεῖναι, prius excruciatum interficere: de Hannibale et captivis Romanis loquitur. Idem mox de Scipione seditionis auctores puniente, Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή, Olymp. CXVIII. 'Bomilcarem tyrannidem affectantem Carthaginenses excruciatum necaverunt,' αἰκισάντες ἀπέκτειναν, Polyb. I. 80. αἰκισαμένους ἀποκτεῖναι. Joseph. de Bel. Jud. VI. 12. Μαστιγούμενοι δὴ καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο. Appian. de Bel. Punic. Ἔκτειναν δὲ καὶ Ῥῆγλον αἰκισάμενοι. Id Romæ per leges non licebat in cives. Sallust. Catilin. 51. 14. *Freinsh.*

§ 21 *Tortus interiit*] Aristobulus apud Arrian. IV. 2. 38. tradit compedibus vinctum in exercitu ductum fuisse, ac postea morbo interiisse; Ptolemæus tortum ac denique suspensum vitam finisse. Justinus XV. 3. 3. (ex quo Dreser. Milten. IV.) singillatim supplicium ejus exponit: 'Cum Alexander Callisthenem truncatis crudeliter omnibus membris, abscissisque auribus ac naso labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper cum cane in cavea clausum, ad metum ceterorum circumferret; tunc Lysimachus venenum ei in remedia calamitatum dedit.' Seneca pater Suasoria I. præceptorem Alexandri appellat, et lancea trajectum scribit. Philostratus VII. 1. a Macedonibus ait interfectum, quod ipsos vituperasset. Diog. Laërtius in Vita Aristotelis in cavea circumductum ad spectaculum, morboque pedicolari correptum, ac demum leoni objectum. Suidas quoque cavea una cum Nearcho inclusum, et phthiriasi absumptum ait. De cavea etiam Ovidius in Ib. vs. 519. 'Inclususque necem cavea patiaris, ut ille Non profecturæ conditor historiæ.' Quamvis indoctiores Chœrilum poëtam intelligant, quod ex Parrhasio, Laurentio Abstemio, Egnatio refutat in notis ad Ibin Ovidii, Valerius Andreas Desselius, cui suffragatur Franciscus Sanctius Annotat. ad idem Ovidii carmen. Phthiriasi periisse et Plutarch. in Sylla c. 72. auctor est. *Raderus.* 'Decessisse Callisthenem alii ab Alexandro suspensum dictitant; in vinculis alii morbo afflictum: Chares, postquam comprehensus fuit, septem menses in vinculis custoditum, ut in concilio præsente Aristotele judicaretur, ac quo tempore in Mallis Oxydracis Indiæ sauciatus fuit Alexander, ex corpore supra modum turgido, et morbo pediculari excessisse.' Plutarch. Alex. cap. 98. Quod autem Justinus narrat de Callisthene, nescio cui Telesphoro Rhodio obvenisse scribunt Seneca de Ira III. 17. et Plutarch. de Exilio cap. 21. offenso Lysimacho rege. Hanc autem scriptorum de Callisthenis morte diversitatem vitabundus Curtius, consulto videtur usus omnia ista complexo vocabulo, *interiit*; quomodo et Val. Max. VII. 2. 8. ext. 'spiritu carere jussum' scribit, non adjecto, quo supplicii genere: item IX. 8. 1. ext. 'Callisthenem mori jussum.' Seneca Nat. Quæst. VI. 23. 'occidit Callisthenem.' Quomodo et Orosius III. 18. et Dio Chrysost. Orat. LXIV. ubi etiam, perinde ut Seneca Rhetor, Alexandri præceptorem appellat Callisthenem. Quid Diodor. de eo scripserit, interitu capitis ejus incertum est. *Freinsh.*

§ 22 *Majorem excitavit invidiam*] Dignum est, ut legatur de hac causa Seneca Quæst. N. Q. VI. 23. *Cellar.*

Revocatus ad vitam] Supra ad VIII. 2. 12. *Freinsh.* Rem ipsam Curtius VIII. 2. 12. sine nomine tradit: Arrianus Anaxarcho adulatori primas partes tradit. Plutarchus addit Callisthenem, qui idem, sed citra adulationem, regi facundia sua persuaserit,

Digitized by Google

ut a perniciosiore consilio abstineret. *Cellar.*

Indicta quidem causa] Forte, *et indicta quidem causa.* Heinsius.

CAP. IX. § 1 *Otium*] Tacitus Germ. 44. 4. 'Otiosæ armatorum manus facile lasciviunt.' Quem locum late tractat Gruterus Discurs. in Tac. cap. 40. *Freinsh.* Livius II. 52. 'Ex copia deinde otioque lascivire rursus animi: et pristina mala, postquam foris deerant, domi quærere.' Noster VI. 2. 15. 'Rumor otiosi militis vitium.' *Snak.*

In Indiam movit] Plinius VI. 17. 18. Indiam 'patefactam esse' scribit 'Alexandri Magni armis;' quod et Strabo et Plutarchus aliique memorant. *Freinsh.*

Bello quam post victoriam clarior] Quia otii et voluptatis, quæ ex victoria nascebantur, capax non erat. *Cellar.*

§ 2 *India*] Mirum dictu, quam multi res Indiæ perscripserint, et quam pauci, dolente et execrante Strabone, vera. Ex quibus alii, una cum fabulis suis toti periere, alii, si non toti, saltem magnam sui partem exoleverunt. Non apparent e veteribus Daimachus, Patrocles, Hipparchus, Jambulus, Pytheas, Clitarchus, Nicolaus Damascenus, Beton, Posidonius, Megasthenes, Megachlenes, Onesicritus, Megillus, Gorgus metallarius, Eratosthenes, Nearchus, Dionysius non ille Periegetes. Exstant Herodotus, Agatharchidis excerpta, Ctesias aliqua sui parte apud Photium, Dionysius Periegetes, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Diodorus Siculus, Æthicus, Artemidorus ineditus tamen, Marcianus Heracleotes, Plinius, Mela, Solinus, Philostratus, Orosius, noster Q. Curtius, Apuleius I. Floridorum, et hi omnes veteres. Ex recentioribus Jo. Goropius Becanus, Petrus Maffeus, Osorius, Jo. Metellus, Jo. Barrius, Ludovicus Vartomannus, Maximilianus Transilvanus, Cosmas Indopleutes, Jo. Macer, I. C. Castagnedo Hispanus, Abrahamus Ortelius in Theatro Orbis, cujus Tabulam geographicam Indiæ considerabis, Petrus Iarricus Thesauro Rerum Indicarum, Franciscus Sachinus Historia Societ. Jesu, et alii patria lingua. Atque hic tantum de India, quæ Orientem spectat. nova namque, et nuper a Magellano reperta, et Mexicana nihil hic ad nos. *Raderus.*

Spectat Orientem] Plerosque omnes Geographos et scriptores rerum habet suffragatores. Princeps est Strabo vice omnium, initio libri XV. 'Nunc ab India ordiemur: nam et prima versus Orientem jacet, et maxima est.' Idem canit Periegetes vs. 1027. 'Ortum autem versus Indorum amœna expanditur terra, Omnium extrema ad litora Oceani. Quam exoriens divorum ad opera et hominum Sol primis accendit radiis.' *Raderus.*

§ 3 *Accipiunt*] Vidi, qui *aspiciunt* mutare vellet. Simplicius id erat, non tamen verius. Quæso enim an non ita æque eleganter? Elegantius etiam: et exempla passim obvia, quorum unum habe e Plinii Laurentino, II. Epist. 17. 'Ad hoc patentibus fenestris favonios accipit transmittitque.' Plura et hic sunt, et in Tuscis, quos describit V. Ep. 6. *Acidal. Quæ Austrum accipiunt*] Hunc locum carpit Glareanus. Ego Curtium nihil hic contra Geographiam peccasse existimo, et doceo primum haud ignorandum, quod affirmat, minus in latitudinem, quam recta regione patere, hoc est, magis longam quam latam esse, quod verissimum est, si procurrens e Septentrione in Austrum spectes promontorium: si inquam diametrum a monte Imao usque ad promontorium Comorinum, quæ sunt duo extrema Indiæ, dimetiare, minimum enim quadringentis inter se leucis distant, ut Iarricus ostendit, quæ Germanica efficiunt milliaria viginti supra trecenta. Jam

Digitized by Google

quod dicit Curtius, *ea quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedere*, hoc est, promontorium Comorinum esse altius terra reliqua Indiæ media, quæ plana est, verissimum est; extrema enim utrimque sunt alta, Imaus mons et promontorium Comorinum: cum inter utrumque hunc angulum montes interjaceant continua per Indiam serie, usque ad caput Comorinum. Quod continua serie dicit, hoc est, per totam Indiam extendi montes; accipe latus occidentale totum, quod septentrio stringit, et ab alto alluitur. Atque inde est, quod Herodotus in Thalia affirmat, Indiam Austro obnoxiam. *Raderus.* Juvat etiam illud Arriani in Periplo maris Erythræi III. 28. 'Post Barygazam (Indiæ provinciam) statim continens vicina a Borea in Meridianum cardinem flectitur: unde regio illa Dachinabadis appellatur. Auster enim illorum lingua Dachanus dicitur. Hujus pars superior mediterranea ad Orientem vergens, multas regiones, deserta, montes ingentes, &c. complectitur.' Dionysius vs. 1146. 'Rapidissimi fluviorum: e monte autem Emodo Profecti promanant in Gangeticam regionem, Ad austrum tracti ad fines Colidis terræ. Hæc autem prominet in Oceanum profundos habentem vertices Ardua, veloces quam vix ingrediuntur aves: Quare ipsam et homines cognominant Aornim.' *Freinsh.* Claudian. in fine lib. de Bell. Gild. 'qua respicit Austrum,' sed rectius Acidalius. *Heinsius.*

Caucaso] *Nimirum Indico, non Pontico* (vide supra ad VII. 3. 4.) quem et Paropamisum vocant. Ita certe de Indi fonte Plinius VI. 20. 'In jugo Caucasi montis, quod vocatur Paropamisus adversus solis ortum effusus.' Arrianus v. 1. 15. 'Fontes ejus ex Paropamiso vel Caucaso monte oriuntur.' *Freinsh.* *Caucaso monte*] Parapamiso, sive Paropamiso, ut sæpius dictum. *Cellar.*

§ 4 *Indus*] Teste Plinio VI. 20. olim ab incolis *Sandus* fuit appellatus: *Sinthum* Ptolemæus inter septem Indi ostia numerat. Verisimile est igitur ostium illud ceu omnium maximum (ab Arriano in Periplo maris Erythræi II. 46.) synecdochicôs pro toto fluvio fuisse usurpatum. Hodie vulgo ab Indis, atque aliis populis, *Indus* appellatur. Eumdem Resbutos a Cambaiensibus disterminantem, atque per mediam Cambaiam decurrentem, incolæ ejus regionis, teste Odoardo Barbosa, et Cerceten, et Indes appellant. Sic enim fluminum nomina pro regionibus, per quas fluunt, crebro mutantur, ut de Danubio dictum est. Hunc vero fluvium prius Mausolum dictum, postea ab Indo quodam juvene egregio, qui Damasuicida regis Oxyalci filia corrupta ad mortem quæsitus, in eum se præcipitarat, appellatum fuisse fabulatur ille Auctor libelli de Fluminibus, quem nonnulli volunt esse Plutarchum. Stuckius ad dictum Arriani locum. *Freinsh.*

A colore maris] Vide Agatharchidem apud Photium, cap. 51. Sed Andreas Corsalius apud Stuckium in universum affirmat, in sua navigatione mare vicinum Indiæ lacteo colore sibi apparuisse. Verum Jo. Castrius apud Barrium ait, partem tantum ejus maris candidam; aliam rubram; aliam viridem se reperisse. Vide infra ad num. 14. Ceterum Arrianus citato loco ait, Sinthi, vel Indi aquas esse candidas: quod quidem consentiat narrationi Curtii, ni adderet, 'longo admodum spatio in alto mari, antequam regionem attingas, aquam ex illo fluvio candidam occurrere:' quod notari non posset, si nihil a colore maris differret: si nihil inquam: posset tamen si aliquantum. Idque vult Curtius; non enim vult plane eumdem esse colorem, sed 'haud mul-

Digitized by Google

tum abhorrentem.' *Freinsh.* Tantum vult auctor indicare, amnem *liquidum* fuisse, ut explicuit etiam III. 1. 4. nempe ut esset 'illimis, nitidisque argenteus undis.' *Snak.*

§ 5 *Ganges omnium ab ortu maximus*] Antea legebatur, *Ganges omnium ab ortu fluvius eximius.* Sed vide quæ nos de hac re in commentario scripsimus. Neque enim aut harum notarum brevitas disputationem de hujus loci vera scriptura, quod paullo prolixior sit, admittit, aut temporis angustia patitur, me in his et similibus jam esse longiorem. *Modius. Ganges*] Satis perplexum me facit hic locus, vitii quidem mihi manifestus, sed quod indicare facilius possim, quam tollere. Ad cujus tractationem (quam nimis in angustum cogit instituti operis ratio) nihil reperio commodius, nisi ut simul proponam, quomodo constituendum putem obscurissimum locum, et deinceps per membra rationem cujusque opinionis reddam. Sic igitur velim: *Ganges amnis ab ortu eximius, ad Meridianam regionem decurrit, et magnorum montium juga recto alveo stringit: inde eum objectæ rupes inclinant ad Orientem. Utque rubro mari accipitur, findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exsorbet. Saxis quoque impeditus, crebro reverberatur: ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines eum auget, Ganges decursurum in mare intercipit, &c.* Nunc singula consideremus. *Ganges*] Nihil mirum omnia hic esse obscura, cum de hoc fluvio non veteribus tantum, sed et recentioribus nihil dum certi constiterit. Nec nos quoque veritatem rei promittimus, sed Curtii mentem per verborum ejus vestigia scrutamur. *Amnis*] Sic diserte Pal. 1. *Ab ortu eximius*] Sic quoque Mss. alii, *Ganges omnium ab ortu maximus:* quasi dicat omnium fluviorum esse maximum. quod quidem verum est, et ostensum paullo supra; sed non illud hic adspexit Curtius, nec enim addidisset, *ab ortu*, cum non modo omnium Orientis fluviorum maximus sit habitus, sed in universum omnium. Itaque *ab ortu* hic sonat a fonte, ab origine. Ganges statim ut ortus est, amnis est eximius: Μέγας εὐθὺς ἀπὸ τῶν πηγῶν ἀνίσχει, ut de Indo Arrian. V. 1. 80. Sed et hunc ipsum Gangem Indic. rerum I. 11. μέγαν ἀνίσχειν ἐκ τῶν πηγῶν scribit; et eodem sensu Plinius VI. 18. 'Cum magno fragore ipsius statim fontis erumpere' ait. *Ad Meridianam regionem*] Sic unus ex editis, quos vidi, Mernia: cujus editio est inter vetustissimas. Idque verum est, ipsumque Strabonem (quem tamen Glareano vulgatam lectionem non bene concoquenti Raderus opponit) adsertorem habet, qui diserte ait: 'omnia Indica flumina e Caucaso primo ad Meridiem ferri:' et quamquam addat, 'postea alia ad Orientem flecti, ut Gangem,' nihil tamen obest. Quippe sic quoque non desinit versus Meridiem ferri, quamquam in Ortum flexus. Unde et Dionysius vs. 1148. Gangeticam regionem ad Austrum collocat, respectu montium, unde fluvii illi oriuntur. Sed ut maxime in Orientem iret Ganges, nondum hoc voluit Curtius dicere, qui eum adhuc a fonte profluentem narrat: neque enim subjungeret, *magnorum montium juga recto alveo stringit*, quæ utique non demum adscendit, quo loco ad Orientem vertitur: sed statim ab ortu suo eximius amnis recto alveo, per decliva paullatim, at tamen adhuc magnorum montium juga provolvitur. Multo minus, si Raderi opinio valida foret, debuisset addere Curtius, *Inde eum objectæ rupes inclinant ad Orientem:* cur enim denuo inclinatum eum narraret, et quidem *inde*, hoc est, ex eo loco; si modo dixisset eo cursu illum ferri? Nimirum ergo vera hæc est hujus loci lectio, cui et per omnia consentit Strabo: 'Ganges a monti-

Digitized by Google

bus descendens, cum in planiciem pervenit, ad Orientem conversus.' Ergo dum juga montium stringit, adhuc in Meridiem fertur: *inde*, ait Curtius, hoc est explicante Strabone, 'cum in planiciem pervenit.' Quæ verba vicissim intelligas ex Curtio, et noveris planiciem eam ita fuisse comparatam, ut a Meridie rupibus inclusa, pateret ad Orientem, eoque recta regione ruentis amnis alveum a Meridie ad Orientem obliquaret. Unde demum insignis lux Plinio VI. 18. qui ait: 'Cum magno fragore ipsius statim fontis erumpere; dejectumque per scopulosa et abrupta, ubi primum mollis planicies contingat, in quodam lacu hospitari,' &c. Sic ergo sunt accipienda verba Poëtæ de hoc fluvio: 'toto qui solus in orbe Ostia nascenti contraria solvere Phœbo Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum.' *Utque rubro mari accipitur*] Deduxit Gangem hactenus a fonte, cursumque ejus per summa capita exposuit, nunc etiam ostium in mare exeuntis enarrat. Sed hic turbant libri, et pro *Utque*, reponunt *Uterque*, cui equidem lectioni et Constantiensem codicem, et veterem poëtam Gualtherum (qui Curtium in carminis leges redegit) his versibus: 'Totius fluvius Orientis major, uterque Turbidus extensis rubrum mare verberat undis:' suffragari Raderus ait. Qui tamen vere ostendit, eam nullo modo ferri posse: nec enim quæ subjiciuntur, omnia utrique fluviorum horum, Indo nimirum et Gangi, convenire, præsertim illa, *Acesines eum auget*. Quæro, ait, quem *eum*? Indum, an Gangem, an utrumque? Atque alii tantum in Indum ferri tradunt, solus Curtius a Gange intercipi affirmat, nemo ab utroque, quod ne fieri quidem potest. Sed si Gangem per vocem *eum* accipias, quid est, quod statim subjiciat Curtius, *Ganges decursurum in mare intercipit*, quasi antea de alio esset locutus? Atqui non potuit aliter loqui Curtius, nisi dubiam faceret orationem: etenim si dixisset, *decursurum in mare intercipit*, incertum erat, an τὸ *qui* ad Acesinem, an ad Gangem referendum esset: expressit ergo Gangem, quamvis eamdem per vocem *eum* intellexisset. Atque ita diluitur etiam alter error, qui ex priore membro exstiterat, si legeres *uterque*. Neque enim dixit Curtius Indum Rubro Mari excipi. Si legas *utque*, omnia erunt salva. Hactenus Raderus. Idem tamen mox ait Gualtherum in vitiosum codicem incidisse, quod nimirum Indus tantum 'rubrum mare verberet undis,' non etiam Ganges, qui in Oceanum Orientalem deferatur. Verum, ut hoc ita revera se habeat, exinde tamen non evincitur, Gualtherum in vitiosum Curtii codicem incidisse, qui de Gange in Mare Rubrum evoluto huic consentanea scribat: et ipse Raderus proxima deinde nota denuo rem confundit. Cum enim modo negasset Gangem Rubro Mari infundi, sed Oceano Occidentali; nunc iterum divisa miscens, eum in Erythræum, seu Oceanum, qua Orientem respicit, devolvi dicit. Igitur sepositis his tricis, adstruamus, recte sic legi: *Utque Rubro mari accipitur: Utque*, propterea quod de uno Gange hic sermonem esse sequentia declarant: *Rubro Mari*, quia apud veteres hoc nomine non tantum Arabicus et Persicus sinus, sed et vastum illud et magnum mare Indicum veniebat, ut in admirandis I. 3. docet Lipsius: licet in hoc falsus, quod Indum atque Gangem in id mare derivare Curtium sensit; quippe *uterque* legendum putavit hoc loco. Rectius Barthol. Barrientus Annotat. Sylva cap. 7. ubi idem illud de Mari Rubro pluribus etiam scriptorum dictis adstruitur, de uno Gange Curtium interpretatur. Vide et Cordovæ Didascal. Multipl. cap. 49. quamquam dis-

Digitized by Google

sentire videatur Fullerus Miscellan. Sacror. IV. 20. Tametsi ne quid dissimulem, ut extendamus Rubri Maris appellationem usque eo, ubi Indus exoneratur; tamen immensum adhuc superest spatium, ad sinum usque Gangeticum, quod ab aliis præter Curtium Rubri Maris nomine vocatum fuisse non reperio. Sed pergimus. *Findens ripas*] Hoc ego de diversis ejus ostiis accipio, non de juncto alveo: de quo rectius dixisset radens ripas, aut proluens, quam findens, quod insinuatum penitus vult, et ripas plurifariam intercurrentem. Tribuit autem ei ostia quinque Ptolemæus Geogr. VII. 1. *Multas*] Sic præferunt veteres edd. quod ipsum argumento est, supra legendum *utque;* nec enim si legas *uterque*, recte connecterentur. Quod qui viderunt, contra libros hic addiderunt conjunctionem *multasque. Saxis quoque impeditus*] Exposito summatim Gangis decursu, nunc paullo supra aliud repetit, quod ei accidat, nimirum crebro reverberari, sive retorqueri in saxa incurrentem, inde tortuosum ire, et objectu frequenti saxorum etiam impetuosiorem: nam et hoc videtur velle (supra idem de Euphrate V. 1. 30.) ex antithesi 'mollioris soli.' Ait enim: 'Ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur.' Plinius VI. 19. 5. 'Insula in Gange est amplæ magnitudinis, gentem continens unam Modogalicam nomine.' Restat de Acesine. *Acesines eum auget*] Glareanus haud injuria dubitavit de hoc loco, reponendumque censuit *Commeneses*, vel *Erineses*, quos ex Arriano Rer. Ind. I. 12. constat in Gangem influere. Contra idem ibid. II. 13. et Hist. Alex. VI. 1. 2. Acesinem apud Mallos Indo misceri tradit, cui junge Plinium VI. 20. et Strabon. lib. XV. Imo ipse Curtius infra IX. 4. 9. ita sentire videtur. Verum cum omnia exemplaria sic constanter præferant, auctori potius hoc quidquid est erroris imputandum putem, quam librariis. Certe quod de motu collisorum amnium hic dicit, confluenti Hydaspis et Acesinis congruit, de quo suo loco. *Freinsh.*

§ 6 *Uterque Rubro Mari*] Editi libri, *utque Rubro mari accipitur;* et non accipitur Rubro Mari Indus, sed illo modo habent membranæ: et nihil mirum dissentire hac in re a ceteris Curtium, cum etiam post Acesinem in Gangem influere dicat, quem omnes in Indum influere affirmant. *Modius. Utque Rubro Mari*] Quid vult hic illud *utque?* Scribo totum locum, et distinguo hac ratione: *Inde eum objectæ rupes inclinant ad Orientem, atque Rubro Mari accipitur. Findens ripas, &c.* Scheffer.

§ 7 *Impeditus crebro*] Adhuc editi, *Saxis quoque impeditur, quibus crebro reverberatur.* Modius.

Acesines eum auget] Non Gangem, sed Indum, ut ex Arriano Ind. Exp. p. 515. Plinio VI. 20. Strabone lib. XV. constat: adde Nostrum IX. 4. 8. *Cellar.*

§ 9 *Dyardenes*] Ignotum ceteris scriptoribus nomen. *Idem.*

Crocodilos] Arrianus Rer. Ind. I. 26. generatim: 'Indiæ fluvii perinde ac Nilus crocodilos gignunt et pisces ac balænas ejusdem generis ac Nilus, excepto Hippopotamo, seu equo fluviatili, sed et hos gignere Onesicritus tradit.' Idem lib. XV. Strabo narrat. *Raderus.* Eo argumento putavit Alexander se Nili caput reperisse, cum in Indo crocodilos vidisset, Arrian. VI. 1. 2. De Indo etiam Pausanias lib. IV. 'Indus et Nilus crocodilos uterque habent: sed Nilus fluviatiles etiam equos, haud minus illos quidem infensos, quam crocodili sint.' *Freinshemius.*

§ 10 *Erymanthus*] Alii, *Ethimanthus.* Ethymandrum fluvium per Euergetas labentem ex Arriano IV. 1. 38. novi: sed hunc Indiæ non pos-

Digitized by Google

sum magis vindicare; quam *Dyriodoris* Plinii VI. 11. 1. qui alias vocabuli sono proxime abesset a Curtiano *Dyardene*. Plane videtur a Plinio VI. 23. 1. commemorari ' per Abesten Arachosiorum fluens,' sed ibi corrupte ' Hermandus ' appellatur, aut 'Erymadus.' *Freinsh.* Ejusdem obscuritatis est, quam modo in Dyardene notavimus. *Cellar.*

Ab adcolis rigantibus] Sic Euphrates 'distrahitur in irrigua,' Plin. VI. 26. 16. Quem explicant illa Arriani VII. 2. 4. ' Multi ex Euphrate alvei derivantur: alii quidem perennes, ex quibus utriusque ripæ accolæ aquam petunt, alii certo tempore fiunt, quum aquæ ad irrigandam terram inopia premuntur, (raro enim iis in locis imbres e cœlo cadunt,) quo fit ut in aquam non omnino magnam, et vadosam alioqui, Euphrates desinat.' *Freinsh.* *Rigantibus*] Leg. *rura irrigantibus*; vel forte, *rigantibus arva*. Plin. N. H. VI. 26. de Euphrate, ' priusquam distrahitur in irrigua.' *Heinsius.*

§ 11 *Multis amnibus*] Arrianus Rer. Ind. I. 17. dicit ' LVIII. in universum esse Indiæ fluvios omnes navigabiles.' Plinius VI. 17. 20. 'Seneca tentata Indiæ commentatione sexaginta amnes ejus prodidit.' *Freinsh.*

Adeo interfluunt] Forte, *adeo late fluunt*. Heinsius. Pith. habet *præterfluunt*; hinc oritur suspicio, an non huic conjecturæ venia sit, subjicienti, *ad ora perfluunt*. ' Os Gangis ' mox habes: vel ' ad ostia,' scilicet quibus in mare devolvitur; vel ' ad exteriora,' dum statim sequuntur, ' propiora,' ' interiora:' utique subobscura videtur vulgata lectio. *Snak.*

§ 12 *Aquilones deurunt*] Hoc negat Glareanus, quasi ingenium Indiæ terræ perspectissimum haberet, cum paullo post subjiciat Curtius, tantas, et tam varias esse vices regionis illius, ut nulla pars mundi illi par sit, nec causam hujus varietatis ulli Philosophorum cognitam esse. Dixit Curtius *deurunt*, quod transiate dictum, pro, quæ loca sunt adsita mari a ventis Septentrionalibus frigidis et gelidis corrumpuntur omnia. Adurit enim frigus non minus, quam ignis, quamvis diverso modo, diversa vi, et contraria calori affectione, et facultate. Urit enim hiems et frigus, ut optimi scriptores loquuntur. Et promontoria ab aquilone, sive septentrione, procurrunt in pelagus, quod a meridie objicitur, secumque gelidos aquilones trahunt. *Raderus.* *Aquilones deurunt*] Hic quoque Glareano plus credam quam Curtio; et immane amplius quam defendenti Curtium Radero: qui Glareani rationem non percepit. Est autem hæc: Mare Indicum ad Meridiem vergit, Aquilones a Septentrione spirant: qui igitur potest ut loca ad Meridiem urantur Aquilonibus, interiora autem, hoc est, mediterranea Indiæ, quæ maxime sunt septentrionalia, non urantur? aut quomodo montes illi ventum eum a septentrionalibus Indiæ partibus arcent, a meridianis non arcent? Una tamen occurrit defensio, ut dicamus, *interiora* non capienda de tota regione, sed tantum de ejus parte, in qua Aquilones plurimum pollent, ut ibi quidem juga montium ventis sint aspera, sed interiora, hoc est valles, defensa objectu montium, mitiorem sentiant aërem: quod quidem et alibi accidit, ut inter rigidos montes reperiantur fertiles et opulentæ valles. Confer et Viaje de la Tierra Santa, del Ceverio cap. 20. *Freinsh.*

Ita alendis frugibus mites] Imo *mitia*, loca ipsa mitia sunt, atque inde quod venti ad ea non penetrant. *Acidalius.* *Mitia*] Sic legi sensus postulat, quod et Acidalius vidit. *Freinsh.* *Ita alendis frugibus*] Quonam spectat illud *ita*? debuerat præcessisse *ut*. Neque solet per ellipsin temere omitti. Quare nescio, an non Noster *et alendis* scripserit, deinde illud *a* in fine sit

Digitized by Google

adjunctum ex initio vocabuli sequentis, denique mutatum in *ita*. Scheffer. Mss. Fl. Leid. *mitis*, et bene; 'India' scilicet, vel 'regio.' *Heinsius.*

§ 13 *Naturæ caussa*] Ita ego. Quid enim erat, *nec cur ulli se natura caussa ingessit*. Modius. *Naturæ caussa*] Et hoc est quod noster Maffæus lib. I. pag. 35. Iarricus, et alii dicunt. 'Inter utrumque hunc angulum,' inquit Iarricus lib. I. pag. 41. 'montes interjacent continua per Indiam serie adusque Commorinum caput, in quibus admirabilis illa temporum anni diversitas, quæ etiam subtilissimos quosque philosophos reddit elingues, utpote cum veram dare rationem nequeant, qui fieri possit, ut eodem in climate, et eodem in latitudinis septentrionalis gradu, cum ab Occidua horum montium parte acerrima sæviat hiemis asperitas, et mira aëris intemperies; eodemque tempore ab Orientali incredibilis sit cœli clementia, qualis vere vel æstate haberi solet: mare quoque quietum sit, et navigationi peridoneum.' *Raderus.* Qui ex ejusdem auctoris lib. II. cap. 7. pag. 445. item ex schola Conimbric. lib. II. Quæst. 2. cap. 8. p. 195. plura de hac re recitat. Quæ omittenda duxi, quod ex superioribus cognosci possit ea res; maxime autem quia aliud nobis video narrare, quam Curtium. Hi enim in uno climate diversam aëris dispositionem notant: ille totam Indiam alia atque ceteras Orbis partes tempestate semper uti: ut scilicet Indi hiemem habeant, cum alii æstatem, et vicissim. Illud utrum ita se habeat, vel unde Curtius acceperit, in medio relinquo. Arrianus quidem Rer. Ind. I. 24. tradit Indiam æstate complui, fluminaque ejus mirum in modum augeri: cujus rei caussam inquirit. *Freinsh.*

§ 14 *Ab Erythra rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt*] Horum ignorantiam arguunt oculati testes, qui Mare Rubrum contemplati, nihil ab Oceano nostro differre prædicant: neque aquam vel arenam ejus rubram esse. *Popma. Ab Erythra rege*] Curtii sententiam confirmat Agatharchides apud Strabonem et Ctesiam et Photium pag. 458. qui tres aliorum priscorum opiniones et caussas refutat, negatque aquas rubere, neque ullum, vel ex montium, vel arenarum rubentium, vel solis repercussu colorem trahere, sed ab Erythra, domino illius maris, Erythræ, vel Erythræum dici. Eamdem nominis caussam reddidit Stephanus περὶ Πόλεων, ab Erythro Heroë appellatum Erythræum, quamvis ex Uranii vetustissimi scriptoris mente addat, a montium rubentium, et imbrium inde in mare decurrentium colore dici Erythræum. Eustathius ad Periegetem vs. 38. existimat vocatum a terra miniata undis subjecta Erythræum, vel, ut alii, a solis ardentis, et montium anaclasi. Eamdem nominis caussam Eratosthenes apud Strabonem lib. XVI. de sole et montibus adfert. Ctesias ibidem a fonte minio pleno in Mare Rubrum cadente Erythræum refert vocitatum. Philostratus de Apollon. III. 15. et Arrianus Rer. Ind. VI. 19. cum Curtio faciunt, sicut et Xiphilinus in Trajano, et Plinius VI. 23. 8. cum Mela III. 7. qui tamen non negant colorem. Solinus quoque cap. 46. ab Erythro Persei nomen deducit. Varro (ibidem) caussam nominis in fontem refert, ex quo oves ait fulvescere. Nostri sæculi scriptores æque dissentiunt in caussa nominis adsignanda. Pererius cap. 14. Exod. IX. 8. Curtii sententiam sequitur, quamvis locum Curtii non adducat. Jo. Barrius a plerisque recentioribus laudatur, qui in rem præsentem venit, et a coralliis sub imis vadis latentibus, rubere aquas tradidit, quem secuti sunt Conimbricenses Philosophi, et Cornelius Cornelii. Sed Sebastianus Barradas Itin. Israëlitico

Digitized by Google

Barrium ex Matthiolo refutat, et negat rubentis aquæ caussam exploratam esse: ita hodieque in re incerta incerti sumus, utrum ab Erythro Rege, a fontibus, vel maculis, vel arenis, vel coralliis, vel splendore solis, vel imbribus et montibus, vel simul ab omnibus nomen traxerit. Auctorum nomina qui ea de re disputarunt expressi, quos curioso licebit inspicere, multa enim et alia, et de nomine Hebræo Rubri Maris, et aliis rebus admiscent admiranda. *Rauterus.* Præter citatos cum Curtio sentiunt Nearchus et Orthagoras apud Strab. lib. XVI. Martianus lib. VI. Zonaras in Trajano. Suidas. Volaterranus Geogr. lib. XII. Cum iis qui a rubra et miniata circum terra colorem mare ducere aiunt, Isidorus Orig. XIII. 17. quem sequitur Maiolus in Dieb. Canic. et quidam apud Sabellicum Ennead. IV. 6. et Plinium VI. 23. 28. alii ibid. ab ipsa aquarum natura. (Quam sententiam amplexi sunt studiosi allegoriarum Patres, et transtulerunt ad baptismum Christi sanguine rubentem. ut Augustin. in cap. 3. Joan. Isidorus in cap. 19. Exodi, et alii passim) alii a reflexione radiorum solarium. Sed et Andr. Corsalius testatur in illa parte Indiæ, ubi mare est profundum, modo a cœlo rubrum, modo a nubibus nigrum; quando non est omnino profundum, viridem colorem repræsentare. Sed de mari in universum Cicero Quæst. Acad. IV. 38. 'Favonio nascente purpureum videri: modo cœruleum, mane flavum, nunc quia a sole colluceat albescere et vibrare.' Varronis fabulam de fonte, qui vellus ovium mutet, retulit etiam Martianus lib. VI. Alphonsus Albuquercius se vidisse rubentem aquam, et ab incolis ejus rei caussam in arenam rubram, quæ moto ex imo mari non admodum profundo misceatur undis, esse relatam, teste Jo. Barros Asiæ Decade 2. lib. I. cap. 1. ad Emmanuelem regem scripsit. Apud eumdem Barrium Jo. Castrius, qui postea pro rege Indiam obtinuit, testatur vidisse se maximas rubri coloris maculas in eo mari, sæpiusque ex illa aqua cados aliquot extrahi jussisse, reperisseque claram atque pellucidam, nec rubro colore infectam. Urinatores autem suos e profundo materiam quamdam rubram coralio similem protulisse, et aliam lanugine fulvi coloris coopertam. Alibi autem, ubi virides apparebant fluctus, extraxisse lapides quosdam viridis coloris, ubi vero aquæ videbantur albæ, candidissimas arenas. Simul arguit mendacii eos, qui mari talem provenire colorem dixere a litoribus, quæ rubri essent coloris: se enim ibi locorum nullum ejus coloris neque litus, neque promontorium vidisse, saltem quod relatu dignum esset. Odoardus tamen Barbossa (in summario Regnorum Orient. tom. I. Navigat. Rhamusi) prodit, in ejus 'maris litoribus Arsinoëm versus (vulgo *Suez*) terram videri rubescere.' Imo Becman. de Orig. Lat. Linguæ, in 'Erythræum' scribit, 'sibi retulisse Joachimum Frencelium Gotheno-Anhaltinum, se anno 1622. mare hoc rubrum ingressum, arenam rubram in litoribus sparsam ipsum suis manibus oculisque usurpasse.' Multa ex Didascaliæ Fr. de Cordova docto sane capite 49. hausimus. Cujus nec judicium adscribere piget: Erythram regem, si quis eo nomine umquam fuit, a mari potius invenisse nomen, quam ab ipso mare. 'Quod si,' ait, 'recentiorum aliquis, (nam veteribus hac in re parum credendum, supra ostenderat,) ut Andreas Corsalius, (in quadam ad Laurentium Medicem Epist. tom. I. Navigat. Rhamus.) adnavigato illo mari ejus aquas a ceteris colore non differre affirmavit, verum quidem asseruit, ut vidimus superius; non tamen ideo ex illius auctoritate rubras videri aquas

Digitized by Google

sæpius pluribus in locis negandum; nam neque ille hoc negavit, neque, si negasset, fides illi esset adhibenda, qui vel non diligenter hoc examinasse credendus, vel forte non vidisse pacato tunc mari, nec 'turbantibus æquora ventis,' ut ait Lucretius, et sic nulla arenarum, et limi facta revolutione, unde aquis provenit color.' Quod quidem judicium hac in parte præfero summo Viro Brissonio, qui veterum opinionem de Erythra rege enixe tuetur, verbo 'Mare,' de Verb. Signif. Cordovæ consentit etiam Schindler. in Lex. Pent. voce ים Quamquam Corsalii opinioni accedat Popma, Merula Cosmogr. I. 6. Becmannus, Lud. Vartomannus Navig. I. 21. 'Satis est,' inquit, 'in confesso omnibus, quod dictum æquor non est rubrum, sed instar reliqui æquoris.' Idque Brodæus Miscell. III. 9. de multis se sciscitatum, qui ea loca viderant, rem ita se habere comperisse dicit. Et ut largiamur (cur enim id asserentibus demamus fidem?) aliquas ejus coloris maculas interdum ibi cerni; non sequitur ideo rubrum appellatum fuisse, non magis quam a viridibus aut candicantibus maculis, quas ibidem apparere iidem ipsi narrant, candidum aut viride. Verum ambagibus omnibus remotis, ipsam rem hactenus incognitam aperuisse videtur eruditissimus Fullerus Miscell. Sacror. IV. 20. ab Esauo, qui et Edom, appellatum fuisse hoc mare, qui potentiam suam hucusque protenderit. *Edom* enim Hebræi rubrum vocant, quem Græci 'Ερυθρὸν vocaverint; eodem modo quo *Cephan Petro*, *Thomam Didymo* sunt interpretati: Lege apud ipsum prolixam, sed reconditæ eruditionis, acerrimique judicii refertam dissertationem. *Freinsh.* *Erythra*] Inde Erythræum mare vocatur, quod vulgo rubrum, quam vere auctor docet, interpretantur. Eadem fere X. 1. 13. Ceterum *Erythra* potius, quam *Erythro* legendum censet Salmasius Exerc. Plin. p. 341. edit. Ultr. *Cellar.*

§ 15 *Lini*] Plinius aliud quoddam lini genus Indicum prodidit vivum, Græcis ἄσβεστον dictum, quod igne non exuritur, sed splendescit magis quam si lavaretur. Sed de hoc nihil opinor Curtius. *Raderus.* Verum Hierocles apud Stephanum Brachmanas hinc amicit: quod fabulosum puto, et potius credo Plinio, rarissimum inventu id lini genus esse. *Freinsh.*

Libri arborum] Tam teneri, quam tenerrima nostra charta, nisi quod candor desideretur in his, quos ego vidi, sed colores omnis generis tam avide accipiunt et bibunt, quam ulla charta. Ostendunt hoc etiam icones impressi et libri. Sed de phyliris seu libris arborum disputatum est copiosius ad Martialis Epigr. XIV. 10. *Raderus.* Cortices tenuiores, ut Virg. Georg. II. 77. *Cellar.*

Quam ceræ] Mutarunt alii, *quam chartæ*, incogitantes homines. *Modius.*

§ 16 *Aves*] Psittacos intelligit, de quibus ad Martialem XIV. 72. 'Psittacus a vobis aliorum nomina discam, Hoc didici per me dicere, Cæsar ave.' Multa ex multis scriptoribus allata. Quibus addes, quæ Ulysses Aldrovandus toto lib. II. Ornithologiæ tradidit, ubi formas iconibus expressas tredecim lectori spectandas proponit; quatuordecim descripsit. Sed elegantissimum adjecit Carolus Clusius in Auctario Exoticorum, cujus iconem ibi expressam miraberis. mihi indigitasse satis. De corvis et picis avibus, vocum quoque humanarum imitatricibus, etiam ad Martialem dictum. *Raderus.* De avibus his hodie nemo dubitat, olim pro fabula id habitum: ut nunc alia, quæ vulgo non creduntur, et tamen fortasse vera sunt. In quam rem digna judico verba Stephani, quæ ex præfatione ejus in Ctesiam, hic legantur: 'Fuerunt nonnulli prisco sæculo homines, qui quod de quadam Indica ave narraba-

Digitized by Google

tur, eam videlicet in India, Indicum, illinc in Græciam transportatam, Græcum sermonem discere, et hominum more articulatas distinctasque voces tandem proferre; hoc ut plane absurdum et ineptum commentum, exsibilandum explodendumque esse dixerint. Quinam? nempe non alii, quam quibus hujusmodi avem ex Indicis oris advectam videre nunquam contigisset. Nam Ovidius et Statius, fortasse et ipsi, hominem id commemorantem, ut aperte mendacem, aliquando risu exceperant: at postquam ipsam illis datum fuit avem cernere et audire, quam ea de re famæ et aliorum sermoni adhibere fidem noluerant, eam suis ipsorum oculis adhibere coacti fuerunt. Et, ut illos taceamus, hodieque vulgaris est adeo illa avis, ut extare aliquem qui dicat incredibile esse quod de illa narratur, id demum nobis plane sit incredibile. Quem enim Psittacum (quem *Βίττακον* Ctesias hic appellat) præter illum Veronensem Claudiani senem, aut aliquem illi similem, nunquam vidisse putabimus? Finge tamen reperiri senem aliquem (et reperiuntur forsitan aliquot ex illis etiam qui in urbibus degunt) qui nunquam eam volucrem viderit, aut, si viderit, loquentem certe nunquam audierit: an eum qui hanc illi avi inditam esse naturam affirmabit, fidem apud hujusmodi hominem impetraturum reris? Hoc certe si credis, longe falleris. His igitur tandem hunc sermonem claudamus verbis. Quemadmodum si psittacus nunquam ex India advectus ad nos fuisset, avem apud Indos esse humanas voces sonantem nemo crederet: nunc vero quoniam vulgaris est illa, vix quisquam hoc miraculi loco habet: itidem etiam multa de aliis Indicis animalibus referri, et de plantis atque arboribus, nominatim etiam de quibusdam radicibus, item de aquis, de metallis, de aliis denique multis illi regioni peculiaribus rebus commemorari, quæ multorum fidem superant: at si tam facilis illarum rerum, quam psittaci, asportatio esset, tam facile firma ab omnibus persuasione reciperentur, quam ea, quæ de psittaco scripta sunt, recipiuntur.' De his avibus accipio, quod 'apud Indos eas videns Alexander, admiratione earum commotus, in eos qui has occiderent, gravem pœnam constituit.' Quamquam Ælianus de Hist. Anim. v. 21. f. pavonibus id tribuit. Sed cum, ut ipse ibidem addit, jam ante Alexandrum (prior enim eo fuit Antiphon) pavones Athenis visi fuerint, haud dubium est, quin Alexander, vel in ipsa Græcia, vel certe in Asia priusquam in Indiam transiret, aves eas satis vulgares esse viderit. Unde crediderim Ælianum, quæ apud veterem scriptorem de avibus Indicis reperierit, propterea quod a pulchritudine eas commendari videret, immemorem psittacis idem convenire, protinus de pavonibus sit interpretatus. Nec sententiæ me falli patitur, quem nunc non recordor, vetus auctor, qui tradit Alexandrum ob eam causam aliquem severe punivisse, quod avem humanas voces imitantem in convivio apposuisset. Quod quidem postea Æsopus tragicus apud Plinium x. 51. et Val. Max. IX. 1. 2. impune fecit. Apparet enim si ob formam avibus parcendum judicavit, magis id facturum fuisse ob vocem quam imitantur. Psittacum egregie describit ex Plinio X. 42. 2. Apul. in Floridis, ubi lego: 'Ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus glande qui vescitur: et cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur. Non enim omnibus psittacis id insigne; sed illud omnibus proprium, quod eis lingua latior quam ceteris avibus. eo facilius verba hominum articulantur.' Vulgo: 'insigne. sed i. o. proprium: quo eis l. l. q. c. avibus, eo f.' &c. *Freinsh.*

Animalia] Ex insuitatis et Europæ

Digitized by Google

invisis Martichoras est, quam in palatio nostri Serenissi. Electoris cum effigie Alexandri M. inspexi, quam ex Ctesiæ Indicis Ælianus Hist. Anim. cap. 21. et Euseb. in Hieroclem describit. Jarchas tamen rex Indorum in III. 14. Philostrati de hac prodigiosa fera rogatus, negavit se quidquam inaudisse. Plinius VIII. 21. 'Mantichoram,' non 'Martichoram' appellat. Meminit et in Bœoticis Pausanias. Ceterum de feris Indicis testatur Philostratus IV. 12. esse et multas et multorum generum. Breviter Solinus cap. 55. 'Sunt illic multæ ac mirabiles bestiæ,' &c. *Raderus.*



Ex nummo ab Erizzo publicato, p. 163.

Rhinocerotas alii, non generat] Quæ ergo terra inquies aut regio creat rhinocerotas, si India non generat? Æthiopia opinor, quod Pausanias in Eliacis et Bœoticis rhinocerotem taurum Æthiopicum appellet. Nam ita Pausanias: 'Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex re ipsa rhinocerotas (quasi tu diceres *naricornes*) nominant, quod illis e nare extrema cornu prominet, et paullo superius alterum non sane magnum: in capite nullum prorsus habent.' Sed de hac immani bellua pluribus actum commentario ad spectacula Martialis Spect. VIII. et XXI. Hic pluribus nil opus: effigiem habes apud Gesnerum. *Raderus.* Videtur Curtius credidisse in sola Æthiopia belluas gigni, quæ cornu in naso gestant, sicut Rhinocerotas Pausanias Eliac. lib. I. et in Bœot. vocat ταύρους Αἰθιοπικοὺς. *Cellar.*

§ 17 *Elephantorum*] Idem Strabo lib. XVI. per Onesicritum testatur. et Diodor. II. 42. 'Elephantes fert Africa,' inquit Plinius VIII. 11. 'ultra Syrticas solitudines, et in Mauritania, ferunt Æthiopes et Troglodytæ, ut dictum est, sed maximos India, bellantesque cum iis perpetua discordia dracones.' In Taprobane vero 'Onesicritus elephantos majores bellicosioresque, quam in India gigni, scripsit' Plin. VI. 22. 2. Curtius communi nomine 'Indos' omnes extra Africam et Æthiopiam natos appellavit. Plura de elephantis ex instituto Plinius VIII. 1. usque ad cap. 13. Nos etiam ex variis aliis scriptoribus ad Martial. Spectac. Epigr. XVI. et XVIII. Plurima de elephantis Indicis Arrianus Rer. Ind. 2. 22. ubi de venatione, et mira illorum docilitate. *Raderus.* 'Libycos elephantes neque odorem neque barritum ferre Indicorum' scribit Polyb. V. 84. ubi de prœlio Ptolemæi et Antiochi. *Freinsh.*

§ 18 *Aurum flumina vehunt*] Plinius XXXIII. 4. de auriferis fluminibus: 'Aurum,' inquit, 'invenitur in nostro orbe, ut omittamus Indicum, atque a formicis aut gryphibus apud Scythas erutum. Apud nos tribus modis: fluminum rapientis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ,' &c. addidisset Plinius 'Rheno' (Martial. X. 7.) 'Germaniæ, Istro Pannoniæ.' Sed hic de Indico auro et fontibus et fluminibus agamus. Plin. ult. cap. ult. libri: 'Gemmiferi amnes sunt Acesines et Ganges.' Ctesias antiquissimus scriptor in Indicis apud Photium scripsit de fonte qui quotannis auro humido impletur, ex quo fonte centum urcei fictiles singulis

Digitized by Google

annis hauriuntur, &c. Sed Jarchas rex Indorum apud Philostrat. III. 14. negat se quidquam de hoc fonte cognovisse. Sed negat Ctesias etiam quod Curtius affirmat, in fluminibus reperiri aurum, ut in Pactolo, sed quod multi et vasti montes illud suppeditent, et gryphes custodiant. Contra Tzetzes Chiliad. XII. 404. Megasthenes apud Arrian. Rer. Ind. III. 33. testantur, aurum apud Indos a formicis, quæ magnitudine vulpes superent, erui. Arrianus rem in medio relinquit: Herodotus III. 102. affirmat, et copiose explicat. De gryphibus aurum custodientibus, et ab Indis decipi solitis, etiam Ælianus IV. 27. copiose. De formicis etiam Strabo lib. XV. Sed redeamus ad flumina auram vehentia; de his enim Curtius, qui doctorem ejus rei Megasthenem apud Strabon. lib. XV. habere potuit: 'Flumina auri micas deferre, ex quibus regi tributum advehatur, quod et in Iberia contingit.' *Rader.* 'Id aurum vis aquarum secum ex venis effert:' ut notat Agricola de Re Metall. l. II. *Freinsh.*

§ 19 *Gemmas margaritasque*] De margaritarum natura, nobilitate, pretio, loco, et patria, plurima Plinius IX. 35. tote capite. De gemmis vero et lapillis idem toto libro XXXVII. sive extremo. Addam de unica gemma e Ctesia Cnidio miraculi loco, quæ magnetis vim habet, non ut ferrum, sed gemmas trahat: 'De pantarba gemma,' inquit Photius in Excerptis, 'scripsit Ctesias, et quomodo septuaginta septem gemmas et lapides pretiosos in flumen projectos, quæ omnia erant cujusdam Bactriani institoris, pantarba retraxerit inter se cohærentes.' Arrianus Rer. Ind. II. 4. ex Megasthene docet, conchas margaritæ marinæ retibus capi solitas. (Idem Ælian. Hist. Anim. XV. 8. Plin. IX. 35. 10.) Ceterum de pretiosis lapidibus scripsit antiquissimus poëtarum Orpheus nobilem libellum, qui hodieque legitur. *Raderus.* De margaritis multa, etiam ex Alexandrinis Hist. scriptoribus, Athenæus III. 13. et 14. quæ loca cum multis aliis diversorum auctorum in Lexicum suum Juridicum congessit Brissonius, voce 'Margarita.' *Freinshemius.*

Opulentiæ causa] Miror hoc; quid enim pro iis accipiant, aurum an argentum? ut his abundant: pecora, armenta, fruges? ne his quidem indigent. Ego potius mercatorum eum fuisse quæstum puto, qui ab Indis vilium rerum pretio gemmas ejusmodi permutare potuerunt: quod et posterioribus sæculis in India Americana factum: cujus incolis etiam accidit, ut pro auro et gemmis 'pretium mirantes acciperent,' ut ex succino suo olim Germani apud Tacit. Germ. XLV. 7. Hodie tamen ibi quoque aurum est in pretio. Causas non enumeramus, inopia temporis. *Freinsh.*

Vitiorum commercium] Pro *vitiorum*, lego, inquit Glareanus, *vicinorum*. Sed quis tu es Glareane, ut postules Curtio præire, quid dicat? nam quin ille modo scripserit, cum et libri omnes, de quibus fando umquam auditum est, eam lectionem auctoritate sua confirment, et vero plane elegans sit, dubitari non potest, ac ne ab illo quidem, qui sustinere assensum re etiam certissima solet. Quid igitur voluisti tibi, aut, ut te mittam, quid voluit sibi illa tua tam præclara emendatio? nam *vulgare vicinorum commercium*, quid sit, aut qui dici possit, lubenter, ut tu fere semper soles, ignorare me fateor, ubi si me roges, quid igitur illud *vitiorum commercium* sibi velit, paratus sum pignus ponere, non potuisse venustius a Curtio breviter indicari, magis hæc ad luxum, quam ad usum facere, utpote quibus quam facile careri possit. *Modius.* Glareanus hic legendum putat *vicinorum*. Sed melior

Digitized by Google

vulgata lectio. *Loccen.* *Vitiorum commercium*] Melius hoc, quam quod vulgo legitur *vicinorum*. Plin. IX. 35. audiamus: 'Principium ergo culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent. Indicus maxime has mittit Oceanus, inter illas belluas tales tantasque, quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, e tantis solis ardoribus, atque Indis quoque in insulas petuntur, et admodum paucas. Fertilissima est Taprobane et Toidis, ut diximus in circuitu mundi: item Perimula promontorium Indiæ.' Ex Jarrico lib. V. Epist. 38. intelliges, ad oram piscariam Indiæ margaritarum caussa subinde ex variis terris et gentibus 60000. mercatorum confluere. 'Sed et quotquot apud Græcos olim et nunc apud Romanos ditiores sunt, majore adhuc studio emunt margaritam marinam, ita Indorum lingua dictam.' Arrian. Rer. Ind. II. 8. *Raderus.* Equidem per commercia, gentium exterarum vitia in vicinos serpere, supra ad VIII. 8. 15. attigimus. In Plinii verbis obiter nota promontorium illud Indiæ aliis scribi 'Perimuda,' ut Æliano XV. 8. Stuckius in Arriani Periplum maris Erythræi, hodie *Patane Caxaldo* vocari scribit. Ubi multa etiam de margaritis. *Freinshemius.*

Pretio quod libido constituit] Ita Plinius IX. 35. in fine: 'Mater luxuria margaritis pretia fecit.' Et Tertullian. in libr. de Habitu Muliebr. 'Concupiscentia pretia rebus inflammavit, ut se quoque accenderent.' *Loccen.* Cleopatræ unio seu margarita aceto macerata et hausta 700000. aureorum fuit æstimata: volebat alteram aceto frangere, ut pretium duplicaret. Plinius IX. 35. *Raderus.* Considera Tiberii verba apud Tacit. III. 53. 6. 'Illa feminis propria, quis lapidum caussa pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur.' *Freinsh.*

§ 20 *Ingenia hominum*] 'Hominum quoque diversitates sunt, ut locorum,' Marcellin. XXIII. 30. Vide Flor. III. 2. 2. b. Tangit aliquam ejus rei caussam Justin. II. 1. 11. 'Naturam ad locorum patientiam animalia quoque generasse.' Regredere ad VII. 3. 6. supra. 'In institutione autem puerili, non dicam multum momenti, sed pene dixerim, τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν esse positum,' mirifice dixit Casaub. pr. Comment. ad Theophrasti Character. cui potius assentior, quam Gentili de Legat. III. 8. contendenti non eam esse vim educationi, ut 'quod natura insitum est, velut ingenio terræ,' possit vincere. Pro nobis etiam concludit Filesacus Select. II. 1. &c. *Freinsh.* Ingenia respondent naturæ locorum, quemadmodum mite Asiæ cœlum molliores gignit homines et delicatiores, Septentrio robustos et patientes laborum. *Cellar.*

§ 21 *Corpora*] Strabo lib. XV. 'Et, ut verbo dicam, Indos veste candida, et sindonibus, et carbasis uti.' Et idem supra: 'In cultu corporis contra nimii sunt: nam et aurum gestant, et distincto lapillis ornatu utuntur, et sindonas floridas induunt.' 'Carbasus' autem est tenuissimæ et delicatissimæ telæ seu lini genus, multum a poëtis celebratum. Ctesias ditissimos lino tegi affirmat. *Raderus.* Arrian. de Reb. Ind. III. 1. 'Linea veste utuntur Indi, ut ait Nearchus, lino ex arboribus facto: qua de re mihi jam dictum est, et hoc quidem linum aut reliquis omnibus linis candidius est, aut nigri ipsi quum sint, faciunt ut candidius id, quam est, esse videatur. Est autem ipsis subucula linea crure medio tenus: amiculum autem partim humeris, partim capiti circumjectum.' Philostrat. in Apollonio II. 9. 'Scribit autem Damis, homines, qui secundum Indum fluvium habitant, lineis vestibus amiciri, linum autem in agris plurimum nasci.'

Digitized by Google

De Carbaso Arrian. Peripl. Mar. Erythr. III. 2. 'Fertilis est illa regio (Mambari) carbasi, et quæ ex illo conficiuntur telarum Indicarum.' κάρπασα vocat Arrianus, pro quo Rhamnusius rescribebat κάρβασα· sed κάρπασα scribitur etiam apud Strabonem. In Pausaniæ Atticis καρπάσινον λίνον, ubi de lucerna aurea Minervæ. *Freinsh.*

Carbaso velant] *Carbasa velant* vulgo. *Modius.*

Soleis pedes] Arrian. Ind. III. 2. 'Calceos ex corio albo gestant, eosque accurate atque eleganter confectos, ita ut altiores variisque coloribus distinctas soleas habeant, quo proceriores esse videantur.' Philostratus II. 9. 'Calceamenta ex arborum corticibus facta gestare,' monet. *Raderus.* Etiam ex sparto calceamenta tam jumentis quam hominibus fieri solere, præsertim in Africa, partim ex scriptoribus antiquis, partim propria experientia probat Guilandinus de Papyro membro nono. *Freinsh.*

Lapilli ex auribus] Arrianus Ind. III. 1. inaures ex ebore factas Indis suspendit, et has locupletiores, quibus vulgus non utitur, ferunt. Sed de inauribus antiqua res est, uti et de armillis et brachialibus. Nec apud Indos tantum, ubi aurum, lapilli et margaritæ nascuntur, sed in omni fere orbe: de quibus Plinius IX. 35. quem videbis. Reges Persarum etiam inaures gestabant: testis Arrianus VI. 5. 15. qui sepulchro Cyri etiam ἐνώτια sive inaures illatas memorat. Et Procopius lib. I. de Bel. Pers. de Perosa Persarum rege testatur: 'Margarita candore et magnitudine eximia et pretiosa ex aure dextra pendebat.' Quod et Parthorum genti familiare fuisse, Tertullian. de Cultu Feminar. cap. 10. tradit his verbis: 'Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, et tanti habuit vexationem operis sui, et cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, ut ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent: quæ plane Parthi per omnia quæque suis bullarum vice inserunt.' *Raderus.* Ex Brissonio lib. I. de Regno Pers. Ultima Tertulliani verba emendatissime leguntur in edit. Rigaltiana: 'quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt.' Unde constat ex his verbis de Parthorum inauribus nihil colligi: quod falsa lectione deceptus Brissonius conjecerat. De inauribus Chares apud Athenæum III. 18. 'Ex unionibus fiunt inaures, monilia, et armillæ brachiorum, pedumque ornamenta, apud Medos, Persas, et Asiaticos omnes pluris æstimata, quam quæ ex auro conficiuntur.' De Babylonlis Juvenal. Sat. I. 104. 'Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ Arguerent, licet ipse negem.' Ad quem locum Plinius, Plautus, et Exodus citatur a Britannico. De Afris Augustin. Epist. 73. 'Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur.' Et mox: 'Solvere inaures timent, et corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent.' Quod putem haud simpliciter de inauribus intelligendum, sed in quibus essent fortassis imagines Deorum, aut quid tale. Afris autem usitatissimum id fuisse (quamquam non amplius ætate Augustini, si quidem is auctor est Quæstionum in utrumque Testam. vide Quæst. 115.) Ciceronis scomma ostendit apud Macrob. Saturn. VII. 3. 'Octavius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait, Non audio quæ dicis: ille respondit: Certe solebas bene foratas habere aures.' Vetus auctor apud Suidam: 'Ἐνώτια· donat ipsum inauribus, quæ margaritis

Digitized by Google

erant ornatæ.' Mulieres antiquæ 'ex auribus longas inaures dependentes habebant.' Ælian. Hist. Var. I. 18. Viri nequaquam. Quare Tertullian. de Pallio cap. 4. de Achille: 'Aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum strongyla servat.' Quamquam etiam pueros Græcorum inaures gestasse scribat Isidorus Orig. XIX. 31. sed hoc discrimine, ut 'puellæ utraque aure, pueri tantum dextra ferrent.' Id 'nobilitatis insigne' fuisse Athenis, docet Apul. lib. de Habit. Doctrinæ Platon. Originem ejus rei tradit Dio Orat. 32. 'Quum Atheniensibus respondisset Apollo, si vellent bonos viros in civitate provenire, ut optimum quod esset puerorum auribus insererent; illi autem aure perforata, aurum inseruerunt, Dei videlicet responso non intellecto. Hoc enim puellas magis decebat, et Lydorum aut Phrygum pueros.' De Judæis clarum ex Exodi XXXII. 2. Esaiæ III. 19. et alibi in sacris literis. *Freinsh.*

Brachia] Armillas gestarunt etiam Medi, ut ex Xenoph. Cyropæd. lib. I. constat: item Persæ, ex ejusdem Ἀναβάσ. lib. I. Vide Brisson. de Regno Pers. lib. II. pag. 286. f. *Idem.*

Lacertos auro colunt] Ornant. Sic Petron. Sat. cap. 32. 'Lacertum armilla aurea cultum.' Etiam vulgatior *cultus*, pro ornatu, in aliis partibus, Tibull. I. 9. 9. 'molles prodest coluisse capillos.' De totius corporis cultura Ovid. de Arte Am. III. 107. 'Corpora si veteres non sic coluere puellæ, Nec veteres cultos sic habuere viros.' Et simpliciter pro ornare usurpavit Tibull. I. 1. 67. 'Ah perdant artes, et mollia jura colendi.' *Snak.*

§ 22 *Capillum*] 'Indis omnibus promissa cæsaries, non sine fuco cærulei, aut crocei coloris,' Solinus. Diodor. Sic. IV. 5. scribit, Indorum moris esse per omnem vitam barbam nutrire: hunecque morem a Dionysio accepisse, quem barbatum nominaverunt. Strabo lib. XV. scribit, Indos comam et barbam nutrire. Quin et multum posuisse studii in pectendo, testimonio Ovidii Fast. III. 465. innotescit, epitheto isto hos insignientis: 'Interea Liber depexis crinibus Indos Vincit.' Tiraquellus ad Alex. ab Alex. v. 18. ubi variarum gentium instituta circa capillum et barbam enarrantur. *Freinsh.*

Levitatem exæquant] Iterum vulgo, *ad speciem levitatis exæquant*, in speciem recte, re pessime. *Modius. Ad levitatis speciem*] Male mutavit Modius: sensus est: quasi leve semper os fuisset. Martial. VIII. 52. 'Æquandas semel in genas rogatus.' *Heins.*

§ 23 *Super omnium gentium*] Opinor bene a me ita emendatum hoc: respicit vocem *luxuria*, quæ præcessit. Editiones tamen legunt, *super omnium gentium vitia*, meo judicio vitiose: ut et mox cum scribunt: 'Cum rex sane in publico,' &c. pro quo rectum est, 'Cum rex se in publico conspici patitur.' *Modius. Supra omnium gentium*] Ælianum audi de Animal. XIII. 18. 'In regiis ædibus Indiæ, ubi regum maximus illic regna tenentium ætatem degit, quum alia permulta et magnam hominum admirationem, et nullam comparationem habent: quibuscum sane nec Memnonia Susa, neque tota eorum sumptuositas conferri possunt: neque Echatanorum magnificentia cum his in comparatione conjungenda est. etenim illa Persici fastus, vanitas, si cum iis comparentur, videri possint.' Pori quoque regia laudatur in Epist. Alex. ad Aristotelem, quam tamen spuriam putamus. *Raderus.*

Quum rex sane] Hoc *sane* nescio an sanum sit. Ecquid enim faciat, vel quo fine aut efficacia hic ponatur? Malim igitur, *quum rex sese. Scheffer. Quum rex se*] Vulgo *sane*,

Digitized by Google

loco *se*; sed *se* etiam Tellierius et Pitiscus habent. *Cellar.*

In Publico] Fuere qui numquam in publicum prodirent, ut Herodot. I. 99. de Deioce Medorum rege prolixe narrat, et [Agatharchides, ac] Diodor. Siculus III. 47. de Sabæorum regibus. Eadem ratio apud Sinas hodie servatur, nisi quod ab Eunuchis et domesticis adeatur. Apud Indos quatuor ob causas prodibat in publicum, cum bellum urgeret: cum jus diceret: cum sacrum faceret: cum venaretur: ex quibus Curtius tres dumtaxat profert, bellum, venationes, judicia. De pompa vero et publicis solemnitatibus ex Clitarcho et aliis ita Strabo lib. XV. 'In solemnibus pompis multos elephantes mitti auro et argento ornatos, et multas quadrigas, et boum paria: deinde exercitum instructum sequi, et ingentes lebetes deauratos, et magnos crateras, et mensas ex Indico ære,' &c. *Raderus.* Rarus autem adspectus in publico eo pertinebat 'ut venerationis plus inesset.' Ad quæ verba Tacit. H. IV. 65. 8. Gruterus Discurs. cap. 44. docet melius esse: 'Regem omnibus potius patere, quam nemini.' *Freinsh.*

Iter odoribus complent] Quo luxu Alexandrum etiam Babylonii excipiebant, supra v. 1. 20. Adde ibi notata. *Cellar.*

§ 24 *Quæ inductus*] Vulgo, *quæ indutus est.* Modius.

Armati] Leviter dubito, an scripsit *armigeri corporisque custodes.* Hos sane alibi sæpe jungit. *Freinsh.*

§ 25 *Aves*] 'Quemadmodum Homerus regium decus et oblectamentum esse scribit frenum et reliquum ornatum equi: ita Indorum rex amores et delicias suas upupam facit. Hanc manibus gestat; ea se oblectat; et nativam ejus venustatem summa admiratione frequenter intuens, magnam inde lætitiam voluptatemque capit.' Ælian. Hist. Anim. XVI. 5. Adde eumdem XIII. 18. 8. 'Clitarchus (apud Strabon. lib. XV.) refert, magnis præditas frondibus arbores in plaustris quaternarum rotarum deportari, et ex eis aves mansuetas excuti, quarum canorissimum dicit orionem,' &c. *Freinsh.* Quid? an inter corporis custodes? quomodo autem inter eos pendeant? aut ubi rami illi, unde sunt suspensi, cum præsertim custodes illi dicantur sequi? metuo, ne, quod et alibi factum, versus sint transpositi, hæcque verba intrusa loco alieno, atque sic scribenda: *Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat, inter quas ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. Distincta sunt auro, et purpura carbasa,* &c. Sane vero similius, aves istas fuisse suspensas circum lecticam, quam alio loco. *Scheff.*

§ 27 *Regia adeuntibus patet, cum*] Ita interpunxi, antea legebatur, *Regia adeuntibus patet. Cum capillum pectit atque ornat, tunc responsa legationibus, tunc,* &c. inepte. *Modius.*

Cum capillum] Strabo lib. XV. 'Præter exitum regis ad bellum, alius est, cum ad jus dicendum exit, per diem totum audiens, etiamsi hora sit ut corpus curet. id autem fit strigilum perfrictione: nam simul et audit, et a tribus frictoribus perfricatur.' Idem de Vespasiano Sueton. cap. 21. *Loccenius.* Principes autem judices fuisse variis gentium exemplis probat Dempsterus in Paralipom. ad Rosin. IX. 31. De legationibus cito etiam a Trajano expeditis Plinii Panegyr. 'Adeunt statim, dimittuntur statim. Tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.' De variis gentium moribus in admittendis audiendisque legatis, vide Gentilem de Leg. cap. 19. Capillum quod attinet, notandum quod apud Strabon. lib. XV. legitur, 'cum rex capillos abluit, magnam festivitatem celebrari, et maxima dona mitti.'

Digitized by Google

Qui locus magnopere firmat opinionem Casauboni, qui in simili Persarum more, forte ab Indis vicinis accepto, apud Athenæum IV. 10. ex Herodoto IX. 109. legendum dicit: 'Quæ cœna (Tycta vocata) semel quotannis eo die, quo rex creatus est, instituebatur: tunc solum rex caput cum cura abluitur, Persasque strenis donat;' τὴν κεφαλὴν σμᾶται. non ut Valla et Dalecampius volebant: κοσμεῖται, *ornatur caput*. Veteres etiam ephebi capillum solemniter deponebant, Græci quidem ad Delphos, ut Theseus apud Plutarch. cap. 8. *Freinshemius*.

Inliuntur pedes] Hoc feci ex editorum librorum *illinunt*, et non editorum *illiduntur*. Modius. Non solum hæc consuetudo apud Indos, sed et Athenis fuit, ut qui deliciis dediti essent, pedes etiam unguentis perungerent, ut Athenæus lib. XII. 30. refert. Scite autem Diogenes Cynicus apud Laërtium unguento inunguens pedes dixit, a capite quidem in aërem adscendere unguentum, sed a pedibus in olfactum. *Popma*. *Inliuntur pedes*] Hic mos unguendi pedes non apud Indos tantum, sed Hebræos, Græcos, et Romanos usurpatus fuit. Magdalena apud S. Lucam VII. 38. unguento unxit pedes Christi. Apud Rom. in balneis totum etiam corpus, in convivils caput inunctum fuit. 'Antiquos in unguentorum usu fuisse curiosos et diligentes, hoc est indicio, quod privatim unicuique parti corporis idonea scirent. Antiphanes in Vinosis, aut Fossore: Lavat is in aureo quodam solio: unguento Ægyptio pedes linit et crura: Phœnicio buccas et ubera: Sisymbrino vero utrumque brachium: Amaracino supercilium et comam: Serpyllino cervicem atque genua.' Athenæus XV. 12. Apud Plinium XIII. 3. 4. M. Otho Neroni monstravit pedum vestigia unguentis tingere. Diogenes apud Laërtium aliquando unguentatis pedibus incessit: quod a capite odor in aërem dissipetur, a pedibus vero in caput recta feratur. In Aulularia Plauti III. 5. 37. *Myrobathrarii* sunt, qui calceamenta muliebria, ut bene olerent, unguentis imbuebant. Plura de unguentis et unctionibus nos ad illud Martialis phaleucium Epigr. III. 60. 'Unguentum, fateor, bonum dedisti.' *Raderus*. Vide etiam Barthium ad Claudian. de Bell. Gildon. vs. 184. 'mistis redolent unguenta corollis.' *Freinsh*.

§ 28 *Venatus*] Strabo lib. XV. 'Tertio ad venationem (procedit) ubi Bacchico more maxima mulierum caterva circumfunditur, stipatores exterius manent; nam via funibus obtexitur: quod si quis interius ad mulieres usque accedit, interficitur. Præcedunt regem tympana et tintinnabula, cum in locis septis venatur, e solio sagittat, assistentibus ei duabus tribusve mulieribus armatis; cum in locis non clausis venatur, sagittat ab elephante.' *Raderus*. Ceterum vivaria ista etiam apud Persicos reges fuisse venatus causa, ex Xenophonte, Philostrato, Ammiano, &c. notat Brissonius lib. I. de Regno Persarum. *Freinsh*. Quomodo hæc cohærent, *venatus labor est figere animalia*, debebat saltem intercedere conjunctio post *labor est*, ut responderet utrique, et diceretur venatus labor est, item figere animalia labor est. Quamquam cum sic nil dicatur novum, vox *venatus* glossatoris, non Curtii, esse videatur. *Scheff*.

Inter vota cantusque pellicum] Mulieribus in venatione regem Indorum stipari, non viris etiam, tradit Strabo lib. I. *Cellar*.

Quam effectu] Arrianum Ind. III. 8. alia narrantem audi: 'Sagittis utuntur trium paullo minus cubitorum, nihilque est quod non Indici sagittarii telum penetret: non scutum, non thorax, aut aliud armaturæ genus, quantumvis validum.' *Rade-*

Digitized by Google

rus. Nec omisit armaturam hanc Indicam narrare Strabo lib. xv. Arabibus etiam Suidas tribuit 'sagittas hominis longitudinem æquantes,' dicitque 'arcum intendere non manibus, sed pedibus insistentes nervo:' quod idem et de Indis Arrianus. *Freinsh.*

Inhabili pondere] Lugdunenses aliique impressi libri *instabili*: non recte. *Modius.*

§ 29 *Longior ubi expeditio*] Hæc sic in membranis perscripta exstant, *Breviora itinera equo conficit, Longiora ubi expeditio est, &c.* Modius.

Elephanti vehunt currum: et tantarum] Sive, *elephanti vehunt curru;* regem scilicet: nam distinctio non mutanda: *elephanti vehunt: currum et tantarum.* Acidalius. Vere distinxit hunc locum Acidalius. *Raderus.*

Contegunt auro] Idem Strabo lib. xv. supra citatus. De distinctione nondum assentior Acidalio, scribenti: *elephanti vehunt: currum, &c.* vel, *vehunt curru:* quamquam Radero placere non dissimulo. *Freinsh.*

A Reginæ] Vulgo, *separatum aliud reginæ ordine agmen est;* male: in membranis autem, ut id etiam per viam moneam, pro *æquatque luxuria,* erat *æquatque luxuriam.* Modius. Vulgo, *aliud reginæ;* forte mutandum fuit, *separatum illud a reginæ ordine agmen est, æquatque luxuria.* Acidalius. Ego non offendo: Pellicum, inquit, agmen separatum est ab ordine reginæ, nihil differens luxu. Quod et Persicorum morum fuit, ut supra III. 3. 24. vidimus. *Freinsh.* Leg. *separatum a regina ordine agmen est.* Heinsius.

§ 30 *Largus est usus*] Contra, ut Strabo lib. xv. innuit, Indis parcus fuit vini usus, præsertim Regi: nam si qua mulier regem bene madidum occiderat, hoc præmii ferebat, ut cum illius successore matrimonio jungeretur, succederent vero filii in regnum. De Scythis vero et Persis Plato lib. I. de Leg. tradit, eos vino præter modum et modestiam uti, ac perfundere vestes, beatum hoc vitæ genus existimantes. Diversa de Turcis Busbequius in Epistolis. *Loccenius.* Verum Chares apud Athenæum x. 10. ait Alexandrum in honorem Calani, 'quoniam Indi bibaces erant, meræ potionis certamen proposuisse:' quod et Ælian. Hist. Var. II. 41. refert. Et videtur tale quid innuere Plutarch. Alex. cap. 119. ubi Calanus hortatur Macedonas, ut cum rege perpotare pergant. *Freinsh.*

Patrio carmine] Hujus carminis præcipuum argumentum fuit, ut rex bonis somniis uteretur, et benignus erga subjectos, ac ξύμβουλος surgeret. Legesis Philostratum de Vita Apoll. II. 14. *Loccenius.*

Noctium deos] Indos puta, non Græcos. Nihil ergo huc Erebus, Eumenides, Erinnyes, et similia monstra. *Freinsh.* Quæ ex Natal. Com. Mythol. III. 12. et Gyrald. de Natur. Deor. Dial. I. huc Raderus advocat. *Snak.*

§ 31 *Quis credat*] Cicero Tuscul. v. 27. 'Quæ barbaria India vastior aut agrestior? In ea tamen gente primum hi, qui sapientes habentur,' &c. *Freinsh.*

Sapientes] Ipsorum lingua *Brachmanes;* de quibus late Strabo lib. xv. Plin. VI. 19. Arrianus VI. 3. 15. et Ind. II. 12. Diodor. Sic. II. 40. Maffeius lib. I. adhuc hodie eo nomine notos esse prodit. Vide de iis et Osorium, Nicol. Orlandinum, Jarricum, Suidam, Stephanum, et Plutarchum Radero citatos: Philonem in lib. de Abrahamo: et Tiraquellum de Nobilit. cap. 31. n. 469. *Freinsh.*

§ 32 *Occupare fati diem*] Hæc omnia sic leguntur in editis libris: *apud hos occupare fati diem pulchrum: et vivos se cremari jubent: quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, exspectatam mortem pro dedecore habent.* Verum enim vero tantum absunt ab

Digitized by Google

elegantia scripturæ, quam reposuimus, quantum Hypanis Veneto dissidet Erydano. *Modius.*

Vivos se cremari] Illustre hujus rei exemplum exstat de Calano Indo (apud Plutarchum cap. 119. ubi et de alio Indo, Cæsaris comite. Diod. XVII. 91. Arrian. VII. 1. 10. Suidam, Ælianum Hist. Var. v. 6. Plinium VI. 19. 5.) De spontaneo autem illo Indorum vivicomburio plura Porphyrius libro IV. de Abstinentia Animal. Casaub. in Animadvers. ad Athenæum XII. 7. Faber Semestr. I. 10. Jo. Meursius et Kirchman. de Funeribus. *Loccenius.* Apud Strabonem tamen lib. XV. 'Megasthenes nullum philosophis decretum esse de morte sibi consciscenda affirmat; sed temerarios haberi, qui hoc in se admittant.' Scilicet loquitur de iis, qui in urbibus habitant, quibus etiam idem decretum assignabit Curtius. *Freinsh.* Ut Calanus Alexandrum in Persidem secutus, quem Cicero Divinat. I. 23. Strabo lib. XV. Arrianus lib. VII. Plutarch. Alexand. et Ælian. Var. Hist. v. 6. commendant; quod et alius Indus ex comitatu Cæsaris Athenis imitatus est apud eumdem Plutarch. cap. I. de hac consuetudine etiam Plinius VI. 19. 'Quintum genus,' inquit, 'sapientiæ deditum, voluntaria semper morte vitam, accenso prius rogo, finit.' *Cellarius.*

§ 33 *Nec quemquam admovere*] Putant nullum, qui mortis tempus prævertat, posse illam operiri sine metu. Contraria ergo est horum, qui urbes incolunt, sententia opinioni et consuetudini Philosophorum, qui nudi in agris et silvis agunt. *Cellarius.*

§ 34 *Arbores maxime*] Propter insitatam eorum magnitudinem et proceritatem, quæ sacrum quemdam horrorem, et arcanum numen habere Barbaris visæ sunt. de magnitudine vel proceritate earum Virgil. Georg. II. Strabo lib. XV. Arrian. Rer. Ind. Plinius VI. 13. VII. 2. et alii. Adoratio vero arborum posterioris quoque ævi barbaris solemnis adhuc fuit, donec Conciliis Nannetensi, et Altissiodensi prohibita est: ut notat Lindenbrog. in Glossario Legum Antiquarum p. 1357. *Loccenius. Arbores maxime*] Alexander Neapol. VI. 26. videtur legisse, *arb. maximas*, vitiose. Citatis a Loccenio adde Rubeni Electa II. 23. et Dausqueium ad Sil. III. 692. Plinium XII. 1. et plura jam ante, ut Dempsterus ad Antiq. Rosini I. 13. *Freinsh.*

Capital est] *Capitale* alii, sed notum etiam in vulgus illud ab antiquissimis et optimis esse. *Modius.*

§ 35 *In quinos denos dies*] Hoc si est, non singuli menses a cornibus Lunæ incipiunt, ut n. 36. traditum est. Aut ergo *tricesi* dies adsumendi, aut alterna vice mensis a cornibus et pleno circiter lumine inchoandus. Adi Scaligerum lib. II. de Emend. Temp. p. 114. *Cellar.*

Spatia servant] *Servantur* editi. *Modius.*

§ 36 *Se curvare capit*] Verum sane, cum Luna curvatur in cornua, Indos menses suos ordiri. Sed in ceteris quid velit Curtius, cur ego intellexerim, cum ipse, qui scribebat, non intelligeret? Videtur tamen innuere eos annum suum in 24. menses tribuere solitos, quod facile credo, ut a novilunio una neomenia putetur, altera a plenilunio. Scaliger de Emend. Temp. lib. II. ubi plura 'de anno Indorum priscorum.' Idem in Prolegom. Canonum Isagog. demonstrat errare Curtium, eo quod corniculatam Lunam, quæ Græce est μηνοειδής, pro dimidiata, ἀντὶ τῆς διχοτόμου acceperit: scribendum ei fuisse, *non utique ab orbe completo, sed a dimidiato* menses Indorum computari. Varias autem annorum apud antiquos rationes tam ex Alexandro Neap. III. 24. notisque ad eum Tiraquelli, quam præcipue ex dicto Scaligeri opere cognosces. *Freinsh.*

Digitized by Google

Breviores habent menses] Glareanus inquit: 'Mirum, hoc Auctorem tradere ausum; cum illa *in cornua cursare*, neque certo tempore fiat, atque orbis implctio: nec mensis ob hoc fit brevior. Quamquam sensus esse potest, eos mensis initium sumere non a plenilunio, sed a novilunio: et breviores menses intelligi respectu solarium mensium.' Sed miror ego, Glareanum hoc ausum scribere, et breviores menses respectu solarium intelligendos, cum Curtius diserte dicat, solitos Indos mensem in quinos denos dies describere: qui nec lunaribus respondent; ut qui apud veteres triginta dies continuerint. *Ruderus.*

Modum] Bongars. conjiciebat *motum;* sicque recensuit Scaliger de Emend. Temporum. At vulgata lectio forte melior. *Freinsh.* Scaliger et Bongarsius *motum;* sed nec vulgare *modum* alienum est, quia ad phasin potius, quam ad cursum Lunæ hoc loco respicitur. *Cellar.*

§ 37 *Opera videbatur*] Numquam deero Curtio, quod potero per libros antiquos facere, sed audacter illi detractis et explosis alienis, sua restituam pura, cum usus venerit. ut hoc loco vocem *pretium* ab aliquo fungo inculcatam auctoribus membranis Sigebergensibus et Colonienſibus hinc ejeci. *Modius. Operæ*] Alii, *operæ pretium.* Postremam vocem omisimus ex Mss. Rationem suggeret Index. *Freinsh.* Subaudi *pretium*, quod alii addunt. Freinshemius manuscripto libro fretus posthabuit. Sic etiam Plautus Casin. v. 2. 'est operæ aurihus percipere.' Val. Max. I. 7. 2. A Pitisco additur, sed in Mss. nentiquam est, 'non erat operæ,' verum 'non erat,' demta voce 'operæ.' Consule Gronovium Observ. IV. 8. et Vorstium in notis: nec forte certior ratio est ejusdem Valerii II. 1. 8. 'operæ est cognosci,' quia tum Aldus, tum Mss. Brand. habent *opus est.* Pighii tamen vetus liber, *operæ est.* Cellar.

CAP. X. § 1 *Fines Indiæ*] India trans Indum incipit, ut Arrian. in Indicis docet. Curtius Indicæ gentis nomine eas etiam gentes complectitur, quæ cis Indum sedes habent, ut sunt Astaceni, Assaceni, Nisæi, Peucelatæ, Turæi. Idem Strabo lib. XV. docet Indum fuisse limitem Indiæ, sed addit post ab Alex. etiam ea quæ cis Indum sunt, Indis accensa. *Raderus.*

Illum Jove, Patrem Liberum, Herculem] Dubitavi an notari deberent, quoniam non ad Curtium, sed ad omnes scriptores Græcos pariter et Latinos pertinerent, quæ huic uni imputat Cl. Clericus Judicii de Curtio c. 6. § 2. quod non Indica et barbara nomina his Græcorum Diis indiderint hæ gentes: quod licet hodie sæpe fiat, tamen antiquis non fuit usitatum: et parum refert, utrum sciamus nomina, inani sono, quorum vim non assequimur, præsertim si eamdem rem, quam alii indigitant, velint. *Snak.*

Herculem] De hoc tamen dubitat Arrian. IV. 5. 15. et alii. Maximus Tyrius Orat. XXXVIII. ne dubitat quidem: 'terram Indorum petiit, quæ numquam, ut dicebant ipsi, exercitum externum præterquam Bacchi et ipsius Alexandri admiserat.' *Freinsh.*

§ 2 *Hephæstionem*] Sabellicus notat Nostrum supra VIII. 2. 13. tradidisse, illum ab Alex. in Bactrianam missum, 'expeditionis,' ait, 'caussa an præsidii parum liquet.' At expresse Curtius, 'commeatus in hiemem paraturum.' Intelligendum igitur, eum mandato isto perfunctum interim ad Alexandrum revertisse. Nam et Arrianus IV. 4. 13. consentit Curtio. *Idem.*

§ 3 *Junxere naves*] Vido an non rectius *struxere*, et forte an Curtius sic scripserit. Hoc autem modo etiam Annibal Tarentinos naves, verum integras, plaustris transvehere docuit

Digitized by Google

apud Livium XXV. 11. 21. Argonautæ suam humeris transportarunt. Justin. XXXII. 3. 14. eorumque exemplo Istrorum conditores Colchi. Apud Nilum Æthiopes naves suas 'plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est,' Plin. v. 9. 22. *Freinsh. Junxere*] Male Freinshemius *struxere*. Val. Flacc. I. 123. 'jam pinus gracili dissolvere lamna Thespiaden: jungique latus, lentoque sequaces Molliri videt igne trabes.' *Heinsius.* Noster VII. 8. 7. 'Tanta alacritate militum rates junctæ sunt, ut in triduum ad duodecim millia effectæ sint,' hoc est, ut Cicero, quamvis in re diversa, dicit; 'ex multis partibus constructæ.' *Snak.*

§ 5 *Terrorem inculeret*] 'Pro belli initiis, dux aut timetur, aut spernitur.' Gruterus in Tacitum Discursu octavo, ubi vide. *Freinsh.*

§ 7 *Ignobili gente*] De regia sede hujus gentis Mazagis, seu Massagis infra n. 22. *Raderus. Ignobili gente*] Non video quomodo hujus regia sit Mazagæ, quam urbem Assacani fuisse infra VIII. 10. 22. tradit, nec ignobilis gentis: nec dum Alexandro aditæ. Arrianus IV. 4. 16. Aspios, Thyræos, et Arsacos tum temporis expugnatos narrat. *Freinsh.*

§ 8 *Igni alita*] Rem novam vides, et plane mirabilem, *flammam igni alitam:* sed legendum, *quæ lignis alita*, quod nullam desiderat explicationem. *T. Faber Epist.* I. 55. Audi Cl. Clericum, Logica ratione Rhetori infestum; alius dixisset, inquit, cum ea nocte insolitum frigus ortum fuisset, Macedonas solito etiam majores ignes accendisse, at Noster, dum rem humilem vult rhetorico stylo nimium attollere, in frigus incidit. Quid est *flamma igni alita?* T. quidem Faber legit *lignis alita*, sed hoc quoque frigidum esset; nam quid opus est dicere, *flammam lignis ali?* et quis hoc ignorat? *Judicii de Curtio* VIII. 8. Verum non scripsit Curtius *lignis alitam flammam*, quasi quis id ignoraret: ut ridicule distorquet sensum Vir Cl. sed vult *flammam alitam* ex *ligni* e silva cæsis, et congestis in excitatum ignem, quo majorem conciperet vim, et latius effunderetur incendium; ut idem sit quod IV. 3. 4. dixerat: 'Quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera congerunt,' nam etiam paullo ante præmittit ibid. 'Incendium opera in capite molis posita comprehendit.' Et ne ablativus hic 'igni' in dubium quemquam vocet, exemplis eum illustrabit præter Priscianum G. J. Vossius de Arte Gramm. II. 12. Sed forte vera est lectio codicis Vossiani 2. qui habet *alta*, quæ vox imposuerit librariis ex affinitate hoc adjectivum pro participio capientibus: et sic *flamma igni comprehenderit alta oppidanorum sepulcra*, quæ vel altiori erunt posita loco, vel in altum erecta, quod et *ipsa vetusta cedro facta* satis indicant: vel *alta* sunt venerabilia et magnifica, ut apud Maronem 'decora alta parentum:' et sic accipio apud eumdem Georg. IV. 541. 'alta ad delubra Dearum.' Nec opus est ut multum emineant, quæ *alta* dicuntur, cum Virgil. idem Georg. IV. 459. dixerit 'servantem ripas alta non vidit in herba.' Tibull. II. 5. 99. 'Extruet alte Cespitibus mensas.' *Snak.*

§ 10 *Aliis pugnam experiri*] Etsi non plane spernendum est, quod tres codices Mss. Fl. Leid. Voss. 1. hic habent, *pugna;* aliter enim forte 'experiuntur deditionem,' aliter 'pugna' fortunam vel hostes. Noster VIII. 13. 12. 'Uterque rex parvæ rei discrimine summæ rei experiebatur eventum.' Nam non solum hunc casum sibi vindicat verbum 'experiri;' Nepos Timoleon. cap. 5. 'Quod quisque vellet legibus experiri liceret.' Noster VII. 7. 11. 'Alieno Marte experiri;' sed elegantissima ἀλλεῖψις significantius quid præ se fert. Nec est, quod illud ἀνακολουθὸν videatur

Digitized by Google

præcedente quarto casu, cum quo quasi copuletur, cum idem sit apud Terent. Eun. IV. 7. 19. 'Omnia prius experiri, quam armis sapientem decet:' ubi frustra interpolando alii, 'verbis;' alii, 'consilio,' debilitare potius, quam adjuvare vim constructionis conantur, cum eam Donatus, et Nonius Marcellus agnoscant. Curtii tamen hic esse non credo, qui cum aliis passim cum quarto casu jungit. *Snak.*

§ 11 *A Libero patre conditos se esse*] Dionysio, qui Liber pater, cum Indiam victor perambulasset; Nysam urbem ex suo nomine juxta Indum fluvium condidit, et quinquaginta hominum millibus implevit, ut Isidorus XV. 1. Orig. tradit. meminere hujus urbis Plin. v. 21. Strabo lib. XV. et Martianus Capella lib. VI. Stephanus Nysæ nomine decem urbes collegit, inter quas in Eubœa decimam retulit, ubi ait una eademque urbe vitem florere, et racemos maturos producere. *Popma.* *A Libero*] Idem Arrianus Indicorum principio. Philostrat. II. 1. et 4. Isidorus XV. 1. Stephanus περὶ Πόλεων. De Bacchi in Indos expeditione longam fabulam conscripsit Nonnus. Goropius in Indo-Scythicis Liberum illum Noam fuisse contendit. Ego cum Arriano v. 1. 2. (ubi illi hac de re sermo) 'censuerim, ea quæ de Diis veteres fabulis suis conscripsere, non esse nimium curiose investiganda.' *Freinsh.*

Jovis femine] Ovid. Met. III. 8. 'Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur, patrioque tener (si credere dignum est) Insuitur femori, maternaque tempora complet.' Fabulam Physice interpretatur Diodorus Siculus III. 62. *Cellar.*

Et vera hæc origo erat] Sic iterum Cl. Clericus Judicii VI. 4. quasi vero hoc ullo vel minimo indicio constaret? *sita est sub radicibus montis quem Meron incolæ appellant. Inde Græci, &c.* Quæsiverim an *Meros* sit vox Indica, quam Macedones Græcam μηρὸν esse rati sint? si sit, quidni nomen Bacchi Indicum ediderunt? Deinde cur dictus est Bacchus non simpliciter ἐν τῷ μηρῷ τετράφθαι, sed ἐν τῷ τοῦ Διὸς μηρῷ? sed hæc mendacia sunt Macedonum, et verisimilius est Thebanum Bacchum, ab antiquissimis Thebanis Phœnicum colonis, dictum esse ortum e *femore Jovis*, Phœnicia locutione, quæ Hebræis frequens est, ad significandum eum e posteris Jovis fuisse. *Snak.*

§ 12 *Meron*] Quasi diceres *femur*. Unde nota Græcorum fabula: extincta fulminis ictu Semele gravida, Jovem imperfectum adhuc infantem femori suo insuisse, donec completis mensibus Bacchum eniteretur. Id Orphei hymno in Sabazium, Dinarchi lib. IX. Euripidis in Bacchis, Ovidii Met. III. 260. Solini cap. 55. Melæ III. 8. testimoniis Raderus latius explicat. Plinium etiam VI. 21. corrigit, *unde origo fabulæ Jovis femine* (non *semine*) *natum*. Sic tamen habent editiones, ante Raderum impressæ. Arrianum autem Indic. I. 2. nec interpretes perceperunt, nec Raderus recte exponere visus est: 'Mons vero urbi vicinus, ad cujus radicem sita est Nysa, Merus, hoc est, femur, vocatur ob infortunium, quod illi statim ac natus est accidit.' Infortunium, ait Raderus, Diodorus Sic. III. 64. explicat: 'Cum ergo Semele precibus a Jove extorsisset, ut pari se atque Junonem honore dignaretur, tonitru et fulmine armatus ille accessit, quorum vim cum puella sufferre non posset, exanimata abortum fecit. Infantem vero Jupiter confestim exceptum femori insuit, eumque ad justi incrementi tempus enixus Nysam Arabiæ deportavit,' &c. Sed induxit eos in errorem unius voculæ mutatio, quam inconsulto commiserunt, quibus fabulam de Baccho bis genito tangi non suboluerat. Scripsit Arrianus: Τὸ ὄρος, κ. τ. λ. Μηρὸς καλεῖ-

Digitized by Google

ται, ἐπὶ τῇ συμφορᾷ ᾗτινι ἐχρήσατο αὖθις γινόμενος. Mons, &c. vocatus est Femur, ab eventu qui Baccho acciderat, ut iterum nasceretur. αὖθις ergo scribendum, non εὐθύς. Non enim ex priore partu, si ita vocandus est abortus, mons ille nomen accepit, sed ex sequenti. Ab eo eventu Διμάτωρ appellatus est Bacchus apud Athenæum II. 2. in Alexidis versu: quasi qui duas matres habuisset; uterum Semeles, et femur Jovis. Qua de caussa et Διθύραμβον vocari, quasi ex duabus jannis egressum, in Etymologico scribitur. Apud Ovid. Met. IV. 11. 'Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque, Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.' Μηροῤῥαφῆ quoque hinc vocatum fuisse, sive *femori insutum*, Eustath. ad Dionys. vs. 1159. notat. Sic ergo legendum apud Arrianum. At ipsam hanc, omnesque reliquas de Baccho fabulas ab Oriente in Græciam pervenisse, ipsis quoque nominum argumentis erudite probat Heinsius a pr. Aristarchi Sacri. Ubi ait, ex femore Jovis editum nihil aliud significare, quam a deo satum: Hebræo loquendi more. Fabulam autem illam suo more suaviter ridet Lucianus in Dialogis Deorum dial. 9. Ceterum eumdem montem etiam communi cum urbe vocabulo 'Nysam' vocaverunt Sidonius Epist. II. 9. et quos ibi citat Savaro: quibus adde Plinium VIII. 39. et Philostrat. II. 4. *Freinsh.*

Femine] In erratis ad calcem, hoc loco in textum admitti voluit Freinshemius *semine*, sed id monuisse sufficiens visum. *Snak.*

Jovis femore liberum patrem esse celatum] Quomodo factum sit, Jovem exstincta Semele Bacchum posuisse in femore, refert hic Curtius. Nam ferunt Jovem, cum in lucem editus esset Liber pater, insuisse eum femori, inde vero portatum Nysam, atque ibi educatum. Plinius VI. 21. 'Nec non et Nysam urbem plerique Indiæ adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum; unde origo fabulæ, Jovis femine editum.' Et Martianus Capella lib. VI. 'In eo tractu etiam Nysam urbem esse Libero patri sacram, montemque Merum Jovi; unde fabula est, eum Jovis femine procreatum.' Huc Ovidius Met. III. respexit, 'Patrioque tener Insuitur femori.' Vide Phornutum de Deorum Natura in Baccho. *Popma.*

§ 13 *Adscendit*] Idem Arrianus V. 1. 10. tradidit, et Justinus XII. 7. 6. Sed diserte negat Philostratus II. 4. 'Alex. Macedonem affirmant orgia in monte Nysa celebrasse: verumtamen qui Nysam incolunt, asserunt Alexandrum nequaquam montem ascendisse, quamquam id vehementer cuperet, quod esset tum honoris cupidus, tum etiam vetustatis amator: timuisse autem, ne vitibus conspectis Macedones (qui eas longo jam tempore non viderant) domesticarum rerum desiderio caperentur, neve cupiditas vini eos invaderet, jam diu bibendæ aquæ assuefactos. His de caussis Nysam prætergressus, in radicibus montis vota sacraque peregit,' &c. Addit deinde, se non ignarum eorum, quæ de Alexandro proderentur, scriptorum auctoritatem veritati posthabuisse. *Freinsh.*

Hedera] Quæ 'nusquam alibi apud Indos nascitur.' Arrian. lib. V. c. 1. 5. qui pro argumento id habet Nysæ a Baccho conditæ, cujus insigne est hedera, ut pueris notum. Rationem ejus rei forte expiscemur ex Plutarchi Alex. cap. 66. 'Harpalo, qui regionis Babylonicæ relictus præfectus fuit, studenti Græcis plantis regiam et ambulationes excolere, cetera responderunt, unam respuit tellus hederam, quam semper corrumpit impatientem ejus temperiei, quod hæc frigidis gaudeat, illa ferveat.' Utrique auctori tradita complectuntur ista Plinii XVI. 34. 1. 'Edera jam dicitur in Asia nasci: negaverat

Digitized by Google

Theophrastus: nec in India, nisi in monte Mero. Quin et Harpalum omni cura laborasse, ut sereret eam in Mediis, frustra. Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris.' *Freinsh.*

§ 14 *Salubresque luci*] Mutarat vulgo illud *luci* in *succi*, sed indices ejus rei membranæ succurrerunt. *Modius.*

Seminum] Leg. *germinum*. Heinsius.

Lauri baccæque] Non est mihi dubium, quin hoc, *baccæque*, sit vitiosum, quomodo enim silva baccæ possit dici? latet arboris vocabulum sub eo, quod quale sit, nunc non excogito. *Scheff.* *Baccæque*] Atqui *bacca* etiam *lauri* est, et 'myrti,' et 'olivæ,' et 'mori,' et 'cerasi,' Plin. XV. 24. Puto *Bacchariisque* hic legendum. Virgil. in Bucolicis Ecl. IV. 19. et VII. 27. Plin. XXI. 6. 'Bacca radicis odoratæ est, a quibusdam nardum rusticum appellatum. Unguenta ex ea radice fieri solita apud antiquos.' *Heinsius.*

§ 15 *Redimiti fronde*] Plinius XVI. 34. 'Alexandrum ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris.' *Cellar.*

§ 16 *Ut fere fit*] 'Non enim ibi consistunt exempla, unde ceperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt,' Vell. II. 3. 5. 'Insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare.' Tacit. H. I. 55. 1. ubi forte Deo bene juvante plura. *Freinshemius.*

Se repente] Ms. Dan. *in homines serpente*. Pal. 1. *in hom. serpen.* relicto interstitio ad illa usque, *Quippe, &c.* Unde conjicio scripsisse Curtium: *resonabant, orta licentia a paucis* (*ut fere fit*) *in omnes serpente. Quippe, &c.* Freinsh. Quid, si legas, *in omnes serpens se vulgasset?* sic enim ductus literarum servatur, et cur vox *vulgasset* omittatur, causa nulla est, cum eâ sit Nostro familiarissima. *Snak.*

§ 17 *Et vox fortuitam licentiam*] *At vox fortuitam lætitiam* membranæ, quod minus placet. *Modius.* *Fortuitam licentiam*] Mox antecessit *orta licentia*; quæ vox nunc repetita minus huc convenit, respectu Alexandri, quam superior lascivia, et quum alii codd. deflectant in *lætitiam*, vel *latitiam*, hinc subvenit an non scripserit Curtius *lasciviam*, quæ vox mediæ et dubiæ significationis huc conveniret, de qua vide J. Fr. Gronov. Obser. III. 4. et sic lascivia moderationi opponitur apud Nostrum VI. 6. 1. 'Continentiam et moderationem in superbiam lasciviamque vertit.' *Snak.*

Operatum] *Operandi* verbum ad sacra, ut exemplis comprobavit literarum eximium sidus J. Lipsius ad Tacit. Ann. II. 14. *Snak.*

§ 18 *Sæpius fortunæ, quam virtutis esse beneficium*] Recte omnia; nec celabo tamen, quid in mentem venerit primum hæc legenti. Suo sit Curtius arbitrio locutus: ego ita maluissem: *gloriam sæpius fortunæ beneficium quam virtutis esse meritum.* Acidal. *Fortunæ quam virtutis*] Sunt enim quidam hoc astro, ut iis 'ad amplitudinem, et gloriam, et ad res magnas bene gerendas, divinitus adjuncta Fortuna videatur,' Cicero pro L. Manil. cap. 16. Homines ad Pompeianum illud elogium, 'majore fortuna quam sapientia.' Sallust. de Rep. Orat. I. 8. Quibus 'dormientibus Dii omnia conficiunt.' Terent. Adelph. IV. 5. 59. 'Reti urbes capiunt.' Plutarch. Syll. cap. 9. 'Et in sinum iis de cœlo Victoria devolat.' Liv. VII. 12. 17. Quos poëta quoque depinxit Theognis vs. 161. 'Multis mens læva est, sed eisdem numina dextra; Queis male quod cœptum est vertit et in melius.' Hæc Lipsius Polit. IV. 9. Eleganter etiam Plinius VII. 28. 4. post enumerata plura insignis fortitudinis exempla, 'Sunt in his quidem virtutis opera

Digitized by Google

magna, sed majora fortunæ.' Apud Tacit. H. III. 59. 3. 'Fortuna Flavianis ducibus non minus sæpe quam ratio adfuit.' Contra, 'Inguiomerum fortuna magis quam virtus deseruit.' Idem Tacit. II. 21. 3. Pausanias in Atticis exemplo Spartanorum 'declarasse Deum,' ait, 'nihil interesse spectata quemquam virtute esse, ejus consiliis fortuna si non respondeat:' sive, ut Sylburgius vertit, 'eos qui a Græcis viri fortes appellantur, sine fortuna nihil esse.' Adde supra ad III. 8. 29. Pulchre itaque Florus in Præfat. de Pop. Romano: 'Ut ad constituendum ejus imperium contendisse Virtus et Fortuna videantur.' Ubi plura notavimus. *Freinsh.*

Hostis] Quia non hostis amplius, sed in gratiam deditione acceptus. *Raderus.* *Hostis*] Non 'quia in gratiam deditione acceptus,' ut explanant; sed quia ob gloriam exercitus Macedonici nihil, etiam contra securos et imparatos, audebat moliri. *Freinsh.*

Ululantiumque fremitu] Editiones, *ejulantiumque*, illud rei, qua de agimus, convenit magis. *Modius.*

Ab Oceano revertentes] Hunc bacchantis et triumphantis exercitus ab Oceano reditum graphice describit infra Curt. IX. cap. ult. *Raderus.*

Commessantesque protexit] Secutus sum membranas: in editis libris erat, *temulentos commessantesque inter ora hostium texit*, de qua re videant alii. *Modius.* Suas membranas se secutum ait Modius, nostri tamen omnes vulgatam vindicant, et loquendi modus sane Latinis auribus non adeo alienus, ut ideo e textu sint expellenda hæc verba, tanquam quorum vix ullus sit sensus idoneus. *Inter ora hostium* significat, per medios hostes, in conspectu hostium, et coram ipsis. Sic plane Virgil. Æn. II. 681. 'Namque manus inter mœstorumque ora parentum.' Sic apud Phædr. v. 7. 10. 'inter manus sublatas;' nam et illud 'inter manus' etiam multis parum intellectum fuisse patebit ex Servio ad illum locum, tum ex doctis ad Phædr. et apud Florum III. 21. 26. ex Notis accuratissimi et eruditissimi Dukeri. *Snak.*

§ 19 *Dædala*] Dædala Dædalorum, ut Glareanus arbitratur, numero multitudinis, gens et regio nostro Curtio Indica. Justinus XII. 7. 9. 'Dædalos montes' appellat: Ptolemæus VII. 1. Dædala facit civitatem Caspiræorum intra Gangem. Stephanus multas hujus nominis civitates enumerat. Hìc ergo civitas aut regio est Indiæ cis Indum Curtio: Ptolemæus paullo latius regionem intra Gangem accipit, cui præter Arriani Ind. I. 4. sententiam etiam populos cis Indum adjungit. *Raderus.* Ptolemæo, qui trans Indum locavit, et Stephano, urbs est; Nostro, regio: potest commune nomen fuisse et urbi et regioni. *Cellar.*

Acadeira transit æque] Editiones, *Acadera*, quorum Glareanus neutrum probat, sed legit nescio qua confidentia, *ergo desolata transit atque usta, &c.* quod homini alias muliebriter timido, unde in mentem venerit, nisi forte Musarum ira eo dementiæ processit, excogitare plane non possum. *Modius.* Modius, *Acadira*; editi omnes priores, *Acadera*, etiam Ms. Constant. Sed æque obscura sunt *Acadira* et *Acadera*, nulli scriptorum præter Curtium laudata. Sed quæstio est, sit ne κύριον, an ἐπίθετον; proprium esse non dubitamus; præcedunt enim et sequuntur alia æque propria, et ostendit vox *æque*, ac si diceret, Acadera æque ac Dædala deserta et vasta transiit. Sita sunt Acadera inter Mazages et Dædala regiones adhuc cis Indum sitas. *Raderus.* *Acadera*] Quidam impr. *Adaca.* Viderentur *Andaca* Arriani IV. 4. 20. Quam tamen urbem hic non desertam a suis, sed deditam scribit. *Freinsh.* Alii, *Adacæ*, quæ forte sunt Arriani *Andraca* lib. IV. *Cellar.*

Digitized by Google

Usta] Non credo huic verbo: non enim incendisse apparet, saltem reliquisse. Scribam ergo, *vasta*; quòd et tu scribe, si quid mihi credis. *Acidalius.* Vulgo, *usta*, Acidalius *vasta* substituit, quem Raderus et Tellierius secuti sunt. *Cellarius.* Recte illud, *usta*, putant vitiosum, quod autem pro eo *vasta* substituunt, nescio, an perinde recte faciant. Sensum sane, quem habere debeat accommodatum ceteris hujus loci, non intelligo. Mihi potius videretur, si legeretur *æque vacua.* Scheffer. Recte legit Acidalius *vasta*. Heinsius. Plurimi codices habent *atque*, unde minore mutatione fieret *eaque usta et destituta.* Sed sic 'desertam vastamque regionem' iterum conjungit Noster IX. 10. 8. *Snak.*

§ 20 *Oppressique et qui*] Flagitium magnum fecerunt, qui vocem *urbe* ejecerunt, sed majus, qui primi corruperunt; nisi tamen illi majus ea caussa, quod corruptum legi præstabat, ut posset aliquando corrigi, quam deleri, ut tolleretur et facultas et spes emendationis. Lego, *Oppressique orbe, qui non exspectaverant hostem, omni clade perdomiti sunt.* Sed quid hoc (malum!) est *orbe?* valet, in circulum, undequaque, ab omnibus partibus. Ita loquitur Noster etiam lib. IV. 'Ultimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret:' perspicuus utrobique sensus hic est: eos qui ex urbibus sedibusque suis profugerant, copiis divisis, undique circuitos et inclusos. *Acidalius. Et qui*] Bongarsii codd. *urbi non*, unde ille, *oppressique ubi non exspectaverunt hostem, &c.* valde probabiliter. At ed. Modii, *et qui non*, ejecta voce *urbe*, quæ aliis hæret. Ex quo Acidalius, *oppressique orbe, qui non exspect. hostem.* Id est, in circulum, undequaque, ab omnibus partibus, ut supra IV. 13. 31. 'totam aciem orbe munire.' Cui simile esset illud Juliani Orat. I. 'Cum delectam ex omni exercitu armatorum manum misisses, posteaquam ad hostem eam pervenisse sensisti, tum cum omnibus copiis progressus es, iisque in orbem circumdatis, κύκλῳ περισχὼν, de omnibus victoriam reportasti.' *Freinsh.* Bongarsius pro *et qui*, habet *urbi non*; unde suspicatus est, *ubi non.* Sed sic in sequentibus *omnique* legendum esset, ut omnia inter se cohærerent: habent tamen illud *urbi* etiam alii libri, ut subesse aliquid necesse sit. Legerem sic totum locum, posito post *ostendit* puncto: *Oppressi ubique, et qui exspectaverant hostem, omni clade perdomiti sunt.* Sententia apertissima. *Scheff.*

Omni clade] Forte, *communi clade.* Heinsius.

§ 22 *Choaspe*] 'Choën' vocare videtur Arrianus IV. 4. 16. Eumdem esse cum Persico Choaspe nemo mihi facile persuaserit: eaque opinio a Cordova in Didascalia cap. 31. abunde refutatur. Nec procul adeo absum, ut credam in Curtio et Strabone lib. XV. *Choën* pro *Choaspe* legendum, verumque nomen audacia correctorum in notius transisse; quod sexcentis aliis accidit. Strabo Choaspen hunc Indicum in Cophem exire tradit: Choën etiam suum Arrianus haud procul a Cophe disjungit. *Freinsh.* Non eodem qui Persidem rigat, ut Periegeta vs. 1073. ejusque Scholiastes Eustathius erraverunt, sed Indiæ proprius fluvius, qui indice Salmasio in Solin. p. 845. et Freinshemio est ipse *Choës* Arriani. Straboni lib. XV. Choaspes in Cophen (hic vero in Indum) insinuatur. *Cellar.*

Mazagas] Arrian. IV. 5. 2. et Ind. I. 3. 'Massaga' vocat: 'Massaca' Siculus Ind. lib. XVII. *Μάσσγα* Strabo lib. XV. maximam Assacenorum, seu Assacanorum, seu Massacanorum urbem. *Raderus.* Animadverto autem plurima hujus regionis urbium vocabula, plurative in *a* terminari: Dædala, Acadera, Bezira, Massaga,

Digitized by Google

unde apparet non sponte Curtii *Beziram* et *Mazagas* hic legi. *Freinsh.* 'Massacæ' potius urbis nomen, ut Diodori elenchus capitum habet, et Arrianus in Indicis: aut 'Massaga,' ut idem lib. IV. scripsit, unde corruptum est Strabonis 'Masoga.' *Cellar.*

Nuper] Sic legendum: *Nuper Ass. c. r. f. demortuo; regioni urbique præerat mater, &c.* Sed non ausus sum mutare quidquam ante inspecta Bongars. codd. excerpta. Quæ cum, omissa particula *quoque*, quam *regioni urbique* parum prudenter interposuerant impressi, conjecturam meam viderem juvare, merito sic edendum putavi. Alibi quoque monui multo plurimis locis ejusmodi particulas Curtio nihil tale cogitanti ingratiis esse obtrusas. *Freinsh.*

Cleophes] Arrianus non parum discrepans, regem *Assacenum* appellat, et ejusdem vocabuli gentem inculcat. Ac tametsi et matrem, et uxorem, et filiam in Alexandri potestatem venisse dicat, tamen nomina omnium supprimit. Nobis e Justino 'uxorem Cleophidem' esse placet. Quæ cum concubitu suo regnum ab Alexandro redemisset, filium ex eo natum itidem Alexandrum nuncupavit, postque successorem reliquit. Legendi Strabo lib. XV. Arrianus IV. 5. Curtius, Justin. XII. 7. 11. Orosius III. 19. Qui ut præterea inter se discordent, inde qui volet, cum repetat, tum concilet. *Reineccius in Regno Indico.*

§ 23 *Utrimque ripis*] *Utrimque rupibus* omnes editiones: pessime. Porro mox pro *admolita*, erat in membranis, *obmolita*. Modius. *Ripis*] Ex Mss. est: alii, *rupibus*, inepte. Mox II. 7. de Indo, 'prælatus asperis utrimque ripis.' *Freinsh.*

§ 24 *Urbem*] Conjeceram *urbis* (et sic habet cod. Fl. Heinsii) legendum, ut exiret ea fere phrasis, qua supra v. 1. 20. 'Totius operis ambitus CCCLVIII. stadia complectitur.' Postea cognovi Bongarsio quoque idem visum. Nisi forte scriptum fuit *XXXV. stad. murus*, quod legerunt, *Triginta quinque stadia murus*; cum debuissent, *Trig. quinque stadiorum murus.* Sane ex notis ejusmodi non una scriptoribus illata est injuria. Apud Livium XXIII. 5. 11. cum damno pulchri sensus legitur, 'Prolapsum clade Romanum imperium;' quia nempe scriptum fuit 'clade Rom.' debuissent legere, 'Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romana imperium, vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, (quid enim vetat eadem opera sequens mendum tollere?) quatuor equitum arbitror ex Campania vos scripsisse:' alii omittunt 'vos:' legerim, 'ex Camp. scribi posse.' Nec moveor viri docti ratiunculis hanc emendationem temere suggillantis. *Freinsh.*

§ 26 *Ne tamen universa consideret*] Hæc sic antea distinguebantur: *ut duriori materiæ fragilis incumberet, simulque terra humore diluta. Ne tamen universa consideret interpositæ erant trabes, &c.* Non placet: sed nec nostra quoque probo, etsi probabilem sententiam habent. Quid enim est illud *interposuere*, et statim post *interpositæ?* omnino amplius quærendum videtur. *Modius. Simulque terra*] Clarius, et fortasse verius ita: *simulque ne terra humore diluta tandem universa consideret, impositæ trabes, &c.* Freinsh. *Simulque terra humore diluta*] Scilicet vinculum lateri. Duplex enim recensetur, primum lapides, alterum terra diluta humore, quomodo hodieque luto ita macerato utuntur inter lateres. Nec hic quidquam mutandum. Nam quod sequitur, *ne tamen universa consideret*, non de 'terra,' sed 'materia' debet accipi. *Scheff.*

Tegebant] An *tenebant?* namque hæ trabes magis ad sustinendos mu-

Digitized by Google

ros *ne considerent*, quam, ut eos aut velarent, aut defenderent, adplicitæ fuisse videntur. Virg. Georg. I. 233. 'Quinque tenent cœlum zonæ.' Et Æn. I. 172. 'Fessas non vincula naves Ulla tenent.' An *tegebant*? ut instar tectorum muris essent superstructæ, quale illud Virgil. Æn. II. 453. 'pervius uxus Tectorum inter se.' *Snak.*

Et pervios fecerant] Cur autem pervios? repugnat hoc naturæ munitionis, quæ fit ideo, ut via in oppidum sit nulla, nisi ubi oppidani volunt; itaque mallem, *et impervios fecerant*. Nempe per muros eniitentibus obstabant lata tabulata, projecta ultra murum, ut comprehendi non possent, neque superari. *Scheff.*

§ 27 *Percussit. Cum forte*] Vulgo, *Tum forte*; utrumque illorum ineptum, et debet expungi, tam hoc quam illud: scribe, *percussit. Forte in suram incidit, &c.* Acidalius. *Tum forte*] Alii, *Cum* f. Utrumque ineptum delendumque bene judicavit Acidalius. *Freinsh.*

§ 29 *Frigescens vulnus*] Dum enim calet abest dolor, ut supra IV. 15. 17. Statius XI. 544. 'Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo Territus.' *Freinsh.*

Se quidem Jovis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire] Festive jocatur ipsus in vanitatem suam; et festivius apud Plutarchum, simile quid narrantem ejus Vita: *Ἕτερον δὲ πληγῇ περιπεσὼν ὑπὸ τοξεύματος, καὶ περιαλγὴς γενόμενος, τοῦτο μὲν εἶπεν, Ὦ φίλοι, τὸ ῥέον, αἷμα, καὶ οὐκ ἰχὼρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.* Pulchre alludens Homerum, cujus studiosissimus perhibetur. Ibidem, si vacat, et ridere libet, amœnam ac jucundam fabellam lege, nisi vera potius res est, de origine divinitatis Alexandri, qui comiter filiolus, sed ambigue quasi Jovis filius a vate græcissante per errorem sit primitus appellatus; unde ipso mox volente opinio increbuerit, vere a Jove agnitum et salutatum. Sed non tempero mihi, quin adscribam; nec enim longum est, et juvat emblemate tam venusto reficere me pariter ac lectorem, ab horridiusculis hisce correctionum spinis fatigatos. *Ἔνιοι δέ φασιν, τὸν μὲν προφήτην Ἑλληνιστὶ βουλόμενον προσαιτεῖν μετά τινος φιλοφροσύνης, ὦ παιδίον, ἐν τῷ τελευταίῳ τῶν φθόγγων, ὑπὸ βαρβαρισμοῦ, πρὸς τὸ σίγμα ἐξενεχθῆναι, καὶ εἰπεῖν, ὦ παιδίος, ἀντὶ τοῦ ν τῷ σ χρησάμενον· ἀσμένῳ δὲ τῷ Ἀλεξάνδρῳ τὸ σφάλμα τῆς φωνῆς γενέσθαι, καὶ διαδοθῆναι λόγον, ὡς παῖδα Διὸς αὐτὸν τοῦ θεοῦ προσειπόντος.* Faveamus Alexandro, et e joculari hac ἀποθεώσει seriam gratulemur. *Acidalius.* Anaxarchus, ut Diogenes Laërtius in ejus Vita refert, Alexandrum deum se esse arbitrantem fragilitatis humanæ admonuit, cumque ex ictu quodam sanguinem illi fluere vidisset, digito ostendens ita ille ait: *Τοῦτὶ μὲν αἷμα, καὶ οὐκ ἰχὼρ, Οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι. Hoc quidem sanguis est, non autem Ille cruor Divis qualis solet esse beatis.* Plutarchus refert Alexandrum ipsum amicis hoc dixisse. *Popma. Corporis ægri vitia*] Plutarchus cap. 50. 'Postea sagitta ictus, atque ingenti pressus dolore; Hic, inquit, amici, qui fluit, sanguis est (humanus). Non talis Diis ut solitus manare beatis.' Versus hic Homericus est Iliad. E. 340. ubi Poëta Venerem canit a Diomede vulneratam. Idem Plut. de Fort. Alex. II. 21. adducit eumdem Homeri locum, ubi de eodem vulnere loquitur. *Raderus.* Idem in Apophtheg. cap. 39. Alexandro dictum hoc tribuit. Sed et Seneca Epist. LIX. 19. 'Omnes jurant me Jovis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.' Scilicet Seneca et Curtius rem expresserunt, verbis neglectis. Versum autem istum Homericum non ab ipso Alexandro, sed ab Anaxarcho velut exprobrante ementitam divinitatem prola-

Digitized by Google

tum Laërtius tradit. Alii Callistheni, vel Dioxippo adscribunt. Quos cum aliis huc pertinentibus citavimus supra IV. 7. 25. ad verba, 'humanæ sortis oblitus.' *Freinsh.*

§ 30 *Tecta moliebantur*] *Demoliebantur*, vulgo: sed illud Curtio familiarius est. *Modius.*

Cumulis] Hoc non intelligo, nisi quis exponat pro cumulatim; quod quidem feram: malim autem hic reperisse, *arborum stipites cum ramis*; ut e simili negotio ad Tyrum supra IV. 3. 9. at mox VIII. 11. 8. 'nudos stipites jaci jussit,' ob caussam quæ ibi exponitur. *Freinsh.* *Stipites cumulis ac moles*] Forte, *stipites ac cum his moles*; vel leg. *stipites accumulata mole.* Heinsius.

§ 32 *Nulla ope quæ cerneretur*] Turres agebantur rotis, sed latentibus et internis, aut certe interius movendis: hoc ideo, ne telis hostium, qui agerent, exponerentur. Quamquam etiam a tergo adesse licuit, qui propellerent. Lips. Poliorc. II. 4. *Cellar.*

Adjutas deorum] Iterum vulgo *adductas*; sed in antiquis libris erat *auditas*, unde transpositis literis hoc feci, quod excusum est. *Modius.* *Deorum numine agi*] Sic Galli apud Cæs. de Bel. Gall. II. 31. dicebant: 'Non se existimare Romanos sine Deorum ope bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tanta celeritate promovere, et ex propinquitate pugnare possent.' *Freinsh.*

Pila muralia] Horum meminit etiam Cæsar B. G. V. 39. et VII. 82. iisque usos ait Romanos ex vallo et turribus in obsidione. Majora fuerunt, quam legionaria, et vel manu emissa, vel catapultis, quæ inde ὀξυβελεῖς videntur appellari Joseph. de B. J. VI. 11. καταπέλται ὀξυβελοὶ Appiano in Hisp. et Libyc. adde Lips. Poliorc. III. 5. *Cellar.*

§ 34 *Qua impetrata*] Diodorus XVII. 84. qui ex alta lacuna hic rursum emersus persequitur historiam, rem hic perfide gestam ab Alexandro memorat; et inustam gloriæ ipsius notam etiam Plutarchus cap. 103. testatur: Arrianus IV. 5. 10. colorem factis inducit, et scelus Alexandri dissimulat. Alexander ergo cum regina pactus, illam in gratiam recepit; sed mercenariis militibus, quibus data fide promiserat, se incolumes dimissurum, necem attulit. *Raderus.*

Pateris vina libantium] Ritus sacrorum, quo sperabant veniam se facilius impetraturos, ut de 'velamentis supplicum' diximus supra VII. 5. 35. *Cellar.*

§ 35 *Regina est*] Sic quidem distinxi, volente lectione, quam omnes libri præferunt: sed si Curtium novi, scripsit is, omissa copula, *impetravit decus: quippe app. est regina. Credidere quidam, &c.* Freinsh.

Credidere amplius formæ] Adhuc vulgo, *Credidere quidam plus formæ, quam miserationi datum.* Verum ego membranas sequor. *Modius.* Consentiunt Codices in voce *amplius*; et cur admitti non possit nescio, cum idem significet quod 'plus,' apud probatos auctores. Flor. I. 14. 1. 'Atque jam amplius quam congredi auderent.' Idem I. 18. 8. 'Quum incognitas sibi belluas amplius quam erant, suspicarentur.' Noster III. 11. 17. 'Haud amplius regem quam mille equites sequebantur.' VI. 1. 16. 'Ex Macedonibus haud amplius CCC.' Plaut. Cistell. V. 5. 'Tibi mea opera liberorum est amplius.' *Snak.*

§ 36 *Alexandro*] Quem et successorem habuit, Justin. XII. 7. 10. Unde forsan nata fabula de Balascia provincia, cujus 'Reges, qui jure hereditario sibi invicem succedunt, ab Alex. Magno originem duxisse feruntur.' M. Paul. Venetus I. 34. *Freinsh.*

CAP. XI. § 1 *Oram*] *Ora* cum Arriano IV. 5. 11. et Ptolemæo VI. 8. non *Nora* scribendum est. *Raderus.* Ex Ortelio, ut apparet; sed et Aldus

Digitized by Google

hoc loco sic edidit. Alios oportet esse *Oritas* apud eumdem Arrian. VI. 4. 7. Gadrosis conterminos: de quibus in Indice. *Freinsh.*

Inconditos] Leg. *incondito*, id est, tumultuario. *Heinsius.* Si ita voluisset Curtius, aut si codices nos ita scribere juberent, *incondito oppidanos prælio* loco non moveremus: sed cum apud Nostrum, Livium, et optimos scriptores 'incondita turba,' 'multitudo,' 'natio,' 'populus,' 'agmen,' 'exercitus' sæpius inveniantur quam 'pugna' aut 'prælium,' quod raro occurrit, etiam *inconditos* incolas hic relinquamus. Nam sunt 'sparsi et inconditi sine ordine, sine signis' ut sit Liv. XXIX. 34. quod explicat idem Liv. XXIII. 27. 'sine imperio, sine signo incompositi inordinatique.' Florus I. 17. 5. 'Nam subito inconditos atque palantes aggressus est.' Pariter ut de 'tumultuaria turba;' nam 'tumultuarium exercitum' habet Liv. ut sæpe, sic XXIX. 28. et 'tumultuarium prælium' ibid. cap. 36. ut etiam XXV. 34. sed tamen prius etiam posteriore est frequentius. *Snak.*

In ditionem] Pro his quoque legebatur in excusis, *in deditionem*. Modius.

§ 2 *Aornon*] Græci ἄορνις, sive ἄορνος· nam utroque modo scribitur, uti ad Periegetem Eustathius docet. Ὄρνις Græcis est *avis*, ex qua voce fit ἄορνις sive ἄορνος, locus *carens avibus*, a particula α privativa, quam illi στερητικὴν appellant. Latini locum illum 'Avernum' etiam ab avibus (immo corrupta voce Græca) dicunt. Petra ergo ἄορνος est averna, qua non transmittunt aves, aut illico pereunt. Ejusmodi plures variis in regionibus traduntur. Lycophron apud Eustathium circa Adiabenem hujusmodi pestilentem locum esse testatur, os nempe fontis cujusdam avernum et aornum, avibus invium, quod inde pestifer spiritus exhalet, qui statim exanimet quidquid spirans deprehenderit. 'Quapropter,' inquit Dionysius vs. 1151. 'illum Aornin appellant:' loquitur de hac ipsa Curtiana petra. (Non propterea eam sic vocatam ait Dionysius; sed quod sit 'ardua, Veloces quam vix ingrediuntur aves.') De hujusmodi locis avernis eleganter Lucretius canit VI. 788. et Virg. VI. 237. *Raderus.* De hac petra Curtiana vide Strabon. lib. XV. Philostrat. II. 5. Plutarch. cap. 102. et de Fort. Alex. I. 2. Diodor. XVII. 85. Lucianum Hermotimo sub initium. Justinus XII. 7. 12. transmisso nomine describit 'saxum miræ asperitatis et altitudinis.' Julianus Orat. II. 'Rupem ad quam vel levissimæ volucres evolare difficile possent;' clare signat Aornin petram: ideoque non erat Commentatori confundenda cum Sogdiana, de qua Curtius supra VII. 11. De hac obsidione Charetis fragmentum legitur apud Athenæum III. 35. qui urbem Indorum 'Petram' appellat. Apud Curtium prius legebatur *petram Dorinim* pro *Aornim*, ex similitudine literarum orta depravatione; quod Sabellico quoque fraudi fuit, qui sic in Enneades suas transtulit. Nihil huc puto pertinere 'fluvium Aornum' apud Athenæum VIII. 1. Magis 'Aornum Thesprotiæ' in Pausaniæ Bœoticis talem fuisse locum putem. Nam et Plinius Præfat. lib. IV. de eo testatur; ubi fortasse 'lacus Aornos, et pestifera avibus exhalatio' legendum; non, ut ibi editur, *locus*. Hanc autem Indicam petram nescio cur 'culmina rupis Ornithiæ' visum fuerit appellare Faleto lib. I. de Bello Sicambrico. *Freinsh.* Ἄορνον Diodor. XVII. 85. et Arrian. IV. Dionysio vs. 1150. ἄορνον, quasi *sine avibus* propter altitudinem. *Cellar.*

Ab Hercule] Non fuit ab Hercule obsessa, sed quod, quidquid ubique magnificum, in claritatem ejus referri solitum. Hinc et magnarum virium viri Hercules dicti, vel putati a vete-

Digitized by Google

ribus, ut et Samson teste Augustino de Civ. Dei XVIII. 19. *Loccenius.* Cum Arrianus IV. 5. 15. et 29. idem quod alii de Hercule frustra Aornon tentante scripsisset, aliud tamen in Indicis I. 20. prodidit, ubi affirmat tantum Macedonicam fuisse jactantiam. Strabo lib. XV. ter ab Hercule frustra tentatam scripsit. *Raderus.*

Terræ motu] Quasi divinitus immisso: sic apud Xenoph. Hist. Græc. lib. III. Nec valde abit, quod Hannibale cum Romanis ad urbem pugnaturo, tempestas intercessit prœlio. Vide Livium XXVI. 11. 1. *Freinsh.*

§ 3 *Operi*] Ita plerique libri: Tellerius *operæ.* Cell. *Operi*] 'Operæ pretium' quidem frequentius apud Scriptores, et sic 'opera' etiam Nepoti Alcibiad. cap. 6. 'Adversas superiores, et præsentes secundas res, accidisse ejus opera;' sed in exsuperanda rupe, quam 'frustra ab Hercule obsessam fama prædicaverat,' 'hoc opus, hic labor est;' et ita 'opus' de rebus gestis, et præcipue bellicis ac militaribus probatissimis usitatum est. Vide Cl. Dukerum ad Flori Proœmium. *Snak.*

§ 4 *Octoginta*] Glareano nimium hoc videbatur, eoque reponebat octo: nam 80. talenta 48000. Philippæos efficiunt: nimium sane, nisi Alexander fuisset, qui promiserat. Equidem Diodorus etiam XVII. 85. 'ingens operæ pretium' promissum ait. Certe notum est, quam et dives et liberalis fuerit Alexander: ne sui dissimilem fuisse putemus in negotio, unde tanta gloria sperabatur. *Freinsh.*

§ 5 *Scriba*] De scribarum apud Macedonas dignitate Corn. Nep. in Eumene. *Cellar.*

Qui fallerent] Potius *quo fallerent;* aut *qui falleret.* Freinsh. Non est locus hic ita sanus, ut de eo nil debuerit moneri. Ecquid enim, *qui fallerent?* non hi, sed leviter armati eo missi, missi autem via non recta, sed circuitu. Additur causa, nempe ut fallerent hostem, nec ab eo sentirentur. Scribo igitur *quo fallerent*, vel *qui falleret hostem*, quod et Freinshemio placuisse nunc demum intelligo. *Scheff.* Forte *quo.* Heinsius. Etiam Tellerius, *quo fallerent. Qui* significat hoc loco 'ut,' clarius iterum hoc cap. n. 22. 'Rex Balacro, qui specularetur, præmisso.' *Snak.*

§ 6 *Petra... in metæ maximæ, &c.*] Eleganter nobis metam describit, sed non maximam, quod hæc lectio falso suadet. Scribe *maxime* adverbiali forma: vult enim Petram hanc metæ fuisse consimilem, sive ejus potissimum speciem præbuisse. Non semel ad hoc exemplum in Curtio peccatum. Nam lib. III. 'Armati bipennibus levibusque scutis, maximæ cetræ speciem reddentibus,' item *maxime* scribendum; quomodo et hic et illic vetustiores expressæ habent: atque etiam lib. VII. 'Ad ultimum in carinæ maxime modum erat.' *Acidalius. In metæ modum*] Meta erat moles rotunda in acutum desinens, quæ Circensis curriculi medium metiebatur. Sic Columella II. 19. fœnum siccatum 'in metas exstrui, easque in angustissimos vertices exacui' jubet, ut a pluviis defendantur. *Cellar.*

§ 7 *Indus amnis*] Idem Diodorus XVII. 85. Idem quoque Strabo lib. XV. 'cujus radices Indus non procul a fontibus his alluit.' Nec verum est, quod Glareanus ait, a Siculo tradi hæc in Bactris acta, diserte enim in India Aornum sitam, et post Nysam expugnatam; legisset Glareanus capita Indicis lib. XVII. animadvertisset et quæ desiderantur, et illud sigillatim, ἐμβολὴ εἰς τὴν Ἰνδικήν, et quæ sequuntur de Nysa et Massacis, de Aorno et Taxili. Nec fuit quod negligentiæ notaret et rideret auctores, et inter hos Curtium hoc loco, qui dixerit Aorni 'radices ab Indo allui,' deinde VIII. 12. 4. 'sextisdecimis'

Digitized by Google

demum 'castris' Alexandrum expugnata petra ad Indum pervenisse. Curtius enim signavit locum Indi, quo trajecit illum jam grandem et altum et latum: petra autem Aornos non procul a fontibus Indi sita erat, ut docet Strabo. Recessit enim Alexander rursus ab Indo profectus ad Enbolima, et angustias cis Indum adhuc ab Eryce cum 20000. obsessas, quem hostem nolnit a tergo relinquere Alexander, ne cis Indum occupata et pacata Eryx turbaret et reciperet. Atque inde demum sextisdecimis castris, sive XVI. die ad Indum, ubi illum Hephæstion ponte jam facto exspectabat, Alexander pervenit. *Raderus.*

Præaltis utrimque] Non existimo ullum in hac re peccatum a me esse admissum, cum pro vulgatis *præaltus utrimque asperis ripis*, reposui quæ excusa sunt, ratio enim ita postulabat. *Modius.*

Voragines cluviesque] Vide v. 4. 26. *Cellar.*

§ 8 *Nudi stipites*] Pretium est comparare locum ex XXXIII. lib. Livii, quem agnosco genuinum magni scriptoris istius partum: 'Vallo, et Macedones, et Græci usi sunt, sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptaverunt. Nam et majores et magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles possit, &c. Romanus leves et bifurcos plerosque et trium, aut complurium quatnor ramorum vallos cædit, ut et suspensis ab tergo armis ferat plures apte miles,' &c. In quibus verbis pro 'et trium, aut complurium,' lege, 'vel trium, aut cum plurimum.' Polybius XVII. 14. unde hæc desumpta, ut plurima apud Livium: Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις δύο κεφαλὰς ἢ τρεῖς ἔχουσιν οἱ χάρακες, ὅτε δὲ πλείστους, τέτταρας. Tales stipites hic ergo parari jussit Alexander, quos et Arrianus IV. 5. 25. χάρακας appellat: 'Sub lucem milites singulos centum palos (Romanis 'vallos') cædere jubet.' *Freinsh.*

Truncam arborem] Ut apud Virgil. Æn. III. 656. 'Trunca manum pinus regit.' *Cellar.*

Alacritatis index] Qualis apud Tacit. III. 46. 5. exercitus Romani. et Liv. III. 62. 6. 'Ingenti alacritate clamor est sublatus.' Ita Curtius alibi, ut reperies in locis parallelis ad textum notatis. De clamore in prœliis edito supra ad III. 10. 1. ubi citatis adde Amirati Dissert. Polit. 14. 5. *Freinsh.* Vid. IX. 2. 30. IX. 4. 23. *Snak.*

§ 10 *Nominis*] Idem Plutarchus cap. 102. Non autem congruit huic Alexandro, quod Glycas refert, Regem 'conspicatum aliquando quemdam adolescentem sibi cognominem, qui trepide pugnaret, dixisse: Vel indolem et animum hunc mutato; vel nomen.' *Freinsh.*

§ 12 *Alieno exitio*] Marcellin. XVII. 1. 'Aliorum exitio, quid fortunis suis immineret, anxie cogitantes.' Curtius supra VII. 11. 16. 'Mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum.' *Freinsh.*

§ 13 *Qui perculsi*] Imo *quis perculsi*, pro *quibus*, nimirum saxis. *Freinsh.*

§ 14 *Ipsi feriebantur*] Editiones, *sæpius ipsi feriebantur, quam vulnerabant;* sed posteriora illa σχολιαστικῶς adjecta ab aliquo esse, facile ex Sigebergensibus membranis patuit, quare placeret etiam ea ἀβελτέρων. *Modius.*

§ 20 *Tympana*] Id verisimile est ex Dionysio Baccho didicisse, qui apud eos regnavit, et usus est in bello tympanis et cymbalis, tuba nondum reperta, ut scribit Diodor. Sic. III. 10. (Adde Polyæn. I. 1. 1.) Strabo autem lib. XV. tradit, in India nullam esse tibiam, nec aliud instrumentum musicum, præter cymbala, tympana et crotala. Arrianus vero Ind. I. 19. 'Expeditionis,' inquit, 'Dionysii in Indiam, Nysa urbs Indiæ non obscurum monumentum est, tympana præ-

Digitized by Google

terea et cymbala, quibus in prœliis Nysæi utuntur.' Sed et postea tradit vs. 30. 'Indos utique usque ad Alexandri in ea loca adventum cum cymbalis tympanisque in pugnam ire solitos.' Tiraquellus ad Alex. Dies Genial. IV. 2. Suidas in 'Tympana:' 'Indi habebant tympana, quæ bombum quemdam horribilem emittebant,' &c. Vide Lipsii Mil. Rom. IV. 10. *Freinsh.*

§ 23 *Ab integris*] Vide quæ ad v. 4. 28. notavimus. *Cellar.*

§ 24 *Tamen magnis*] Scribe, *tamen magnis Victoriæ sacrificiis et cultu Deum fecit*, quo pacto esse in membranis Brugensibus jam primum a V. Cl. Car. Utenhovio Nieulandiæ domino ad me missis sciunt, qui eas mecum inspexerunt; vulgo legebatur, *Rex locorum magis quam hostium victor, tamen magnæ victoriæ sacrificiis et cultu deum satisfecit;* quam lectionem nemo sapiens vitiosa nuce sat scio redimat. *Modius. Tamen victoriæ sacrificiis et cultu fecit*] Edere sic Modius ausus est, in notis idem mavult tamen, *magnis Victoriæ sacrificiis*, quia vulgo *magnæ* legitur insertum. Neutrum ejus mihi probum: quid enim *facere sacrificiis?* illautum et illatinum. Nec Victoria hic Dea capienda, quæ cum Minerva demum nominatur. Ego tentabam aliquando, *Rex locorum magis, quam hostium victor, tamen magno victor:* sed non progrediebar, ut reliqua accommodarem. *Magno victor*, cui victoria magno constitisset, impensa nempe nobilissimorum juvenum Chari et Alexandri, militumque præterea fortissimorum. Sic Propert. lib. IV. ex Oraculo emendationis Lipsianæ, cujus interpres nobis princeps literatæ juventutis J. Douza F. 'Magno Tiresias aspexit Pallada vates, Fortia dum posita Gorgone membra lavat.' Enimvero quamcumque nunc rationem ineo, nihil mihi videtur potius, quam vulgatam retinere lectionem, usque dum melior ab aliis reperiatur. illa autem non pessima, sed tolerabilis, *tamen magnæ victoriæ sacrificiis et cultu Deum satisfecit;* i. e. etsi non omnino victor, ingentem tamen hanc victoriam honore sacrificiorum prosecutus est, et cultu Deorum velut repensavit. Lugdunensis editor hic iterum ludos facit, et solemniter insanit, cum e nova simul et veteri lectione, aliam concinnat neque novam neque veterem. Excudit, *tamen Victoriæ magnis sacrificiis et cultu Deum satisfecit.* Unde hellebori satis, quo caput hoc purgemus? Anticyra tota non sufficit: et naviget eo tamen, si possit aliquantulum curari. *Acidalius. Magnæ Victoriæ*] Palmerius in Spicileg. et Modius victoriam hic pro Dea habuerunt, sed recte vidit Acidalius non debere, cum statim sequatur de dea Victoria. Idem commentum eorumdem, qui pro *satisfecit*, legebant ex Mss. q. *fecit*, sacrificandi significatu; retundit eo, quod inepte diceretur, *facere sacrificiis et cultu Deorum.* Nec ipsius tamen conjecturam, suo quoque auctori non nimium certam visam, probo, *magno victor;* quasi diceret victoriam eam Alexandro magno constitisse, amissis juvenum acerrimis. Ego locum integrum esse, si cum Pal. 1. et quibusd. Edd. legamus, *magnæ victoriæ sacrificiis et cultu, Diis satisfecit.* Habuit Diis honores, sacraque fecit, quæ solebat in magnis victoriis, *cultum victoriæ* vocavit tum ceteram magnificentiam in ostentanda ea, tum aras, de quibus sequitur. *Freinsh.*

Aræ in petra] Ut etiam petra Sisimithris, aut juxta eam VIII. 2. 32. Minervam autem in primis coluit Alexander, ut patet ex. c. l. et III. 7. 3. III. 12. *Cellar.*

Victoriæque] Idem factum et supra VIII. 2. 32. Ejus deæ imaginem nummis quoque expressit, de quibus Lazius Rer. Græcarum lib. I. *Freinsh.*

Digitized by Google

§ 25 *Sisocosto*] Arriano IV. 5. 29. est 'Sisicoptus.' *Popma.* Sic apud Curtium quoque legendum conjiciat quis ex variis: at alio Arriani loco V. 3. 8. corrupte legitur 'Sisicus:' παρὰ Σισίκου τοῦ Ἀσσακηνῶν σατράπου· nisi legendum παρὰ Σισικόττου Ἀσσακ. σατρ. nam eumdem hominem intelligi neminem fugiet, qui utraque ea loca attentius contulerit. *Freinsh.*

CAP. XII. § 1 *Ecbolima*] Arrianus IV. 5. 19. ante Aorni obsidionem *Embolimæ* (sic ipse appellat urbem) venisse Alexandrum scripsit: urbis hujus nomen expressit etiam Ptolemæus. *Raderus.* Ptolemæus *Embolima.* Loccenius.

Eryce] Diodorus XVII. 86. 'Aphricen' appellat, et fortasse binominis fuit. *Raderus.*

§ 2 *Progressus cum funditore*] Adjuvi vulgatam lectionem addita voce *cum*, ne necesse haberem scriptos libros sequi, qui ne quando non peccent, referebant: *ipse prægressus funditores ac sagittarios perturbat: his qui obsederant, &c.* pessime. *Modius.* Non undiquaque pessime tamen, nam conspirant Mss. et editi in *funditores* et *sagittarios:* ipse Modius fatetur de suo adjectam præpositionem. Sic tamen etiam meminimus locutum esse Livium XXI. 35. 'prægressus signa Hannibal.' Et fere sic Suet. Tiberio cap. 7. 'Cujus corpus toto itinere prægrediens Romam usque pervenit.' *Snak.*

§ 3 *Victoris inituri*] Editiones, *victoris regis;* et legat ita, cui commodum erit, præsertim, cum jam lib. IV. dixerit auctor noster: 'Hoc quoque acceptum fore Jovi vates respondit, ut ipsi victorem regem divino honore colerent.' *Modius.*

Honorem denegavit exemplo] Illud *exemplo* non erat in membranis, sed debet adesse tamen. *Modius. Denegavit exemplo*] Forte, *denegavit patris exemplo;* vel, *denegavit. Extemplo hinc.* Heinsius.

§ 4 *Flumen Indum*] Strabo lib. XV. Πευκολαΐτιν vocat urbem, juxta quam Indum ponte transierit cum exercitu rex Alexander. *Cellar.*

Ad trajiciendum] Hæc ex Diodoro XVII. 86. Curtius. 'Hinc,' inquit, 'ad Indum progressus, naves, quas a triginta remorum usu triaconteros appellant, constructas, et fluvium ponte junctum invenit.' Idem paucis etiam Arrianus V. 1. 14. 'Ubi ad Indum pervenit, pontem jam ab Hephæstione perfectum reperit, multaque minora navigia, duas vero naves triginta remorum.' Sed quærit deinde V. 1. 31. quomodo pons ille confectus fuerit: 'Quonam autem modo Alexander Indum amnem ponte junxerit, neque Aristobulus, neque Ptolemæus, quos ego maxime secutus sum, scribunt: neque ego certi aliquid affirmare ausim,' &c. *Raderus.* Pontis etiam mentionem facit Strabo lib. XV. 'ad Indum est alia civitas Peucolaitis, juxta quam Alexander per pontem trajecit exercitum.' Curtius pontis non meminit. *Freinsh.*

Omphis] Siculus XVII. 86. permutatis duabus primis literis 'Mophim' vocat, uter verius, haud dispicio, quod ex linguæ cognitione pendet. *Raderus.*

Patri] Qui fuit ille Taxiles, quem Diodor. XVII. 86. scribit hærenti adhuc in Sogdianis Alexandro societatem armorum obtulisse: Arrianus IV. 4. 13. Indiæ fines ingresso cum donis occurrisse. *Freinsh.*

§ 6 *Permissoque*] Vulgo, *permissoque ut regnaret;* non bene: notavi simile quid supra. *Modius.*

§ 8 *Discedere in cornua*] Libri manu exarati, *et equites descendere in cornua jusserat, paratus ad pugnam;* minus probo. *Modius.*

§ 10 *Gloriæ militantem nihil magis timere quam famam*] Eodem animo Marius apud Sallust. 'se nihil metuere nisi turpem famam.' Davus apud Comicum de Pamphilo, 'Cavit,

Digitized by Google

ne unquam infamiæ ea res sibi esset, ut virum fortem decet.' *Loccenius.*

§ 11 *Elephanti*] Arrianus IV. 4. 13. non tantum Taxili, sed vicinis quoque regulis, XXV. elephantos fuisse innuit: postea tamen v. 1. 14. narrat ab uno Taxile dono missa ad XXX. elephantos. *Freinsh.*

§ 13 *Et Porus*] Gravi eo tempore inter se contentione dissidebant 'duo reges, Porus et Taxiles.' Maximus Tyr. Or. XXXVIII. *Freinsh.*

§ 14 *Quod patri fuerat*] Potest quidem ferri et fero; sed si examines acutius, fatebere non sic fuisse loquendum Curtio: si enim de proprio patris ejus nomine accipis, apparet illud non recepisse novum hunc regem: si de communi regum, *Taxile;* non magis patris ejus fuerit, quam avi et proavi, et sic deinceps: imo nullius eorum fuit, sed ipsius urbis, ut hic propemodum ducam scribendum, *quod patriæ fuerat*, non quin videam illud verbi non admodum hic quadrare: sed quia mihi verisimile fit, Curtium hic tetigisse morem, quo apud nonnullas gentes regibus a præcipuis urbibus inditur nomen. In re plane simili Tacitus II. 56. 3. 'Igitur Germanicus in urbe Artaxata adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti ejus imposuit: ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis.' Eoque pertinere arbitror, quod multos Armeniæ reges hoc nomine reperimus. Sed et alibi in India hoc usitatum. Apud Prasios utique Strabo lib. XV. notat: 'Regem præter proprium nomen quod a natalibus habet, de nomine urbis Palibothrum appellari: quemadmodum et Sandrocottum, ad quem missus Megasthenes fuit.' Sic ergo et Taxilem ab urbe Taxilis appellatum fuisse quis dubitet? adque id exemplum 'Assacenos' etiam 'Musicanosque' reges nomen accepisse recte conjicit Reinecclus in Indico regno. *Freinsh. Quod patris fuerat*] Ab urbe et pater, et avus, et omnes successores *Taxiles* vocabantur. suspicatur ergo Freinshemius, an non forsan *quod Patriæ* legendum sit, sicut apud Tacit. II. 56. de Zenone Armeniis dato rege: 'Ceteri regem Artaxiam salutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis.' In urbe enim Artaxata Germanicus hunc regem proclamaverat. *Cellar.*

Taxilen appellavere populares] Sic Ægyptiorum reges a Ptolemæo, qui cum Alexandro militavit, Ptolemæi dicti sunt; et Pharaones a quodam Pharaone: Atheniensium reges Cecropidæ a Cecrope: Arsacidæ Parthorum reges dicti ab Arsace Scytha: et Imperatores Romani Cæsares a Cæsare Julio: eo enim mortuo affectarunt hoc nomen, qui subsecuti sunt Imperatores. *Popma.*

Sequente nomine imperium] Quod apud complures populos in usu fuisse, in Indice Justini, voce *Reges* notavimus. Quibus licet accenseas Armeniorum *Artaxias* ex antedictis: Farganorum *Achsiidos*, et Persarum *Cosrões*, ex Elmacino III. 4. Bavarorum *Cacanos*, ex Joan. Bohemo de Moribus Gent. Sic a Turcis Serviæ Despotas omnes vocatos fuisse *Lazaros;* Constantinopoleos Imperatores *Constantinos*, notat Leunclav. Pandect. Histor. Turc. cap. 46. et capp. 51. 54. 68. 73. et 90. D. Basilius tradidit *Abimelech* commune fuisse Palæstinorum regum nomen. Tzetzes Chil. v. 10. Ionum *Palmis.* Paul. Diac. Hist. Langob. III. 16. et Regino in Chronico, Langobardorum *Flavius.* Servius ad Virg. Æn. VI. 529. Albanorum *Murranus.* Gregor. Turon. IV. 24. Hunnorum *Cahanus*, vel *Chaganus.* Qui autem ex eo, quod apud Capitolin. cap. 5. Gordiano acclamatum fuit, *novo Scipioni*, procoss. Africæ *Scipiones* vocatos fuisse asserunt, haud magis ve-

Digitized by Google

rum dicunt, quam qui Hispanorum Duces *Romulos* dictos contenderet ex Floro II. 17. 15. *Freinsh.*

§ 15 *Aureas coronas*] In præcipuis muneribus coronæ aureæ erant, et regibus et rebus publicis, et claris victoribus offerri solitæ. Sic Alexandro Tyrii legati coronam auream adferebant, III. 2. 2. Græci, cap. 5. 11. Romanis Carthaginienses, Nepos Hann. cap. 7. Romani Rhodiis, Liv. XXXI. 15. Sic quoque Olympiæ victores coronis aureis donati, Nep. Alcib. cap. 6. et Siccius Dentatus octo hujus generis coronis, Gell. II. 11. *Cellar.*

Ipsi, amicisque] Sic apud Tacitum II. 57. 6. 'In convivio Nabathæi regis, coronæ aureæ magno pondere Cæsari et Agrippinæ, leves Pisoni et ceteris offeruntur.' Quod discrimen hic etiam observatum fuisse puta. Apud Ægyptios tamen postea solis Regibus hic honor habitus est, donec Aristomenes per adulationem deferret eumdem Agathocli. Polyb. XV. 29. *Freinsh.*

§ 16 *Adjecit*] 'Operam enim dabat, ut omnes homines benevolentia superaret.' Polyæn. IV. 3. 1. 'Gloriari' quin etiam 'solebat, a nullo se beneficiis victum,' teste Seneca de Benef. V. 6. 1. Plutarchus cap. 103. narrat, huic ipsi Taxili in primo eorum congressu sua omnia offerenti respondisse: 'Contendam tecum beneficiis, ne me superes benignitate. Ac muneribus acceptis multis (addit ibi Plut.) datisque pluribus, denique mille talentum argenti signati ei propinavit (προέπιεν.) Qua re torsit amicos acriter,' &c. Idem Strabo lib. XV. 'Adeo ut Macedones invidia correpti dicerent: Quasi vero Alexander non habuisset, quibus benefaceret, priusquam Indum trajiceret.' *Freinsh.*

§ 17 *Amicos offendit*] Adeo ut præ iracundia dicerent, Alexandrum non habuisse, quibus benefaceret, priusquam Indum trajiceret. Strabo lib. XV. sed et sic *μεγαλοψυχίαν* suam ostendere voluit Alexander: de qua Aristot. Ethic. IV. 3. *Loccenius.*

§ 18 *Invidos homines*] Ovid. Met. II. 782. 'intabescitque videndo Successus hominum, carpitque, et carpitur una, Suppliciumque suum est.' Horat. I. Ep. 11. 58. 'Invidia Siculi non invenere Tyranni Majus tormentum.' *Freinsh.*

CAP. XIII. § 1 *Abisaræ*] 'Ambisarum' Arrianus V. 2. 1. et V. 3. 6. 'Abissarem,' alibi 'Abiasarem' appellat. 'Abisarum' Strabo lib. XV. Diodorus XVII. 90. 'Embisarum.' *Raderus.* Hunc etiam intelligit Arrian. IV. 5. 31. quamvis ibi legatur 'Barisades,' transpositis, ut sæpe et alias, literis: apud Ælian. de Hist. Anim. XVI. 39. 'Aposisares.' Suidas 'Abisarum' loci nomen fecit. *Freinshemius.*

§ 2 *Cleocharen*] Hujus nomen extra Curtium apud neminem alium, nisi me fallit memoria, nec alias apud ipsum Curtium legi, ex quo facile intelligo, eum non fuisse ex majorum gentium ordine, numero, et loco. *Raderus.*

§ 3 *Barzentes*] Drangarum satrapa et finitimorum Arachosiorum, qui adventante eas in regiones Alexandro profugit in Indiam, supra VI. 6. 36. inde sollicitans Arachosios, in qua nempe gente multos adhuc haberet clientes et amicos: donec ab Indis comprehensus, Alexandroque deditus est. Arrianus III. 4. 18. quæ diversis temporibus facta distincte prodidit Curtius, conjunxit: 'Barsaëntes vero, qui tum eam regionem obtinebat (Drangas puta; ipse *Zarangæos* vocat) unus ex iis, qui Darium in fuga oppresserant, cognito Alexandri adventu, ad Indos, qui cis Indum flumen incolunt, fugit, quem Indi comprehensum ad Alexandrum mittunt. Alexander illum, ob perfidiam, qua erga Darium usus fuerat, interfici

Digitized by Google

jussit.' ἀνοθνήσκει πρὸς Ἀλεξάνδρου, habent Græca: Curtius nihil de ejus interitu tradit. Plutarchus cap. 100. videtur velle ipsius Alexandri manu peremptum: 'Ex rebellantibus barbaris Orsodatem ipsemet confixit jaculis.' Hunc enim intelligi non quidem affirmo, sed tamen dubito. Scimus enim quantum variationis in ejusmodi barbaris nominibus in scriptorum libris reperiatur. Ipsi quidem Arriano III. 2. 7. 'Barsaëtes Arachotorum satrapa' dicitur. *Freinsh.*

Spei ac virium] Leve est, sed quid vetat tamen monere, *ac* pro *aut*, quod vulgo erat, me reposuisse? *Modius.*

§ 4 *Gamaxusque*] Melius fluat oratio, *Gamaxus quoque*. Acidalius. Forte, *Gamaxus quoque*. Idem volebat Acidalius. *Freinsh.*

§ 5 *In custodiam dato*] Vocem *dato* membranarum consilio adjeci, poterat tamen ferri, quod vulgo erat, *Igitur transfuga et regulo in custodiam, elephantis Taxili traditis, &c.* Modius.

§ 8 *Fluminis*] Hydaspis. Auctor de Fluminibus, qui Plutarchus falso inscribitur, cum nominis etymon, seu fabulam potius de rege se in flumen injiciente exposuisset, ex Dercyllo III. de Montibus refert, montem flumini subjectum appellari elephantem hanc ob caussam. Alexandro cum exercitu Indiam invadenti, visum incolis, armis occurrendum esse. Pori vero terrarum illarum regis elephas, quo vehebatur, repente œstro percitus tumulum Solis conscendit, ibique humana voce usus, Domine rex, inquit, qui genus ab Gegasio (ἀπὸ Γηγασίου) ducis, nihil contra Alexandrum moliare, est enim Jove natus: et cum dicto occubuit. Quo Porus audito, trepidus ad Alexandri genua accidit, pacemque oravit, qua potitus montem a belua elephantem appellavit. *Raderus.* Videtur illo nomine *Gegasii* ad Gangem alludi. *Freinsh.* Ne Curtio hoc σφάλμα adscribas, [vid. Delph. Not.] sed vel Græcis scriptoribus, ita ante eum referentibus; vel recte ex persona Darii vana ostentatione regnum suum exaggerantis, et quasqua ad Orientem pateret orbis id omne ditioni suæ adscribentis, vel adfingentis, ad augendam majestatem, et deterrendum Alexandrum. *Snak.*

§ 10 *Vastorum corporum moles*] Ingentes bellnæ elephanti: supra v. 4. 32. 'Nudi amplectebantur armatos, et ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum telis plerosque fodiebant.' *Cellar.*

Irritatæ] Quid juvat tam sollicitum esse, [vid. Delph. Not.] quum 'ipsæ vastorum corporum moles' elephantos satis exprimant, quæ toties hac περιφράσει sunt insignitæ? *Snak.*

Aures fatigabant] Vulgo legebatur *auras*, malo illud. *Modius.* Cum concordantibus Mss. mallem legere *aures*; nam quid *de industria irritatæ* sit non video, nisi ut ad aures hostium perveniret 'horrendus stridor.' *Snak.*

§ 11 *Capacia bonæ spei pectora*] Animos Macedonum, quamlibet aptos bonæ spei et fiduciæ, etiam se suamque virtutem sæpe expertos, nunc hostis atque amnis terruerant. *Cellar.*

§ 12 *Summæ experiebatur eventum*] Sic apud Livium III. 61. 10. Horatio duce 'parva certamina in summum totius profecerant spei.' Et ibid. VII. 32. 5. Valerius 'levibus certaminibus tentat hostem.' et XXXVII. 18. 4. 'Attalus per levia certamina expertus nulla parte virium se parem esse hosti, intra mœnia se recepit.' Multa hoc genus passim. Vide Dissertat. Amirati XIX. 1. *Freinsh.*

§ 15 *Temeritas felix*] Edita priora, *temeritas infelix;* sed emendatius Mss. *felix*, nam si temeritas, inquit Gruterus, infelix fuerit, eo ipso sibi ultro ponat modum necesse est, neque tam dicatur temeritas, quam infamia,

Digitized by Google

et clades inde accepta caret solatio. *Raderus. Si temeritas felix inveniret modum*] Modum ponendum felicitati esse et victoriæ, Hannibal apud Livium XXX. 30. exemplo Attilii Reguli suadet, qui si pacem petentibus Pœnis dedisset, magnus fuisset et felix imperator. *Cellar.*

Inveniret modum] Vide Gruterum ad ista Livii XXX. 30. 19. 'Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo eumdem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit.' Εὐτυχίας οὐκ ἔστι ἀνθρώποισι σύμμετρος πλοῦτος. Herodot. lib. VII. *Freinsh.*

§ 17 *Inops consilii*] Dolum hunc fuse refert Polyæn. IV. Strateg. ut et ordinem exercitus Pori. *Loccenius.*

Talem dolum] Quem etiam describunt Arrian. V. 2. 9. Plutarch. cap. 104. Polyæn. IV. 3. 9. et Front. IV. 1. 9. quo toto capite 'de transducendo exercitu per loca hostibus infesta' agit. *Freinsh.*

§ 18 *Oculos hostium avertere*] Vide quæ notavi supra ad IV. 6. 9. Livius XXXVIII. 38. 10. de Scipione: 'Moram pugnandi nullam fecit, ut ipso certamine averteret a conspectu transeuntium per colles equitum.' Idem XXX. 4. 8. de eodem: 'Ut ab eo quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium animos.' Hieronis strategema simile refert Polyænus I. 29. *Freinsh.*

§ 19 *Porum quoque agmen*] Iterum vulgo, *eoque consilio Porum agmenque suum ei parti, quam se petere simulabat, coëgit advertere*: ineptissime; nec recte etiam membranæ in eo, quod *avertere* pro *advertere* laudant. *Modius. Advertere*] Malim *obvertere*. Freinsh.

§ 21 *Veste regia exornat*] Sic Gelon per 'Pediarchum sagittariorum præfectum, sibi forma et aspectu similem tyrannica veste indutum' fraudem paravit Himilconi apud Polyæn. Strat. I. 27. Pulcherrimum strategema Datamis refert Corn. Nepos Dat. IX. 4. Sic apud Diodor. XIX. 5. 'Agathocles, quid animo dux (Acestorides) moliretur, conjectans, e juvenum cœtu statura formaque sibi quam simillimum delegit. Huic armis, equo, vestibusque traditis, ad cædem sui missos astute circumvenit.' Quippe succidanea illa hostia relicta, ipse evasit incolumis. Sicut apud Polyænum I. 12. ancilla Helenæ cultus heræ induta, vicem illius occubuit. item alia Arsinoës, apud eumdem VIII. 56. Harmoniæ, apud Val. Max. III. 2. 9. ext. Servus Panopionis, ibid. VI. 8. 6. quod paulo aliter narrat Dio in Augusto XLVII. 2. 4. *Freinsh.*

§ 23 *In regionem insulæ*] Scio, regionem alicubi significare Nostro locum qualemcumque, nec tamen video, cur voluerit hic *regionem insulæ* usurpare. Potius suspicor scripsisse; *trajicere amnem cum ceteris copiis e regione insulæ, de qua ante dictum est, parabat.* Vitium videtur ortum ex eo, quod omnia junctim *eregione insulæ* fuerunt scripta; quod non intellexerunt, qui non animadvertere, insulam jam ante fuisse captam ab Alexandro, et ex ea paratum transitum in litus. *Scheffer.*

Procella ingens] Vox *ingens* ab antiquis libris est. *Modius.*

Obstrepentibus ventis] Editi, *obstrepentibus ripis*, recte etiam pro arboribus ripas inumbrantibus. *Modius.* Mss. nostri *ventis*, quos *procella* tolerabiles faciat. *Snak.*

§ 24 *Spissæ nubes*] Petronius: 'Tam spissæ repente tenebræ lucem suppresserant, ut ne proram quidem totam gubernator videret.' Vide notata ad IV. 3. 16. supra. *Freinsh. Intendere se nubes*] Proprie dicendum fuit *nebulas*; nam nubes altiores sunt. Scio a Poëtis hæc misceri; sed non sine ἀκυρολογίᾳ, quæ Historico minus

Digitized by Google

licita est. Isidorus XIII. 9. 'Nebula inde dicta, unde et nubila, ab obnubendo, hoc est, operiendo terram: sive quod nubes volans faciat. Exhalant enim valles humidæ nebulas, et fiunt nubes. .... Nebulæ autem ima petunt, cum serenitas est, summa, cum nubilum.' Sic Livius XXXVII. 41. 2. 'Nebula matutina, crescente die levata in nubes, caliginem dedit.' *Clericus Jud. de Curt.* VIII. 10. · *Ceterum adeo spissæ intendere se nubes, ut conderent lucem*] Scilicet vult vir Doct. Historicum debere non loqui cum populo, nec satis habere, si usitatis loquendi modis rem quamque perspicue satis declaret, sed loqui semper cum doctis cujusque artis, seu ex ejus interiore doctrina formare phrases. Concedit itaque Poëtis istam quam vocat ἀκυρολογίαν at Historicis nec licitam, nec usitatam putat. Ego vero inter 'Nubem' et 'Nebulam' ita distinxerim, ut 'Nubes' significet in universum omne illud, sive humile, sive altum, quod cœlum tegit; et ejus lucem nobis adimit: 'Nebula' vero sit potissimum et humida et humilis. Hinc pulvere excitato, et per proximum nobis aërem moto, non dicitur 'nebula pulveris,' sed 'nubes pulveris.' Sic IV. 15. et v. 13. 'prospectum ademerat pulveris nubes,' sed et aliarum rerum est 'nubes.' velut apud Liv. XLII. 2. 'Pomtinum omne veluti nubibus locustarum coopertum.' Et cap. 10. 'Locustarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam delatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent.' Tac. Hist. III. 56. 'Concionanti tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent.' Videmus hic 'nubes' satis humiles, minime certe 'altas,' et unice sic dictas, quod cœlum obnubant. Hinc jam nubes urbem cooperientes, et prospectum adimentes reperias apud eumdem Ann. XIII. 41. de urbe Artaxatis, 'Cuncta extra, tectis tenus, sole illustria fuere: quod mœnibus cingebatur, repente atra nube coopertum.' Et Ann. II. 23. 'Mox atro nubium globo effusa grando simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere.' Nihil vero propius et similius Curtiano loco, quod ad sensus et verba, potest dari, quam hicce Livii XXXIII. 7. 'Tertio die primo nimbus effusus, dein caligo noctis simillima Romanos metu insidiarum tenuit. Philippus maturandi itineris caussa, post imbrem nubibus in terram demissis nihil deterritus signa ferri jussit: sed tam densa caligo obcæcaverat diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cernerent; agmen ad incertos clamores vagum velut errore nocturno turbaretur.' Vides hic, ut apud Curtium primo 'imbrem,' dein 'nubes in terram demissas,' et 'diem' plane 'obcæcantes.' Quid enim discriminis, quod ad vocem 'nubes,' inter utrumque est locum? quid immo aliud istic sunt 'nubes' quam 'nebulæ?' de quo ne dubites, ipse Livius eodem loco ait, 'Jam juga montium detexerat nebula.' Sed et ipse Seneca in nubibus philosophice agens, Nat. Quæst. II. 30. 'Nubem tam arida, quam humida, conferunt. Est autem nubes spissitudo aëris crassi:' sine distinctione, utrum in alto sit aëre, an humili. Hæc ergo etiam accusare debebit Cl. Clericus, si Curtio et Historicis concedere nolit promiscuum horum vocabulorum usum. Sed et emendare eadem opera poterit Linguam, decernendo, ut ne deincepa quis cum Veteribus 'nubem pulveris,' 'locustarum,' &c. sed ut 'nebulam' semper dicat. Verum ea in re sibi obsequentes Grammaticos non habebit, qui vim et significationem vocabulorum ex ipso linguæ usu simul et analogia constituunt. *Perizonius Curt. Vind.* p. 81.

§ 26 *In ratem*] Cur immutare placuit, quod est vulgo, *rates*? plures

Digitized by Google

enim fuerunt. *Acidalius.*

§ 27 *In ordinem*] Iterum multitudinis numero scribe, *in ordines*, etsi nusquam hoc quidem in vulgatis: sed ita scribendum res clamat, et similes loci lib. IV. 'Nec miles injussu ducis arma capere poterat, aut in ordines ire.' lib. VII. 'In suos quisque ordines currimus.' *Acidalius. Ordines*] Sic emendavit Acidalius; nec falli eum demonstrant loca, quæ Index exhibebit. *Freinsh. In ordines jussit*] quis? Alexander sine dubio, sed illius mentio nulla in proxime præcedentibus, ut huc possit trahi, nec idonea satis est ellipsis. Quare puto potius scripsisse Nostrum *jussi*. Scheff.

CAP. XIV. § 1 *Jamque agmen*] Sequitur ipsius pugnæ descriptio, commissæ bidui itinere a Taxile, si Philostrato II. 15. credimus. *Freinsh.*

§ 2 *Centum quadrigas*] Mira hic scriptorum rursus dissensio: aliud Curtius, Plutarchus cap. 105. aliud Aristobulus, aliud Ptolemæus apud Arrianum V. 2. 24. narrant; quos ipse adibis. *Rader.* Adde Polyænum IV. 3. 21. et 22. qui eum, quem Noster 'Hagen fratrem' Pori, videtur appellare 'Pittacum nepotem.' Dignus autem hac in re locus Arriani V. 2. 24. qui explanetur; præsertim cum nullo modo a nostro instituto alienum id sit futurum. Ait, vel potius Interpretes, 'Ptolemæus, cui ego assentior, aliter sentit. Nam et ipse filium a Poro missum fuisse scribit, non autem LX. solum currus ducentem: neque enim verisimile est, Porum, quum jam per speculatores certior factus esset, aut ipsum Alexandrum, aut certe partem exercitus, Hydaspem transisse, filium suum cum sexaginta tantum curribus emisisse: qui quidem veluti ad speculandum missi, satis multi etiam non bene instructi erant, ut nimirum expeditius sese recipere possent: at vero ad arcendum hostes nondum transgressos, aut cum eis jam transgressis confligendum, neutiquam pares erant.' Sensu cum per se ridiculo, tum inprimis ab Arriani mente egregie alieno: 'satis multi,' nam pauciores puta triginta currus, ad explorandum non erant futuri satis multi: 'etiam non bene instructi,' hoc enim, opinor, magnopere expediebat ad receptum, ut male instructi essent: 'ut nimirum expeditius sese recipere possent,' quasi vero ea potius causa, quam ad arcendum hostem missi forent. Arrianus: Ἀ δὴ ὡς μὲν ἐπὶ κατασκοπὴν ἐκπεμπόμενα, πολλά τε καὶ οὐκ εὔζυνα ἐς τὴν ἀποχώρησιν ἦν· ὡς δὲ εἰς τὸ εἴρξαί τε τοὺς οὔπω περεραιώσαντας τῶν πολεμίων, καὶ τοῖς ἤδη ἐκβεβηκόσιν ἐπιθέσθαι, οὐδαμῇ ἀξιόμαχα. Nimirum confutat narrationem eorum qui tradiderunt, Porum, audito Macedonum transitu, filium suum misisse cum sexaginta admodum curribus. Quod quidem teste Plutarcho cap. 105. ipse Alexander in epistola quadam scripsit: verum Arrianus negat verisimile sibi videri, belli peritum hominem id fuisse commissurum, cum nulla appareret ratio: aut enim explorandi caussa eos miserit, aut pugnæ: non illud, nec enim tam multos misisset; non hoc, nec enim misisset tam paucos. Vertendum ergo fuit: 'Filium suum cum LX. tantum curribus emisisse; qui, si ad speculandum missi forent, nimis multi, neque ad receptum expediti fuissent; si ad arcendum,' &c. Habuit nimirum, aut habere potuit in animo illud Xenophontis extremo l. VI. Hist. Græc. quod redimendi temporis chartæque caussa tantum Latinum adscribo: 'Pauci æque aliquid, ac multi, videre possunt: ac si pedem referre necesse sit, multo facillus pauci, quam plures, tum viam idoneam reperire, tum quiete discedere possunt. At multos adducere, neque tamen hostibus pares, qui non ingens dementia sit?' Nec abludit Tigranis scomma in exercitum Rom. apud Plutarch.

Digitized by Google

Lucullo cap. 57. *Εἰ μὲν ὡς πρεσβευταὶ, πολλοὶ πάρεισαν· εἰ δ' ὡς στρατιῶται, ὀλίγοι. Si quidem legationis causa venerunt, multi nimis sunt; sin pugnæ, nimis pauci.* Lubet adnotare, Ptolemæum et Aristobulum citato Arriani loco in hoc consentire, filium Pori missum esse, quod ii sane, quippe viderunt Porum, aut scire potuerunt, aut credere. Quin et duos ejus filios occubuisse ea pugna scripserunt: adstipulante quoque Diodoro XVII. 89. quæ res manifestæ falsitatis convincit nugas Philostrati II. 10. Porum 'fuisse admodum adolescentem, quando cum Alexandro pugnavit.' *Freinshemius.*

In curribus] De equis, curribus, elephantis Indicis, Ælian. Hist. Anim. XIII. 9. qui binos tantum epibatas, sive adscensores, singulis curribus tribuit. Quod et Strabo firmat lib. XV. *Δύο δ' εἰσὶν ἐπὶ τῷ ἅρματι ἀναβάται πρὸς ἡνιόχῳ. Currus præter aurigam vectores duos habet:* idque magis credam, quam ut Curtius narrat. *Freinshemius.*

§ 4 *Inequitabiles*] Forte, *equiti inhabiles;* ut IV. 9. 10. *Heinsius.*

Ac voraginibus] *Et voragine* alii: quidam etiam *foraminibus*, quod excusam lectionem confirmat. *Modius.*

§ 5 *In dextrum cornum*] Usitatius est scriptoribus, præsertim iis, quorum ætate Curtius vixisse conjectari potest, genere neutro voce *cornu* uti: sed cujus frontis esset, tot locis, quot jam videre fuit, contra omnes membranas, pro sui animi libidine, in hac re aliquid mutare? *Modius.*

§ 6 *Pugna se moverat*] *Pugnare moverat* membranæ, sed in eo Longobardicis similes sunt, quæ inter *s* et *r* aut nullum, aut perparvum discrimen faciunt. *Modius.*

§ 9 *Pauci tenus hostium*] Hoc quoque corruperant, qui omnia corrumpunt, mutando *tenus* in *tamen*. o homines pistrino dignos, non tabernis, ubi literæ tractantur! *Modius.* Non expedio me ex verbis: sensum teneo, qui utique non ille: 'Paucos ex curribus et aurigis ex hostibus elapsos ad Porum properasse, ex tota hostium acie exactos, seu in fugam conjectos.' Sed quem supra IV. 15. 17. concepit his verbis: 'Paucæ tamen evasere quadrigæ in ultimam aciem,' &c. Vult ergo, currum aliquos per interjectam hostium aciem penetrasse ad Porum. Observandum enim duplicem fuisse pugnam; majorem illam, quæ mox describetur, et hanc Hagis nepotis regii, quem a rege interclusum habuisse Macedones significare videtur Auctor. An autem particula *tenus* hoc interpretamentum patiatur, ipse quidem dubito: sensum autem alium non esse liquido perspicio. Est autem locus hic in aliis codd. aliter expressus, quod quidem argumentum solet esse corruptionis. Nec sane placet, quod facit Porum *acerrime pugnam cientem;* deinde postea demum aciem instruentem. *Freinsh.* Hoc *tenus* etiam Freinshemio suspectum est: nec tamen video quid possit substitui, nisi velis, *hostium cuneos.* Scheffer. Mendosus locus, cujus sensus facilior quam genuina scriptura: videtur hoc innuere Historicus, Macedonas se interjecisse inter Hagis currus et Pori exercitum, illosque turbasse, ut pauci per Macedonum aciem evadentes ad Porum usque pervenerint. *Cellar.* Tellierius abjecit vocem *tamen*, et sic Mss. nostri, infra hoc capite n. 30. iterum 'ultra aciem exigebantur:' forte, *hostium telis exacti*, vel *extracti.* Snak.

Acerrime pugnam cientem] Hoc quoque non placet Freinshemio, cum non videatur Porus potuisse pugnam ciere primum, et post demum aciem instruere. 'Ciere pugnam' profecto vix dicitur, nisi præsens et pugnans ipse. At Porus hic pugnabat non ipse, sed per Hagen fratrem, quem præmiserat cum istis copiis, ut li-

Digitized by Google

quet ex superioribus. An scripsit Noster *cientes*, ut referatur ad *cuneos*; an *cientium*, ut respiciat *hostium*? Scheff.

§ 10 *Pedites ac sagittarios tympana pulsare solitos*] Quid? an pedites et sagittarii solebant tympana pulsare? quomodo ergo emittebant sagittas? Scribo, *ac sagittarios, ac tympana pulsare solitos:* suadet, quod tympana Indis dicat fuisse loco tubarum. Tubas enim non promiscue habebant milites, sed tubicines. *Scheff.* Scheffero adstipulatur Voss. 2. *Snak.*

Ad notum sonum] Nam et primum captos mitigari scripsit Arrian. Ind. II. 29. 'tympanorum ac cymbalorum pulsu.' Alias enim fere impatiens esse solet insueti sonitus hoc animal, qua re sæpe etiam consternati, inque fugam acti leguntur. *Freinsh.*

§ 11 *Herculis simulacrum*] Hujus rei testem Curtius vix inveniat ex iis, qui hodie leguntur. *Raderus.* Ernstius Observ. II. 22. credit se reperisse ejus rei indicium Florentiæ in hac inscriptione corrupta: *Hercules * Der *** For ***; quam supplet, *Hercules Indorum Fortitudo*, ipse viderit. Ceterum etiam apud majores nostros consuetudo ista tenuit, ut simulacra Deorum 'lucis detracta in prælium ferrent,' teste Tacito: atque inde nobis vexilla *Fanen* appellantur; quod antiquitus 'Fan' Deum significabat; quod hodie septemtrionalibus diabolum, postquam nimirum falsorum numinum errores abjecerunt. Inde 'Tanfana' apud Tacit. I. 51. 2. quod hodie vocant *Skogsroo*, silvestrem dæmonem. *Tfan* enim silvam notabat majoribus nostris, ut in veteribus cantilenis sæpissime. Et apparet ratio moris. Sic enim fiducia creabatur militi, tamquam præsenti numinis auxilio, metus hosti. Sic Constantinus crucem, labarum, pro signo habuit. Judæi videntur *Dei* nomen prætulisse, ex Ps. XX. et Jesai. II. 10. *Freinsh.* Curtius hæc et alii, quorum nulli memorant, quo nomine Indi Herculem vocitarent, quia hæc erat mera Macedonum fictio; qui ut Alexandrum etiam Herculi præferrent, jactabant petram Aornon, quam cepit Alexander VIII. 11. 'ab Hercule frustra obsessam fuisse, terræque motu coactum absistere.' *Clericus.*

Deseruisse gestantes] Vide Florum I. 11. 2. *Freinsh.*

§ 12 *Capitis etiam sanxerat pœnam iis, qui ex acie, &c.*] Malim primo, *Capitis etiam sanxerat pœna, si qui ex acie.* Mox non *etiam*, sed *jam in*, quod non æque necessarium tamen ipse censeo, ut alterum non prorsus alii forte censebunt. *Acidalius.*

§ 13 *Speciem turrium*] Eadem similitudine supra VIII. 12. utitur. eadem Diodorus XVII. 87. Arrian. V. 2. et Polyæn. IV. 3. Apud Marcellinum XXIV. 22. 'Elephanti gradientium colliua specie motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant.' In confesso est, Porum hoc bello elephantis usum. Quo argumento Photius ostendit, Agatharchidem lib. I. de Mari Rubro, vel memoria lapsum fuisse, vel ad Ægyptios tantum reges, aut saltem Alexandri successores respexisse, cum Ptolemæum Philadelphum primum fuisse scriberet qui elephantorum venationem instituerit. *Freinsh.*

Ipse Porus] Caussam proceritatis hujus facit Pausanias humidam soli constitutionem in Arcad. p. 503. Diodorus soli ubertatem, quæ ex illa. Alias et Indi more reliquorum barbarorum corporis præstantiam in rege eligendo præcipue spectarunt. Herodot. Melpom. Plutarch. Aristotel. Polit. VII. 14. *Loccenius.* *Erat enim quinque cubitos altus*] Arrian. V. 2. 47. Diodorus XVII. 88. adjicit: 'Crassitudine autem tanta, ut thorax ejus duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent.' At apud Plutarchum cap. 106. 'Porum pleri-

Digitized by Google

que scriptores consentiunt quatuor cubitos palmo excedentem,' quem locum merito suspectum habet Raderus, et pro τεσσάρων πηχῶν reponit πέντε· cum etiam Eustathius ad Dionys. vs. 1027. multos Indorum tradat πεντεπήχεις, quinque cubitales reperiri; Porum autem excessisse quinque cubitos. Sane majorem quatuor cubitis oporteat fuisse, qui, ut ibidem addit Plutarchus, elephanto suo proportione equitis insideret. Philostratus II. 10. ait fuisse 'proceritate corporis tanta, quanta, post Trojana tempora, nemo.' Arrianus Peripl. Mar. Erythræi III. 2. ait in illis regionibus reperiri ἄνδρας ὑπερμεγέθεις τῷ σώματι, *viros excedentibus modum corporibus præditos*. Ceterum de Mithridate simili fere notasse credo Sallustium, si extarent quæ juxta hoc fragmentum scripsit: 'Mithridates corpore ingenti, perinde et armatus.' Apollodorus lib. II. de Diis, Herculem τετραπηχυαῖον fuisse refert; quem etiam modum Diodorus XVII. 91. tribuit Sopithæ. Sed Philostratus in Heroicis Protesilao suo decem cubitos tribuit. 'Maximinus,' ut refert Cordus apud Capitolin. cap. 6. 'erat magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egressus.' *Freinsh.*

Formam] Rutgersius Var. Lect. III. 4. emendabat, *normam*; haud absurde. Potius tamen assentiar Bongarsio glossema hoc esse: ut scilicet divisa voce *propemodum* legatur: *magnitudinis prope modum excesserat*. Moveor etiam nonnihil versu Galteri: 'Humanique modum transgressum corporis.' Solet enim ille ipsa fere Curtii verba in numeros redigere. Si tamen vulgatam lectionem teneas, interpretabere *formam*, ut fere accepit Probus in Eumene: 'Multi etiam, qui ejus formam cognoscere studebant, qualis esset.' Tacit. II. 39. 3. 'Forma haud dissimili in dominum erat.' Quid tamen si legas, *magn. prope modum excesserat: formam magnitudini Pori adjiciebat belua, &c.* id est, decorem, speciem? si enim legas, ut editur, *magnitudini adjiciebat*, falsa est sententia: quanto enim major est elephantus, tanto minorem apparere necesse est, qui eo vehitur: dextrum enim suum cornu ipse duxit. *Freinsh. Propemodum excesserat*] Divise *prope modum*: vulgo conjuncte, *propemodum excesserat formam*. Rutgersius *normam*. Sed glossema esse quod additur, Bongarsius et Freinshemius censent, quo in numero etiam repetitum vocabulum *Pori*, quod post sequentem vocem *magnitudini* in vulgatis legitur, Tellierius habet, quem utroque reciso secuti sumus. *Cellar.* Lege, *Prope modum excesserat. Formæ magnitudini porro.* Heinsius.

Magnitudini adjicere] Repetunt editiones, *magnitudini Pori*; legunt membranæ, *magnitudinem adjicere videbatur belua*: neutrum placet. *Modius. Magnitudini adjicere*] Plutarchus p. 699. ex historicorum consensu tradit, Porum, quamvis immani bellua vectum, τὸ μῆκος ἵππου μηδὲν ἀποδεῖν πρὸς τὸν ἐλέφαντα συμμετρίᾳ, *proportione equitis elephanti respondisse*. Cellar.

§ 14 *Par animo meo*] Sic apud Lucan. Phars. v. 652. 'credit jam digna pericula Cæsar Fatis esse suis.' *Freinsh.*

§ 15 *Ptolemæo*] Nusquam dixit Curtius Ptolemæum transiisse Hydaspem, cujus ripis cum omnibus turmis obequitantem dixerat c. 13. 18. at res, inquies, satis intelligitur; neque enim Ptolemæus in acie esse poterat trans Hydaspem cum toto equitatu, nisi eum transmisisset. At mora aliqua ad hoc opus fuit, et res digna erat quæ uno verbo significaretur. *Cleric. Judic.* v. 13.

Quum ego, inquit, in lævum, &c.] Vide Polyænum Strateg. IV. ἐνθάδε παραγγελλας Ἀλ. Injuria autem Glareanus accusat Curtium negligentiæ, quasi nihil pensi habeat quid scribat,

Digitized by Google

(hæc enim ejus verba sunt) et quasi confundat ordinem exercitus Alexandri. Ante enim dixit, Alexandrum jussisse Cœnum in dextrum cornu movere, simul ac vidisset ipsum (Alexandrum) in sinistrum hostium cornu impetum facere. Mox vero dicit, Cœnum, non Alexandrum, in lævum cornu invectum esse. Sed Curtius recte, nisi valde fallor. Hæc enim Alexandri fuit mens, ut cum ipse in lævum hostium cornu impetum faceret, Cœnus dextrum cornu non hostium, ut Glareanus putat, sed Alexandrini exercitus moveret, sibique in medio ardore prœlii succurreret: et hoc est, quod dicit infra Curtius, Cœnum in lævum cornu invectum esse. *Loccenius. Tu in dexterum move*] Male accipit hoc loco Glareanus Curtium, quasi nihil pensi habuerit quod scriberet, adeoque paucis versibus pugnantia tradidisse: ' Primum,' inquit, ' initio hujus pugnæ Perdiccam cum equitibus in dextrum cornu hostium mittit. Hic cum Ptolemæo, Hephæstione, ac ipso Alexandro, qui in dextro sui exercitus cornu erat, in lævum cornu hostium impetum facit: rursus Cœnus hic jubetur dextrum hostium cornu movere; at mox post aliquot versus, idem Cœnus ingenti vi in lævum cornu invehitur. Ita videmus (nisi in codicum errores omnia rejicere placet) quam nihil pensi habuerit quid scriberet; quod in quinto libro de Darii exercitu ac ejus ordinatione conquesti sumus. Arrianus plane Cœnum ducem, non lævum, quemadmodum hic perperam scriptum putamus, sed dextrum invasisse hostium cornu scripsit.' Bona verba, Glareane, ' parcius ista viris;' si Curtii verba accuratius expendisses, et mentem perspexisses, alia omnia de Curtio et sensisses et scripsisses: nam quod ais, initio pugnæ Perdiccam in cornu dextrum missum, postea in sinistrum cum ipso Alexandro movisse; nihil est, quod offendat, nec quidquam a Curtio est peccatum. Sed tu non assecutus, quod narravit Curtius, ipse tibi τὰ ἐναντία et somnia fingis: nam Curtius de duabus diversis pugnis loquitur, id quod debebas didicisse; primum ad ripam Hydaspis, in quam evaserat Alexander; in quem cum curribus præmissus est Hages frater Pori, cum quo primum initum est prœlium, et in hoc dextrum Hagis cornu jussus est invadere Perdicca. Hage autem cum curribus fuso et dissipato, itum est recta adversus ipsum Porum, qui cum omnibus copiis Alexandrum in amplissimo et equitabili campo expectavit. In hunc cum iret Alexander, suam aciem aliter direxit, et Perdiccam secum retinuit, cum quo lævum Pori ipsius cornu est aggressus, sicut Cœnus dextrum: vitiosa enim et mendosa scriptura codices occupavit, qui lævum post aliquot versus pro dextro proferunt, vitio vel antiquariorum, nam et chirographi *lævum* habent, vel operarum. Solet autem usu venire, ut librarii omnes eumdem errorem sequantur, quod et in Lexicographis sæpius deprehendimus, non secus atque oves arietem in ignes aut aquas insilientem certatim, etiam cum exitio suo, sequuntur. Quis enim credat Curtium accuratissimum et nobilissimum scriptorem intra paucos versus sibi contraria et pugnantia scripsisse? uti mirer, quomodo criticus Acidalii stilus hoc mendum non effoderit, aut saltem non animadverterit. De quinti libri dubia scriptione suo loco dictum est. Illud vero quod Modius neglexit, juste restituit Acidalius, *in dextrum move*, non *dextrum move*; nam Alexander ipse dextrum movebat in lævum Pori; Cœnus autem sinistrum movebat in dextrum Pori. *Raderus. Ipse dextrum*] Acidalius probante Radero legit, *ipse in dextrum move*, nam Alexander jam in lævum se irruere velle significarat. Negari tamen non potest in descri-

Digitized by Google

bendis aciebus Curtio non nimium esse tribuendum. Certe caussam haud unam habuit Glareanus, sin hic dixit Auctorem nihil habuisse pensi quid scriberet. Sunt enim ubi merito quis offendat, quæ Raderus præter Acidalianam conjecturam, hac quoque ratione submovet, ut dicat mox num. 17. ubi scriptum est Cœnum *in lævum cornu invectum*, quamquam sic etiam Mss. habeant, legi debere, *in dextrum*. Sed hoc quidem satis violentum est. Qui autem hoc loco, *ipse dextrum move*, Alexandri, non hostium dextrum cornu accipit, sane valde fallitur. Non igitur video, qua caussa Glareano sic insultet Raderus, qui dum errorem ejus detegere satagit, inter alia etiam objicit, non distinguere eum duas pugnas, alteram cum Hage, alteram cum ipso Poro. Id quidem haud falso, nisi ipse eamdem culpam incurreret: nam aciem Alexandri contra Porum quam Arrian. v. 2. 32. describit, referre volens, narrat nobis aliam contra Hagen, quam Arrianus superius num. 20. proposuerat. Polyænus quoque aciem utramque aliquo modo depingit; ubi tamen vix invenies, quo Curtio opem ferat. *Freinsh.*

Antigenes] Vulgo, *Antigone;* quæ duo nomina confunduntur etiam in Var. Lect. v. 2. 5. Sed Antigonus Phrygiæ vicinæque Lydiæ satrapa relictus fuerat, de quo supra IV. 1. 35. ubi locorum etiam res gesit circa prælium Arbeliticum. Atque deinceps ibi mansisse argumento est, quod infra X. 10. 2. illæ regiones ei decernuntur; quod forte non fuisset factum, nisi jam tum in possessione earum fuisset. Sed et ex Diodoro XVIII. 23. colligo, eum ab eo statim tempore satrapia sua non excessisse. *Antigenes* autem Argyraspidum phalangitarum dux fuit, ut ex Diodoro XVIII. 62. aliisque locis liquet. Recte igitur sic restituimus; et omnino certum illud est ex Arriano. Adde infra ad X. 10. 1. voce 'Susiana.' *Idem.*

Invehimini] Leg. *invehemini.* Heinsius.

Non in mediam aciem] Risi scripturam vulgatam, quæ erat, *invehimini in mediam aciem, et urgebitis frontem;* risi, inquam, sed ita, ut non minus indignarer interim; nam cujus foret patientiæ, tam supinam quorumdam oscitantiam aliter ferre? invehi potest quisquam in mediam aciem, et frontem urgere? tum ille profecto nobis Amphitruonis Plautinæ exemplum renovabit, et quod factum est numquam, neque pote adeo fieri, unus faciet. Verum mittamus ista, sic sunt homines, quibus harum rerum cura commissa est. *Modius.* Exerto cachinno Modius vulgatam lectionem ridet; nec ridet tantum, sed exagitat etiam vehementi cum indignatione. Quam adeo ob caussam? An enim, inquit, invehi potest quisquam in mediam aciem, et urgere frontem? potest, Modi; si mediam aciem recte accipias, non interiorem, quæ intra duo cornua constituta; quam et mediam recte dixeris, et non potes nisi frontem. Quod enim exercitus non in cornua protensum, medium inter ea locum tenet, est nimirum frons aciei. In hanc igitur invehi Antigonum et reliquos jubet Alexander, ubi ipse cum suis in lævum, Cœnus in dextrum cornu hostium impetum fecissent: ut jam moverat, sed verbis item vitiosis, quibus inserenda præpositio in hunc modum: *Cum ego, inquit, Ptolemæo, Perdiccaque, et Ephæstione comitatus in lævum hostium cornu impetum fecero, ipse in dextrum move, et turbatis signa infer.* Ubique adhuc, *ipse dextrum move*, quo nihil absurdius. Movebat enim ipse rex cornu suum dexterum, si in lævum hostium invehebatur: Cœno movendum lævum erat, si in alterum oppositum, nempe dextrum, debebat. Et vide quam elegans locutio perierat, *Movere in aliquem!* sed et hac reducta, et loco ipse restituto, rescribamus jam et alte-

Digitized by Google

rum, de quo proprie hic agere cœperamus. Eum scribe et lege prorsus, ut in vulgatis habetur, *Tu Antigone, et tu Leonate, et Tauron, invehimini in mediam aciem, et urgebitis frontem.* Ita omnino recte, satis ex superioribus liquet; neque mihi libet vel in explicando ultra Curtio, vel exagitando Modio, tempus hoc abuti. *Acidalius. Invehimini in mediam aciem et urgebitis frontem*] Irasci merito possis καὶ τῇ ἀμαθείᾳ, καὶ τῇ ἀβαθείᾳ Modii, qui etiam hunc Curtii locum sanum et integrum in pravum detorsit, dum particulam ἀρνητικὴν, *non*, adjecit, quæ totum Curtii locum et sensum corrumpit et evertit: et tamen sibi arridendo hic miris modis plaudit. Acidalium illi respondentem audi: Ignoscamus ergo Modio, qui nobis etiam ignosci volumus, et meminerimus nos homines esse. Interim adverte, lector, triplicem aciem veluti cum cornigero animantis capite componi; ut enim extrema bubuli capitis cornua occupant, et quod inter cornua est, frons est, et dicitur; ita in triplici acie sinistra et dextra acies cornua, media frons dicitur. Hoc Modius ex lib. IV. Curtii c. 13. poterat discere, ubi eod. modo triplex acies instructa et appellata: 'Alexander,' inquit Curtius, 'phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte (hoc est in medio) constituit; dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur, &c. in lævo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio erant: equites ab utroque cornu locati.' *Raderus. In mediam aciem*] Modius interpolabat, *non in mediam aciem, sed urgebitis frontem.* At vetustam lectionem, *in med. aciem*, omissa negativa, *et urg. frontem*, merito restituit Acidalius: mediam aciem intelligit, quæ inter duo cornua erat disposita; quæ simul etiam *frons* exercitus instructi dicitur, eadem figura, qua partes a læva dextraque, *cornua.* Tamen, ne quid dissimulem, Pal. 1. habet, *non inveh. in med. ac. sed urg. frontem.* Verum negativam natam putem ex præcedenti voce *Tauron*, collisa cum sequenti *invehimini*; qua demum recepta, proclive fuit *et* in *sed* mutare. *Freinsh.*

§ 16 *Anceps auxilii genus*] Ita Livius de falcatis curribus XXXVII. 41. 9. 'Eumenes haud ignarus pugnæ, et quam anceps esset auxilii genus.' Sed et elephantos Lucret. v. 1349. 'commune malum' nominat. Adde Stewechium ad Veget. III. 24. Idem Siculus XVII. 88. narrat, et Curtius ipse mox infra. Plinius VIII. 9. 8. 'Minimo suis stridore terrentur, vulneratique et territi retro semper cedunt, haud minore partium suarum pernicie.' *Raderus.* Adde Florum I. 18. 12. *Freinsh.*

§ 17 *In lævum cornu*] Ex mente Curtii, si non ex calamo, certissimo ergo legendum, *in dextrum*: ita etiam Arrian. v. 2. 'Cœnum ad dextrum cornu mittit.' *Raderus. In lævum cornu*] Si nihil mendi subest, *dextrum* Curtius in animo habuit, quum *lævum* scribebat; nam ipse Alexander in lævum movit n. 15. quod plenius Arrianus lib. v. docet: Κοῖνον πέμπει ἐπὶ τὸ δεξιόν. *Cœnum mittit adversus dextrum cornu.* Blancardus in Arrian. p. 342. non verbum, sed casum immutat ita: *Cœnus ingenti vi lævo cornu invehitur.* Cellar.

19 *Longas et prægraves*] Aliter interpungunt libri scripti: *quippe longæ et prægraves: nisi prius in terra statuerent arcum, haud satis apte et commode imponunt.* Modius.

Imponunt] Mss. Q. *imponuntur*; sicut divinaveram, volueramque particulam *tum* expungi. *Freinsh.*

§ 23 *Equos*] Qui stridorem elephantorum ferre non possunt. Vide quæ notavi ad Florum I. 18. 8. s. Quare Cæsar in Africa bellum gerens contra Scipionem et Jubam, qui elephantos habebant; ipse quoque non-

Digitized by Google

nullos ex Italia adduci jussit, non alio fine, nisi ut milites eos ex quotidiano conspectu metuere desinerent, atque 'ut jumenta bestiarum odorem, stridorem, speciem, consuetudine captarum non reformidarent.' Hirtius de Bello Afr. cap. 72. Atque hæc ratio potissimam difficultatem transeundi Hydaspis objecit Alexandro, notante Arriano v. 2. 8. et 13. solum hoc timuisse, ne equi specie et clamore beluarum territi rem turbarent. Ibid. num. 29. editum est: 'Neque enim putabat (Porus) quemquam hostium per illa elephantorum interstitia penetrare ausurum, sed ne equites quidem, equitum metu.' Nescio an typothetæ vitio: legendum enim, *equorum metu*. Scipio contra Annibalis elephantos 'equitatum Numidarum in utroque cornu locavit, assuetum ferre odorem et aspectum elephantorum. Italico vero non assueto talibus postremam aciem clausit.' Appian. de Bell. Punicis. Quod autem 'pavidum ad omnia animal' vocat, de insolito tumultu aut specie interpretare: cujus rei exemplum in Livio x. 28. 9. Apud Tacit. i. 66. 1. 'Forte equus abruptis vinculis vagus, et clamore territus, quosdam occurrentium obturbavit.' Unde a Persis singulari industria exercebantur, 'ne armorum fremitum, et gladiorum ad clypeos resonantium in pugna crepitum extimescerent,' Ælian. Hist. Anim. xvi. 25. x. *Freinsh.*

Tam pavidum ad omnia animal] Freinshemius hoc ait explicandum de insolito tumultu ac specie; quod non possum probare. Verba enim generalia sunt, nec ad illum modo tumultum referuntur, qui tum fuit, adde quod sit admodum emphaticum illud, *ad omnia*, nec de illo solo tumultu possit intelligi. Denique verum potius sit contrarium, hocque ipso equi velut bello nati, quod sint generosi, neque facile metu perturbantur. Itaque non dubito, quin Noster scripserit, *tam impavidum ad omnia animal*; particulam *in* ante *pavidum* absumpserat littera m ultima præcedentis vocis, totidem constans lineolis, et adjuncta sequentibus, ac ob id alteri rĕddens speciem vacuæ delendæque. *Scheff.* *Pavidum animal* intellige in subito tumultu, sicut in Gallico bello essedorum rotarumque sonitus insolitos ejus tumultus Romanorum equos conterruit. Livius x. 28. *Cellarius.*

§ 24 *Agrianes et Thracas*] Equites sagittarios, qui miris modis, concursationibus, et velitationibus, nunc concurrendo, nunc refugiendo, moxque redeundo fatigabant hostem. *Raderus.* *Agrianes et Thracas*] Hos ut equites sagittarios crederet Explanator, in caussa fuit Arrianus v. 2. 34. ut conjicio, qui tradit Alexandrum in Indos immisisse mille hippotoxotas. Sed eos ex num. 15. ibid. *Deas* fuisse crediderim: certe Agriani et Thraces non magis equestri rei studere potuerunt, quam apud nos Helvetii aut Rhæti. *Freinsh.*

§ 29 *Copidas*] Græca vox ex verbo κόπτω. Suidas, κοπὶς, ἡ μάχαιρα. Strabo lib. iii. de armis Lusitanorum παραξιφὶς ἡ κοπὶς, *pugio aut copis.* Cellarius.

Beluarum manus] Manum in elephanto miratur Glareanus, cum sæpe occurrat ea vox apud Auctores pro proboscide; quin et Plautus 'Brachium' vocat, Mil. Glorios. *Loccen.* Proboscides, amputatu non ita difficiles, ut bello Pyrrhi Tarentino C. Minucius ostendit apud Florum i. 18. 9. et Plinium viii. 7. 2. Sic veteranus Cæsaris ab elephanto in altum sublatus, proboscidem cecidit. Hirt. de Bell. Afr. cap. 85. Vide Stewech. in Veget. pag. 222. m. *Freinsh.* Cic. de Nat. Deor. ii. 47. 'Manus etiam data elephanto, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastum.' Proboscide enim elephantus, ut manu homo, utitur ad apprehendendum,

Digitized by Google

quia flexilis est, et rem potest circumdare. Unde 'anguimanos' elephantos dixit Lucretius II. 537. i. e. manu instar serpentis flexili instructos. *Cellarius.*

In ipsa morte novi supplicii] Quo afficiebantur correpti manu elephanti, traditique regentibus; hoc enim intelligendum puto. *Scheff.*

§ 32 *Novem jam vulnera*] Arrianus v. 2. 47. nonnihil a Curtio divertit: 'Cum in dextro humero, quem quidem solum in pugna nudum ferebat, vulnus accepisset, (nam a reliquo corpore thorax facile tela propulsabat,) ipse alioqui insigni et robore et membrorum convenientia præditus, ut postea ejus conspectus docuit, converso elephante recessit.' Siculus XVII. 88. 'Porus tandem cum heroice depugnasset, præ multitudine vulnerum exsanguis animo deficit, et viribus infractis e bellua ad terram delabitur.' *Raderus.* Themistius quoque Orat. IX. multis vulneribus affectum fuisse tradit: item Justinus XII. 8. 5. In Arriani loco est, quod obiter moneam, illa verba, περιττὸς ἦν κατά τε τὴν ἰσχὺν, καὶ τὴν ἁρμονίαν, de ipso Poro perperam accipi, reddique, *ipse alioqui insigni et robore*, &c. nam de thorace loquitur auctor: 'firmitudinis et operis eximii thorax, ut postea intuentibus apparuit, facile tela propulsabat.' *Freinsh.*

§ 34 *Sed equus ejus*] Bucephalus. Plutarchus p. 699. plerosque tradere ait non extemplo mortuum, sed postea sub vulnerum curatione. Onesicrito auctore, apud eumdem Plutarchum, non vulneribus, sed senio confectus occidit. *Cellarius.*

§ 36 *Imperii regnique*] Tollierius ita distinguit, ut *Imperii* sit totius Indiæ, *regni*, partis quam Taxilis fratres tenebant. Arrian. lib. v. paullo aliter, non fratrem, sed ipsum Taxilem, veterem hostem, ab Alexandro missum esse, qui deditionem persuaderet, postea persuasum esse a Meroë, vetere amico, ut fugam sisteret. *Cellar.*

Proditoris] Alii, *proditorem*. Sed qui illud in fratrem Taxilis convenerit? in ipsum potius: ergo *proditoris* repono, volentibus etiam Mss. quos postea inspexi. *Freinsh.*

Contorsit in eum] Arrianus tamen jactu inani, quem effugit elatus equi pernicitate. *Cellar.*

§ 39 *Procumbere jussit*] De elephantorum indole, docilitate, &c. habes apud Plinium lib. VIII. multis a principio capitibus, et Lipsium singulari Epistola 50. Cent. 1. Sed de Pori elephanto ex Plutarcho cap. 106. cognosces. *Rader.* Multa de elephantis Nierenbergius. Item Bulenger. de Venat. Circi toto cap. 21. ubi miror inter plurima Æliani loca me non reperire VII. 37. de Animal. ubi de Pori elephanto, idem quod Plutarchus tradit, adjicitque semet ipsum inclinasse, quasi diceret, sua sponte, non a magistro jussum, procubuisse. Sed Curtio potius credam, sic enim edocebantur. Seneca Epist. LXXXV. 43. 'Elephantum minimus Æthiops jubet subsidere in genua.' Vide Marcil. ad Martial. I. 17. Idem Ælian. III. 46. similia fere, quæ de Pori elephanto Curtius, de alio Indico narrat, qui dominum suum protexerit, et labentem promuscide sustulerit. *Freinsh.*

§ 41 *Quæ malum*] Similiter fere Perseum percunctatur Æmilius Paullus apud Livium XLV. 8. *Freinsh.*

§ 43 *Rursus interrogatus*] Plutarchus accuratius Alexandrum quæsivisse, quid sibi fieri vellet, quomodo tractari postularet: Porum βασιλικῶς respondisse: regie se scilicet velle tractari. Porro Alexandrum interrogasse, Ecquid amplius vellet: ille, Omnia, inquit, dixi, cum βασιλικῶς dixi. Egregie de hoc vere regio responso disserit Themistius Orat. IX. *Loccenius.*

Quid ipse] Avet, et audet animus

Digitized by Google

pro *ipse*, *in se* rescribere, nisi utrumque forsan aliis videatur. *Acidalius.*

Quod hic dies] Plutarchus cap. 106. et de Ira Cohib. cap. 16. cum Arriano v. 2. 48. simpliciter tradit, rogatum ab Alexandro Porum respondisse, *βασιλικῶς*, *regie*, seu *regaliter*, atque 'in eo esse omnia:' multo elegantior et urbanior est narratio Curtii. *Raderus.* Ego Curtio irascor, quod interpolaverit responsum Pori a Græcis relatum, quod et credibilius est, et admirandæ majestatis gravitatisque plenum. Egregie de eo disserentem Themistium vide Orat. IX. *Freinsh.*

§ 44 *Monendo profecit*] Sic apud Val. Max. III. 8. 8. 'Mævius, quo vitam constantius contempsit, eo facilius impetravit.' Plutarch. Lucullo cap. 28. 'Pomponius, non obscurus vir, saucius captus est, atque ad Mithridatem vulneribus gravis pertractus. Quem ubi rogavit rex, an, si ipsum conservasset, amicus sibi esset futurus, Sane, inquit, si pacem cum pop. Romano feceris; sin secus, hostis. Cujus rex admiratus virtutem, nihil eum læsit.' Eximie Seneca ad Helviam 13. 7. 'Qui adversus sævissimos casus se extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miserias infularum loco habet: quando ita affecti sumus, ut nihil æque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser.' De Q. Mucio Scævola notum ex Livio II. 12. 5. *Freinsh.*

§ 45 *Ampliore regno*] Suffragatur Plutarchus cap. 107. 'Adjecit liberorum ibi populorum, quos subegit, regionem, in qua nationes quindecim, urbium non mediocrium quinque millia, et vicos quamplurimos memorant fuisse.' Arrianus v. 2. 48. 'Aliam ei regionem vetere ampliorem adjecit.' *Raderus.* Habuit Plutarchus in animo, quod teste Plinio VI. 17. 19. 'Alexandri Magni comites in eo tractu Indiæ, quem subegerant, scripserunt quinque millia oppidorum fuisse, nullum Co minus, gentium IX.' adjicit Strabo lib. XV. 'regionem hanc totam ab Alexandro subactam, ac Poro esse traditam.' Est autem quod in utroque corrigendum putem: gentium numerum in Plutarcho; nam in novem Plinius cum Strabone consentiunt; in Plinio, quod non satis determinate descripserit tractum eum Indiæ, lectoremque in hunc errorem inducat, in quo fortassis et ipse fuit, ut putet totum Indiæ tractum ab Alexandro domitum intelligi, cum ejus comites hunc modo intellexerint, qui inter Hydaspem et Hypanim est, ut diserte tradit Strabo; et juvat Arrianus v. 3. 14. Nam inter Indum et Hydaspem multum terrarum subegerat, quas Poro non tradidit. Corrigendus etiam Eustathius ad Dionys. vs. 1141. *Freinsh.*

§ 46 *In hoste*] Habet enim hoc virtus, ut mirentur eam et hostes. Alexander hic supra IV. 6. 26. 'virtutis in hoste mirator' prædicatur.' Vibius Virius apud Livium XXVI. 13. 24. 'Et ipsi virtutem mirabuntur hostes.' Cicero in L. Pisonem cap. 32. 'Habet hoc virtus, ut viros forteis species ejus et pulchritudo etiam in hoste posita delectet.' Tale quid etiam Arrianus IV. 3. 31. ubi de voto Darii. *Freinsh.*

Quo majores] Quo tempore, anno, ætate Alexandri hæc perpetrata? Annum et anni tempus signavit Arrianus v. 2. 48. 'Hujusmodi,' inquit, 'exitum habuit pugna Alexandri adversus Porum et Indos trans Hydaspen amnem colentes, Archonte Athenis Hegemone, mense Martio.' At enim sup. num. 7. idem Arrian. de hoc ipso tempore, quo Hydaspen trajecit, sui immemor, ut videtur, scripsit, fuisse tum *solstitium æstivum*. Itaque auctori hæc concilianda relinquo et remitto. Diodor. XVII. 87. nonum hunc imperii annum Alexandri, et nonum et vigesimum ætatis, Chreme-

Digitized by Google

te Archonte Athenis, non Hegemone, ut Arrianus, scripsit: cum Diodoro facit ἀναγραφὴ Ὀλυμπιάδων. ὈΛ. ΡΙΓ. Χρέμης. Ἀλέξανδρος παρατάξει τὸν Πῶρον νικᾷ. *Raderus.* Consule Meursium de Archont. Athen. IV. 14. *Freinsh.*

LIBER IX.

CAP. I. § 1 *Soli victimis*] Quasi Solis beneficio partes Orientis sibi essent apertæ; unde et aras ad Hypasin fluvium positas inter alios Ἡλίῳ Ἰνδῷ, *Soli Indico*, dedicavit. Philostr. *Loccenius.* *Soli victimis cæsis*] 'Cujus beneficio partes Orientis subegisset,' Diodor. XVII. 89. Eodem pertinet elephantus Soli consecratus, ut ex Philostrato II. 6. paullo supra narratum est. Apud eumdem II. 15. legimus eum etiam aras, de quibus infra, *Soli Indico* inscripsisse. Quod fortasse ansam præbuerit fabulosis narrationibus de arbore solis fatidica. *Freinsh.*

Qui promtioribus animis reliqua belli munia obirent] Editiones, *quo promtioribus animis reliqua belli munia obiret*, quæ nostris meliora esse, qui affirmanti credet, is mero meridie, si dixeris illi tenebras esse, credet. *Modius.*

Milites pro concione laudatos] Addubitat acutissimus J. Broukhusius ad Tibullum I. 1. 57. et putat Græcis ignotum fuisse hunc morem collaudandi et donandi milites pro concione; adeoque videndum monet, num ex vero hæc scripserit Curtius. Certe Noster sibi constat, nam sic iterum X. 5. 10. 'vigor ejus et vultus . . . fortes viros pro concione donantis (quod laudationem involvit) occurrebant oculis.' An vero hoc adeo frequens et usitatum fuerit inter Græcos, ut de Romanis testatur Polyb. VI. 37. non facit ad reprehendendum Curtium, qui tantum ad comitatem et liberalitatem Alexandri refert, qua in re suos Græcos auctores habuerit; nam sic attestatur et Arrianus de eodem II. 12. Σὺν τῇ δυνάμει πάσῃ ἐκτεταγμένῃ ὡς λαμπρότατα ἐς πόλεμον· καὶ λόγῳ τε ἐπεκόσμησεν ὅσοις τι διαπρεπὲς ἔργον ἐν τῇ μάχῃ ἢ αὐτὸς συνέγνω εἰργασμένον, ἢ ἀκοῇ συμφωνούμενον ἔλαβε, καὶ χρημάτων ἐπιδόσει ὡς ἑκάστους σὺν τῇ ἀξίᾳ ἐτίμησε. *Snak.*

§ 2 *Ceteram*] Ego sic divinem: *ceterum opimam prædam, cel. op. in ea regione manere, &c. repleturos.* Freinsh. Et quidni ex consensu Mss. *Cetera opimam prædam?* Miror doctissimos commentatores hanc locutionem prætermisisse, eamque intactam hoc loco reliquisse: nec dubito, quin vera sit scriptura codicum, quos vidimus, quibus consentiunt Pal. 1. et Dan. *cetera opimam prædam*, eleganti et nervosa synthesi: non quod *cetera* singulari numero minus sit usitatum, quod nemo dixerit; sed quid hoc loco designet præ illo plurali, quod codices exhibent, non sentio. Sensus enim qui nunc est insipidus, hac distinctione fit ornatior et gustum movet. Illi similis locutio, quam habes VII. 4. 40. 'Spolia hostium seu opimum belli decus.' Item Noster VII. 11. 'Præmium erit...talenta X.' Florus II. 10. 2. 'Initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eademque exitii caussa.' Idem II. 17. sic apud eumdem Cl. Grævius IV. 12. 26. legit, 'Victor namque Drusus equos, pecora, torques eo-

Digitized by Google

rum, ipsosque, prædam divisit, et perdidit;' ubi vulgo editur 'præda,' quod vix ullum habet sensum. Sic Virgil. Ecl. VIII. 58. 'Omnia vel medium fiant mare.' Idem Æn. v. 110. 'sacri tripodes viridesque coronæ, Et palmæ pretium victoribus.' Iterum ordine inverso Æn. v. 359. 'Clypeum adferri jussit Didymaonis artes.' Cic. x. Fam. 4. 'Ne nostra mala suam puteut occasionem.' Et quæ sunt istiusmodi infinita. Verum si juvat servare literarum vestigia (quæ in nostris libris nulla erant) legi præstaret, *cetera in prædam opimam;* similisque esset formula Justini XI. 12. 'In pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit.' Sed ibi quoque summus Gronovius ex Mss. codd. expunxit illud *in*, et legit 'pretium regnum,' ut melior sit lectio prior, quæ est ex Mss. *Snak.*

In ea regione] Forte, *Indiæ ea reg.* vel, *Indis ea regione imminere.* Heinsius.

Repleturum] Leg. *repletum iri*, vel *repleturos.* Heinsius. Prius subjicit etiam Ms. Voss. 1. *Snak.*

§ 3 *Adfirmatio*] Quæ ille in rebus quasi de se optatos pollicebatur exitus; et sic eleganter sumitur pro asseveratione; ut VII. 11. 35. 'Multa adfirmatione, animique pariter constantia.' Sic apud Plinium XXVIII. 26. 'constantissima annalium adfirmatio.' Noster IX. 2. 8. 'Adfirmatio Pori . . . injecerat curam.' Et sic 'adfirmare' apud Phædrum I. 17. 'non unum modo deberi dixit, verum adfirmavit decem.' Idem III. 3. 9. 'Ille autem adfirmat conjugem esse adulteram.' Noster IX. 5. 28. Adde Cl. Burmann. ad Quintilian. Declam. XVIII. *Snak.*

Ut cum totam Asiam] Seneca Pater Suasor. 1. *Loccenius.*

§ 4 *Serpentes*] 'Ad sedecim usque cubitorum longitudinem porrectos,' Diodor. XVII. 90. hoc est, quatuor et viginti pedes. Idem (Ælian. Hist. An. XVII. 2. ex Clitarcho, et) Arrian. Ind. II. 35. testatur, qui tamen addit etiam multo majores ex Indorum narratione reperiri. Sed quid hæc ad Strabonem lib. XV. qui ex Onesicrito refert in Abisari regione duos dracones nutritos, quorum alter 80. cubitos, alter 140. longitudine æquaret, qui ducentos decem pedes efficiunt. Adde Plinium VIII. 14. 'Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. Metrodorus circa Rhindacum amnem in ponto, ut supervolantes, quamvis alte perniciterque, alites haustu raptas absorbeant. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam a Regulo Imperatore ballistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens 120. pedum longitudinis: pellis ejus maxillæque usque ad bellum Numantinum duravere Romæ in templo.' (Cur non addidit quo templo? an Capitolino? an rectius apud Obsequentem cap. 29. legitur, 'in publico?' Vide et Florum II. 2. 20.) Polyhistor. cap. 55. de Indicis serpentibus: 'Enormitas in serpentibus tanta est, ut cervos, et animantium alia ad parem molem tota hauriant,' &c. Sed omnium narrationes vincit Maximus Tyrius Dissertatione XXXVIII. Taxiles Alexandro varia mira ostendit: 'In his animal erat maximum Baccho sacrum, cui victimas quotidie Indi mactabant: hoc animal draco erat, qui jugera terræ quinque corpore æquaret.' *Raderus.* De draconibus et elephantis quos illi enecent, Plinius VIII. 11. et alii: eleganter autem Apuleius in Floridis. Apud Sciratas quoque serpentes maximos nasci tradit Ælianus Hist. Anim. XVI. 22. et ejusdem lib. cap. 39. de Abisaris draconibus idem recenset, quod Strabo verbis modo relatis: unde constat Abisarem esse, qui apud Ælian. 'Aposisares' legitur, ut supra quoque monuimus: deinde falli inter-

Digitized by Google

pretem qui verba πηχῶν μ καὶ β reddit, *sex et quadraginta cubitorum*; cum sint centum quadraginta. Vide et Philostrat. II. 8. de Arcesine, qui Nostro Acesines. *Freinsh.*

§ 5 *Rarum alibi animal*] Quod ne Indiam quidem generare supra VIII. 9. 17. quamquam falso dixerat. Alibi tamen perrarum, in ipsa quoque India; raro etiam alinnde advectum in alias regiones, sicut vel Pompeii ludis, ut Plinius refert N. H. VIII. 20. vel, ut habet Dio lib. LL. p. 460. Augusti triumpho Ægyptiaco primum Romæ visum fuit. *Cellar.*

Erant] Malim *errant*. Freinsh.

Beluis eis inditum a Græcis] Vide hic insignem membranarum impudentiam, quæ postulent sibi credi, Rhinocerotes non a Græcis hoc nomen accepisse, sed ab ipsis Indis, et suadent scribendum, *ceterum hoc nomen beluis inditum a Græci sermonis ignaris, aliud lingua sua usurpant*; sed frustra sunt, nemo credit. *Modius.* Leg. *aliud Indi sua lingua usurpant*. Heinsius. Dum variant codices, nonnulli *eis*, alii *ejus* omittunt; quidam *Græci* scribunt, depravatæ lectionis merito suspicionem movent. An non legi posset, *Hoc nomen beluis ab his* (Macedonibus) *inditum; Græci sermonis ignari aliud sua lingua usurpant*? Snak.

§ 6 *Duabus urbibus*] Nicæa et Bucephala. Arrian. lib. V. *Cellar.*

In utraque fluminis ripa] Fluvii Hydaspis, in cujus citeriore ripa Nicæam, in ulteriore Bucephalam locant. Ptolemæus autem VII. 1. facit Bucephalam citeriorem. Acesini, quod flumen ultra Hydaspem est, has urbes apponit Diodor. XVII. 95. quem videtur infra Curtius cap. 3. 23. secutus esse. *Cellar.*

Coronis] Sic etiam postea Nearchum et Leonnatum aureis coronis coronavit, Arrian. Ind. VII. 13. *Freinshemius.*

Mille aureis] Quos eamdem summam conficere scribit Scaliger, quam supra VIII. 6. 19. 'quinquaginta sestertia.' *Freinsh.*

In amicitia] Editiones, *quem in militia obtinebant, aut navatæ operæ honos est habitus*, posteriora optime; scribendum enim, *ceteris quoque pro portione, aut gradu, quem in amicitia obtinebant, aut navatæ operæ honos est habitus*. Modius. Ex aliis editionibus sic inserit et emendat Modius: mihi inserenda quidem olim ista videbantur omnino, sed non illo loco. Neque nunc de insertione muto, de loco tamen nihil turbo. Nam sermonem ita tunc struebam, ut conjungerentur *proportione navatæ operæ*. Itaque duplex existebat ordo, et poterant vel præcedere ista, *pro gradu quem in amicitia obtinebant*, vel eadem sequi: de quibus utrum melius, non statuebam; utrumque bonum arbitrabar. Alia nunc sententia sedet, abesse minimam literam, qua restituta sub eo quo vulgo leguntur ordine, præclare sit locus restitutus. Scribo, *ceteris quoque pro portione aut gradus, quem*, &c. exaudies sc. et *operæ* et *gradus* portionem. *Acidalius.* Ex emendatione Acidalii sic edidit Raderus; alii, *gradu*, haud recte. *Freinsh.*

§ 7 *Per legatos*] Nihil de hac priore legatione apud historicos reperire licet, quam infructuosam fuisse aut dolosam oportet, quia post illam auxilio venit, sero quamvis, regi Poro contra Alexandrum. *Cellar.*

Corpus suum dedere] *Debere* membranæ, et ita etiam lib. IV. quo loco est, 'Rhodii urbem suam portusque dedebant Alexandro,' referebant illæ, et quædam editiones, *debebant*; male. *Modius.*

§ 8 *Ad se venturum*] De Abissare non prosequitur Curtius, quid postea acciderit; nec enim si hæc fuissent ita acta, distulisset in eum movere Alexander. Quod cum non evenerit, verior omnino mihi videtur Arrian. V. 428. narratio: Abisarem per legatos excusasse valetudinem, A-

Digitized by Google

lexandrum excusationem accepisse. *Freinsh.*

Poro amne] Excusi libri, *Poro amneque superato*, quæ lectio ab iis procul dubio manavit, qui amnem etiam hoc nomine in India esse ignorabant. *Modius. Poro amneque*] Sic omnes editiones Modianis antiquiores habent, quæ lectio, inquit Modius, ab iis procul dubio manavit, qui amnem etiam hoc nomine in India ignorabant. Sed velim discere ex Modio, apud quem Geographum, aut historicum, aut scriptorem, amnem Porum legerit. Ptolemæus quidem 'Porvaros' Indiæ populos laudat, sed de ipso flumine Poro nulla apud ipsum vox, nisi dicas Porvaros a Poro amne derivari. In chirographo Constantiensi *Poro amne superato* scriptum est, quomodo legit etiam in suis Mss. Modius, et edidit. Si Porus amnis non fuit, quæro, quem amnem victo Poro superavit, cum ante conflictum Hydaspen, ad quem castra habebat Porus, trajecisset, Pori autem nulla prius facta sit mentio? sequor ergo Modium, quoad in meliorem rei cognitionem veniam. *Raderus.* Multa mihi succurrunt, stabiliendo huic loco, vel subvertendo. Possis enim dicere, Curtium reliquam Alexandri expeditionem relaturum repetisse illa, *Poro amneque* (Hydaspe) *superato*, ut sciretur, quo porro fuerit profectus. Sed magis est, ut de Acesine transmisso hic agat. Nam inter Hydaspen et Hyaroten, de quo mox num. 13. Acesinem esse constat ex Strabone. Quin et diserte Arrian. v. 3. 8. narrat, eum hoc tempore Acesinem transivisse. Fortassis igitur scribendum, *Hinc Poro Acesineque superato*; notandum enim, Curtium in his postremis libris valde properare; quædam magna negotia omnino prætermittere, alia leviter attingere: quod hic quoque factum puto, et expeditionem in alterum Porum, illius magni nepotem, cujus præter Arrianum etiam Strabo meminit, verbo signatam. Eodem enim tempore Acesinem transmisit, istique Poro arma intulit. Arrianum inspice, qui tamen cum Strabone illi Poro regionem intra Hyaroten et Hypasin tribuit. Nec tamen absurdum eum ad Acesinen quoque imperasse: videtur utique vicinus alteri Poro fuisse. *Freinsh. Poro amneque*] Quidam libri, *Poro amne superato*; sed nusquam amnis hujus nominis adparet. Aliis *Porus* rex est, et *amnis* Hydaspes, vel Acesines, ut *superandi* verbum semel positum distincte significet, vincere regem et trajicere fluvium. In his quidam *Acesine* pro *amne* substituunt. Quod vero dura verbi semel positi in tam diverso sensu accommodatio est, Tellierius suspicatur, excidisse aliquid inter voces *Poro* et *amne*, quod forte huic in sensum suppleri possit: *hinc Poro* comite movit ad Acesinem, *amneque superato*. Nam comitem Porum habuisse ex cap. 2. 5. constat. *Cellar. Poro amneque*] Lege *Hinc porro amne superato*, vel *Cum Poro amne superato*. Heinsius. Quæ ad hunc locum Cl. Freinshemius de nimia Curtii in extremis libris properatione, et inde conflatis omissionibus notanda monuit, non fugerunt perspicacissimum in his Cl. Clericum; sed avidissime arripuit, eoque testimonio inclementem suam adornavit sententiam. Judic. de Curt. cap. 5. § 15. Sane locus est vexatissimus, et videtur vero propior Freinshemiana interpretatio: nam etiamsi inter hæc, quæ gesta sunt interea, tempus et locus intercesserint, Curtius tamen in hac de Poro victoria describenda occupatus, ad alia transiturus, conjungit, quasi ea, quæ interim acciderint, tanti non essent, dum grandiora animo ejus obversabantur. Verum difficultatem illam significationis, quam adfert Tellierius, sane non adsequor; ac si 'non satis apte idem verbum super-

Digitized by Google

andi simul et semel de Poro deque fluvio dicatur, sensu admodum dissimili, nimiumque violenta accommodatione.' Nihil sane optimis scriptoribus usitatius, et elegantiæ potius quam *συγχύσει* adscribendum; adeoque ut in iis sibi placuisse poëtæ videantur. sic sæpe apud castigatissimum Maronem 'tendere cum voce ad sidera palmas.' Et infinita talia apud Ovid. si alia desideras exempla, Sanctius et consummatissimus Perizonius explebit ad Minervam IV. 8. unum addam ex Nostro ejusdem verbi eodem utriusque significationis *ζεύγματι*. IV. 9. 22. 'Sic Granicum tot millibus equitum peditumque in ulteriore stantibus ripa superavit; sic angustis in Cilicia callibus tantam multitudinem hostium.' *Snak.*

§ 9 *Arboribus umbrosæ*] De mirandis his circa Acesinem et Hyarotim arboribus Strabo lib. XV. ex Aristobulo tradit tantæ magnitudinis esse, *ὥστε ὑφ' ἑνὶ δένδρῳ μεσημβρίζειν σκιαζομένους ἑκατὸν πεντήκοντα. Ut sub una arbore quinquaginta equites meridiari possent.* Cellarius.

§ 10 *Plerique*] Forte *plerisque*. Heinsius.

In humum rursus] *In unum* membranæ, non recte. *Modius.*

§ 12 *Ab incolis remedium oblatum*] Radix quædam, teste Diodoro. Prius vero quam remedium illud repertum, lectos ab arboribus suspensos Macedones habuernnt, in iisque a serpentum insultu tuti jacuernnt. *Loccenius.*

§ 13 *Hyaroten*] *Hydraoten* Arrianus V. 3. 13. appellat, *Hyarotidem* Geograph. lib. XV. *Raderus. Hyarotim*] Ita veteres Curtii libri vocant hoc flumen, et Strabo lib. I. *Ὑάρωτιν*. Recentius editi, *Hydraoten*, quæ ex Arriano petita appellatio est. Miscetur Acesini, suumque nomen amittit. Arrian. lib. IV. Strabo cap. 1. *Cellar.*

Agrestium pavonum] Horum iconismum spectabis apud Ulyssem Aldrovandum lib. XX. Ornithol. Græcis *ταὼς ἄγριος* vocatur, Latinis recentioribus *vanellus*, Aristoteli *αἴξ*, vulgo *capella*. 'Avis est pulchra, columbina magnitudine, cristato capite, ut pavo, in collo viridi colore et lucente, reliquo corpore varia,' &c. Plura Ornithologus et Bellonius cognita sane jucunda: sed hæc nobis satis. *Raderus.*

§ 14 *Oppositum erat*] *Positum erat* vulgo. *Modius.* Pimprama nomine, secundis castris ab Hyarote fluvio. Arrian. lib. V. *Cellar.*

Ad urbem magnam] Cui 'Sangala' nomen, in gente Cathæorum, Arrian. lib. V. et Polyæn. IV. 3. 30. *Freinshemius.*

Ut in ea regione] Ex hoc loco, et mente politissimi Nic. Heinsii elegantem hujus conjunctionis usum Præstantissimus J. G. Grævius adseruit Floro III. 3. 1. *Snak.*

§ 15 *Tela aliis hastæ*] Hoc boni viri, egentes correctore correctores, sic interpolaverant: *aliis tela, aliis hastæ, aliis secures erant;* mirum, ni, ut ille nescio quis, ter cerebrum helleboro purgarunt, qui tam acuti sint. *Modius.* Credo legendum ex Mss. *tela aliis hastæ, aliis secures erant:* pro quolibet armorum, quibus hostis petitur, genere *tela* poni notum est. *Freinsh.*

§ 16 *Incondito agmine*] *Auxilio* editiones, quod minus convenit. *Modius.*

§ 17 *Jussit incidi*] Desunt opinor duo triave hic verba, vel fortasse unica vox *rex;* nec enim bene oratio hæc cum superioribus aliquot versibus conjungitur. Quis enim jussit incidi? Alexander certe; sed is ubi est in proximis versibus, ubi quid hostes, quid ipsi Macedones egerint narratur? legerim ergo, interjecta unica voce *rex, Et rex vincula, &c.* Raderus. Raderus inserta voce legit, *Et rex vincula quis conserta erant jussit incidi;* nec enim aliter cohære-

Digitized by Google

re orationem: probo, nisi quod ejus vice expungendam credo particulam *et*, quæ videtur ejus locum occupasse: *fodere ceperunt. Rex vincula, &c.* Et tamen auctores interdum diligentiam hanc connectendi prætermittunt, evidentia sensus et judicio lectorum satis confisi. Præbet exemplum ejus rei Catilina Sallustii cap. penultimo. *Freinsh.*

§ 18 *Scalis undique admotis*] Arrian. v. 2. 27. paullo copiosius, Indos prælio fusos de fuga cogitasse: Alexandrum id præsentientem duplici vallo oppidum cinxisse, præterquam qua stagnum obstabat: ea parte erumpentes a Ptolemæo, qui ibi præsidebat, cum clade rejectos: cum etiam currus priore pugna captos ad impediendam fugam transversos collocasset: Ἵνα πολλὰ ἐν νυκτὶ τὰ ἄπορα φαίνηται τοῖς φεύγουσιν. *Quo plures per noctem fugientibus difficultates apparerent.* Hunc enim horum verborum sensum esse putem; non, *Ut a fugientibus per noctem cerni non possent.* Eodem numero, est autem ex divisione nostra 29. pro *συνῆσαι*, lego *συνδῆσαι. Freinsh.*

Invictum exercitum, et Deorum] Qui *Deum* scribunt, tamen accipient *Deorum:* non enim ad regem solum trahes, qui se Deum ferebat, et ferebatur; credi volebat Deus, et a barbarorum plurimis credebatur. Exercitum Deorum capies, et tueberis alio gemino loco, qui inferius hoc ipso loco: 'Deorum exercitum, et alium Liberum Patrem adventare credebant.' *Acidalius.*

§ 21 *Deditioni imminebant*] Id est, omnem occasionem dedendi se captabant; usus verbi Nostro perquam familiaris. v. 11. 2. 'occasioni imminens.' Et hoc sensu vi. 6. 21. 'quamquam Besso imminens.' iv. 3. 24. 'imminens Dario.' Adde Indicem. *Snak.*

§ 22 *Ad proximam urbem*] Hæc urbs dicta est 'Pæta,' auctor Polyænus, qui eam maximam ac populosam fuisse lib. iv. Strateg. refert. Ad quam cum Alexander venisset, obsides ante aciem collocavit, senes, pueros, mulieres. Illi cum e muris suos gentiles agnovissent, et Alexandri humanitatem conspexissent, portas aperuerunt. Ea fama statim discurrens Indos persuasit, ut sua sponte Alexandrum acciperent. *Popma. Ad proximam urbem*] Quam nescio unde expiscatus sit interpres Polyæni iv. 3. 30. 'Pætam' fuisse vocatam; nisi forte pro *τρίτην πόλιν* tum legebatur *παίτην* corrupte. Narrat enim Alexandrum, Sangalis dirutis, cum sævitiæ fama apud barbaros laboraret, eamque amoliri cuperet, aliam deinceps urbem occupasse; cives benigne habuisse; obsidibusque acceptis, *ἐπὶ τρίτην πόλιν, ad tertiam urbem*, movisse: ante eam obsides ostendisse clementiæ suæ argumentum, eoque illos quoque hostes ad deditionem compulisse. *Freinsh.*

§ 23 *Vocaverunt*] Sic scripsi, cum in vulgatis libris legeretur *convocaverunt;* in membranis, *collocaverunt.* Modius. Leg. *ilico vocaverunt.* Heinsius. Hanc nob. Heinsii de hoc loco opinionem probat, ipsius nomine repetit, confirmat et pluribus adstruit eruditissimus Grævius ad Florum ii. 11. 1. *Snak.*

Ceteraque] An *ceteras quoque*, ut supra viii. 13. 3. *Freinsh.*

Deditas] Membranæ omnes, *demitas.* Modius.

§ 24 *Sophitis*] Straboni lib. xv. Diodoro xvii. 91. et Arriano vi. 1. 7. est Σωπείθης. Radero videtur Curtius ad *σοφίαν* respiciens, immutato paullisper nomine, pro Sopithe Sophiten dixisse. Ego Curtium ejus acuminis capacem fuisse non existimo. *Freinsh.*

Ut Barbari] Editiones, *gens (ut barbari credebant).* Ite quo digni cum vestro *credebant* fungi. *Modius.* Malo *ut in barbaris.* Heinsius.

Digitized by Google

Sapientia excellit] Cujus specimen habes apud Plutarch. cap. 112. de decem Gymnosophistis, quibus quæstiones proposuit Alexander. Idem narrat Clemens Alex. lib. VI. Stromatum. *Freinsh.*

§ 25 *Genitos liberos*] Multa de hoc more, et similibus aliarum gentium, imprimis de expositione infantum, Lipsius in Epist. ad Belgas I. 85. quem consule. Dempster. ad Rosin. Contra Lex erat Thebanorum, vero judicio Æliani II. 7. 'rectissime et humanissime,' ut illis temporibus, 'posita, Ne civi Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto.' Idem de Aboriginibus tradit Dionys. I. 16. 4. Κτείνειν γὰρ οὐδένα τῶν ἐγγόνων ἧττον, ἔγος οὐδένος ἔλαττον τοῦτο τιθέμενοι. Tacit. Hist. v. 5. 6. de Judæis 'necare quemquam ex adgnatis nefas.' Et de Morib. German. 'Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur.' *Freinsh.*

Si quos insignes] Iterum editiones, *si quos segnes*; male: *insignis* interpretatur vetus glossarium ἐπίσημος. Vide Festum. *Modius. Insignes*] Hoc est, inusitato naturæ dehonestamento notabiles, ut exponit Gebhard. Crepund. I. 5. ubi locum hunc ita a Modio dicit divine emendatum, firmatque aliis locis, et imprimis illo Suetonii Aug. 38. 6. 'Senio vel aliqua corporis labe insignibus.' Glossa, *Insignis* Ἐπίσημος, ut apud Matthæum 27. 16. de Barabba. Sic fere apud Livium VI. 1. 15. Alliensis dies 'insignis rei nulli publice privatimque agendæ.' Veram etiam hanc videri lectionem res ipsa, et collata aliorum populorum instituta faciunt. Romulus apud Dionys. lib. I. lege sanxit, 'nihil quod natum esset occidere ante triennii tempus, nisi aliquid mutilum, aut monstrosum statim a partu esset.' Seneca de Ira I. 15. 2. 'Portentosos fœtus extinguimus; liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, abjicimus.' Alter Seneca Controvers. 33. 'Nascuntur quidam aliqua parte corporis multati, infirmi, et in nullam spem idonei: quos parentes sui projicinnt magis, quam exponunt. Aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editos, aut corpore invalidos, abjiciunt.' Res et vox usurpata Curtio exstat etiam in XII. Tabulis, quo fortassis ille respexit: 'Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.' *Freinsh.* Similem errorem, quo 'segnes' pro 'insignes' obtruduntur, dispunxit in Hieronymo J. Fr. Gronovius in Observationibus Ecclesiast. cap. 19. et illustrans exemplis hunc Curtii locum adfert, in quo tamen, haud quaquam Curtio indignum fore judicat, si qui veteres libri *arbitria* pro *arbitrio* haberent: *non parentum arbitria tollunt alunique, sed eorum*, &c. Snak.

Inutiles notaverunt] Ita concepta erat vocis *inutilis* in membranis scriptura, ut potius pro ea *mutilos* reponendum videretur. Sed nihil muto; prius enim rei non male convenit, et erat in editis omnibus. *Modius.*

§ 26 *Nobilitate conjunctis*] Non rejicio; magis tamen credo, Curtium scripsisse *conjuncti*, literamque *s* adjunctam esse ex sequenti *sed*. Scheff.

Electa corporum specie] Cicero pro Deiotaro, 'Sed misit ex iis, quos habuit electos.' *Snak.*

Deseruissent urbem, an fraude se occulerent] Sic Galli ad Romam expugnandam appropinquantes, 'apertam urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus, invadunt;' ut inquit Florus I. 13. 14. et sic apud Justinum XXV. 2. 'Galli, ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes diu intrare portas timuerunt:' nam et dolus hostium hic Alexandro prope fatalis fuit. vide Nostrum IX. 4.

Digitized by Google

25. et ibid. cap. 5. Justinum XII. 9. 5. *Idem.*

§ 28 *Eminens*] Quatuor cubitorum facit Diodor. XVII. 91. adde supra ad VIII. 14. 13. *Freinsh.*

§ 29 *Inseruerat gemmas*] Locum hunc de aureis gemmatisve calceamentis, similibus exemplis explicant Bulenger. de Imp. Rom. II. 7. et imprimis Rubenius II. 14. quibus adde Martial. XII. 49. 'Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.' Cyprian. de Habitu Virg. 'sint a compedibus aureis pedes liberi.' Senec. de Benef. II. 12. 'Socculum auratum, imo aureum margaritis distinctum, ostendere eum (Caligulam) voluisse,' &c. Plinius XXXVII. 2. 4. Caius Princeps, 'super omnia muliebria, socculos induebat e margaritis.' Tertullian. de Cultu Feminar. II. 10. 'Grana nescio quæ (margaritas intelligit) quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt.' *Freinsh.*

§ 30 *Ex auribus*] Supra VIII. 9. 21. ad Martial. XI. 50. 'Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.' Plin. IX. 35. 21. de unionibus Cleopatræ: 'Gerebat auribus cum maxime singulare illud, et vere unicum naturæ opus.' Ad cujus imitationem apud Horat. II. Sat. 3. 'Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ, Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto Diluit insignem baccam.' Ovid. Met. X. 265. 'Aure leves baccæ; redimicula pectore pendent.' Juvenal. Sat. VI. 459. 'Auribus extentis magnos commisit elenchos.' Seneca de Beata Vita 17. 3. 'Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?' Hieronym. ad Demetriadem: 'Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum, rubri maris profunda testantium, smaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago; ad quæ ardent et insaniunt studia matronarum.' Silius XII. 229. 'miro candoris honore Lucet in aure lapis rubris advectus ab undis.' Sed piget omnium adplugere verba: ipse inspicere poteris Hieronymi Epist. 10. et de instit. filiæ ad Lætam; Cyprian. de Hab. Virgin. Lært. in Xenophonte, Lucillium; l. XXVI. de auro et arg. leg. Petronius: 'pertunde aures, ut imitemur Arabes.' Vide etiam quæ notavit Dempster. ad Antiquit. Rom. Rosini I. 20. *Freinsh.*

Candore et magn.] Vulgo, *colore et magn.* verum vera est hercle nostra lectio. *Modius. Candore*] Alii, *colore;* sed illud rectum; nam margaritas intelligit, quorum præcipuas inter dotes candor: nec moveare quod lapillos ait. Sic enim in citato modo Silii versu describi videsunt uniones. De candidissimo unione, quem Justinianus centum auri libris licitatus est, miram narrationem apud Cedrenum vide. *Freinsh.*

Beryllis] De his Solinus cap. 55. 'Beryllos in sexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem coloris lenitatem angulorum repercussu excitent ad vigorem. Beryllorum genus dividitur in speciem multifariam,' &c. Vide et Plinium XXXVII. 5. 27. Periegetes vs. 1012. etiam in Babylonia ex ophite lapide nasci canit: ad quem locum plura Eustathius. *Raderus.*

Sospes] Non intelligo: quid si *sospites*, ut ad se, liberosque, et gentem referat? *Freinsh.* Vulgo *sospes*, ut ad Alexandrum referatur, incongruente sensu; aptius *sospites* pluraliter, ad se liberosque; et hoc quidem ex mente et ingenio Freinshemii, quem secutus est Tellierius. Blancardus autem suspicatur legendum esse *ut sospes viveret*, ad Arrian. p. 380. *Cellar.* Forte *sospites* vel *Sophites*, et tum dele τὸ *ut*. Heinsius.

§ 31 *Canes*] Adi Geographum lib. XV. Diod. Sic. XVII. 92. Ælian. de Anim. VIII. 1. optime hæc describentem, Plinium VIII. 40. Solin. cap. 25. *Raderus.* Vide et Pollucem V. 5. Ælian. IV. 19. Ctesiam apud Photium, Plutarch. de Solertia Animal. cap.

Digitized by Google

35. ubi πρὸς Ἀλέξανδρον, valet, *apud Alexandrum*. Insigni robore canis Molossorum regi fuit, ex quo Cerberum suum confinxere poëtæ, qui Pirithoum laceravit: sive potius Palæphato credendum, Geryonis fuisse. Alyattes Lydus Cimmerios ex Asia exegit canum auxilio, ut in adjunctis ad Eusebium legimus, et in Polyæni Strateg. VII. 2. Similia exempla vide apud Lips. in Epist. ad Belgas I. 44. ubi multa egregia de canibus: item Camerar. Subcisiv. I. 24. et Patric. de Institut. Regis 3. 6. De iis etiam venatici poëtæ: ex quibus Gratii versus 291. &c. sic scribi velim: 'Jamque illum impatiens æquæ vehementia sortis Extulit, affectat materna regna sub alvo: Ubera tota tenet: stat tergo liber aperto,' &c. Canes autem eos Indicos ex cane et tygride nasci Diodor. XVII. 92. et Ælian. Hist. Anim. VIII. 1. 1. tradiderunt. Sic ex lupis canes Gallorum generari, Patricius scribit. In provincia Gingni Cathæis finitima hoc genus canes reperiri testatur Paulus Venetus II. 49. 'Ut duo canes et vir sagittarius equo insidens leonem sternant.' *Freinsh.*

§ 32 *In conspectu*] Ex cod. Danielis lego, *in consepto*. Freinsh.

Unius canis] *Unus*, quod in excusis libris erat, mutavi in *unius*, postulante id, ut mihi videbatur, sententia. *Modius.*

§ 33 *Moribundus*] An *moribundos?* ut apud Florum 'moribundæ manus.' *Freinsh.*

§ 34 *Plura transcribo*] Dignus animadversione locus; cui parallelus in Pausaniæ lib. VI. ubi de Oibota: 'Ea quidem, quæ vulgarint hac de re Græci, necesse habui commemorare; credere vero omnia nulla me res cogit.' Sueton. Claud. I. 15. 'Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem.' Sic Tacitus IV. 10. 1. cum 'in tradenda morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retulisset, non omittit eorumdem temporum rumorem.' Et II. 50. 3. 'Ut conquirere fabulosa, et fictis oblectare legentium animos, procul gravitate cœpti operis credit; ita vulgatis traditisque demere fidem non audet.' Herodot. III. 9. 'Ex iis, quæ narrantur, hoc quod dixi propius fidem est; tamen id quoque, quod minus credibile est, quandoquidem refertur, commemorare debeo.' Et lib. VII. Ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασιν ὀφείλω. Dio lib. LIV. de Augusto: 'Accipio etiam, ex oraculo quodam, aut somnio, quotannis certa die argenti nonnihil ab accedentibus quasi emendicantem accepisse: id si quis credendum non putet, tamen ita traditum est.' Ælian. de Hist. Anim. XVII. 14. 'Eudoxus ait (cui ego hac in re fidem non habeo, alios non prohibeo) se, cum Herculis columnas superasset, aves quasdam in stagnis (seu lacubus) vidisse, bubus majores; quod etsi mihi, ut dixi, non verisimile, omittere nolui: ἃ δ' οὖν ἤκουσα, οὐκ ἐσίγησα.' Sic Buchananus, narrato Jo. Cameroni Glascuæ Episcopi exitu: 'Hoc tam perspicuum divinæ ultionis exemplum, ut neque temere affirmare, nec refellere est animus; ita cum ab aliis sit proditum, et constanti rumore pervulgatum, omittere visum non est.' Quos aspexisse credibile Tuberonem lib. I. Hist. de temporibus suis: 'Nec equidem hæc scriptis inserui, ac si ambigerem, sine astu Jani Pontificis, &c. sed ne quid ex his, quæ tunc fama ferebantur, consulto videar subduxisse.' Opera tamen historiæ scriptoribus danda, ne in illos merito torqueatur illud Senecæ Nat. Quæst. IV. 3. 1. 'Historici, cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere; sed adjiciunt, Penes auctores fides erit.' *Freinsh. Equidem plura transcribo, quam credo*] Quid

Digitized by Google

potest elegantius dici, quid rectius? neque ignoravit V. Cl. hæc illius verba, verum 'frequentius hoc dictum oportuit' ait Judicii de Curtio p. 583. Id vero putidum foret, et ineptum, toties eadem repetere, nec satis habere, semel ea vel bis monuisse. Sed et nescimus, quid fecerit in duobus prioribus libris, qui interciderunt, et maxime in præfatione operis, ubi talia præcipue moneri solent. Quin refutat etiam IX. 5. 21. Clitarchum et Timagenem, de Ptolemæo narrantes ea, a quibus ipse tamen Ptolemæus se abfuisse tradiderit, licet si adfuisset ad ejus id pertinuisset gloriam: atque addit tunc hanc querelam: 'Tanta componentium vetusta rerum monumenta vel securitas, vel par huic vitium credulitas.' Ex quibus manifestum, non ita credulum fuisse, ut omnia temere reciperet, immo vero excussisse eum, et secutum maxime historicos fide dignissimos, id est, viros illustres; qui ipsi rebus gerendis partim interfuerunt, partim præfuerunt, ut fuit ille Ptolemæus Lagi F. postea rex Ægypti. Sequitur jam ex his, iniqne prorsus accusari Curtium, quando ea refert, quæ accepit a suis auctoribus, qui, vel inter quos certe, tales fuerunt, quales modo commemoravi. Et in hunc censum referenda sunt, quæ Vir Cl. in cap. 3. et 6. Judicii sui contulit; ubi sæpius ait Vir Doctus debuisse Curtium significare, se non credere istis. Ille vero satis habuit, semel, aut bis in universum monere lectores, se non omnia, quæ transcribat, credere, ratus haud dubie, hoc ubique repetere, anxiæ fore et putidæ diligentiæ, quæ multum haberet ostentationis. *Perizon. Curt. Vind.* p. 118.

Subducere] Neque hic mutandum *subticere: subducere* est ut subtrahere lib. VI. 'aliis nominatis me unum subtrahebat.' *Acidalius.*

§ 35 *Hypasin*] Ptolemæus, Plinius VI. 17. 23. Curtius hoc loco, et Arrianus *Hypasin* vocant: at Strabo lib. XV. Dionysius Afer vs. 1144. Martianus Capella, Solinus capite 52. et alii, *Hypanin*. Plinius IV. 12. 77. jam suo tempore hanc controversiam inter scriptores fuisse tradit, vehementerque eos errasse, qui Hypanim in parte Asiæ prodidere. In India autem supra flumen Hypasin solstitii die medio nullam umbram jaci Onesicritus refert, ut idem Plinius II. 73. auctor est. *Popma.* Arrianus V. 4. 27. et Philostratus *Hyphasin* appellant. Adde Salmas. ad Solin. p. 556. *Freinsh.*

§ 36 *Phegelis*] Mire variatur in regis hujus nomine. *Phegelis* hic, vulgo *Phegelas;* apud Diodorum *Phegeus* scribitur: sed ille, quocumque nomine, rectene dicitur apud Alexandrum substitisse? potius apud illum Alexander, quippe hospes in ejus regno. distinctionem muta leviter, et rem optime compones. 'Phegelis erat gentis proximæ rex, qui popularibus suis colere agros, ut adsueverant, jussis, Alexandro cum donis occurrit, nihil quod imperaret, detrectans. Biduum apud eum substitit rex: tertio die amnem superare decrevit.' Si me minus, at Diodorum audi, qui penitus persuadebit: Αὐτὸς δὲ εἰς τὴν Φηγέως δυναστείαν ἐμβαλὼν, καὶ τῶν ἐγχωρίων ἀσμένως τὴν τῶν Μακεδόνων παρουσίαν προσδεξαμένων, καὶ τοῦ Φηγέως μετὰ δώρων πολλῶν ἀπαντήσαντος, τὴν τε βασιλείαν ἔχειν συνεχώρησε, καὶ ξενισθεὶς μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ δύο ἡμέρας λαμπρῶς, ἐπὶ τὸν Ὕφασιν ποταμὸν προῆγεν. *Acidalius.* Rutgers. Var. Lect. VI. 14. in aliis exemplaribus reperierat *Phegelis.* Id si verum, inquit, ejus principis nomen est, non video quomodo Curtius Orbilii ferulam effugiat iis verbis, *Percontatus igitur Phegela.* A *Phegelis* enim non nisi *Phegelin* et *Phegelida* declinari potest. Ego scribendum puto, *Phegel, is erat gentis proximæ rex, &c.*

Digitized by Google

Apud Diodorum quoque XVII. 93. quo loco αὐτὸς δὲ εἰς τὴν Φηγέως δυναστείαν ἐμβαλὼν legitur, Φηγέλος legendum videtur: quidam tamen Mss. etiam apud Curtium habent *Phegeas;* et seq. cap. in quarto casu, *Phegea.* Nec utris credendum, facile dixeris: nisi quod potius Curtium e Diodoro emendandum arbitror. Indicem vide. *Freinsh.*

CAP. II. § 1 *Biduum*] Ab hac voce caput orsus sum, verissimam Acidalii distinctionem sequutus. Nam vulgata dicebat Indum apud Alexandrum substitisse, quod contra gestum, præter rationis conjecturam, etiam Diodorus XVII. 93. aperte docet. *Freinsh.*

Transitu difficilem] Membranæ, *transitum difficilem.* Modius.

§ 3 *Gangem maximum*] Arrianus v. 1. 15. 'Indus omnium Asiæ atque Europæ fluviorum maximus est, præter Gangem.' Idem Indic. I. 10. 'Ex duobus maximis fluminibus Gange atque Indo, Megasthenes Gangem Indo longe majorem esse scribit. Idem sentiunt alii omnes, qui Gangis mentionem in scriptis suis faciunt.' Strabo lib. XV. Gangem omnium fluminum maximum, secundum Indum, tertium Istrum, quartum Nilum consensu tradi scribit. Diodorus XVII. 93. 'latitudinem ei stadiorum XXXII.' tribuit: 'profunditatem tantam, ut omnia per Indiam flumina superet.' Eamdem latitudinem, profunditatem vero centum orgyiarum adscribit ei Plutarch. Alex. cap. 108. Plinius VI. 17. 20. 'Proditur, Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta navigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enavigare, adjectis paucis diebus: et tamen minorem Gange esse constat.' Gangis igitur oblitus erat Cicero de Natura Deorum II. 5. 2. Indum 'omnium fluminum maximum esse' prædicans. *Freinsh.*

Gangaridas] Hos Periegetes vs. 1144. *Gargaridas* vocat, Bacchi cultores. Strabo lib. XV. Diodor. XVII. 93. Plutarch. cap. 108. Stephanus *Gandaridas:* cum Curtio autem *Gangaridas* appellat Virgil. Georg. III. 27. Ptolemæus, Vibius Sequester, Plin. VI. 19. Solin. cap. 54. Justin. XII. 8. 9. Oros. III. 19. Haud dubie a Gange, cujus accolæ sunt, ut docent cum Curtio omnes. *Raderus. Gandaridas* defendit Salmasius ad Solinum, pag. 698. Hodie *Bengalam* id regnum appellari credit Stuckius in Peripl. Maris Erythræi. *Freinsh.* Plinii et Curtii scriptura tutior ceteris videtur, quia circa Gangem dicuntur habitasse, ut accolis ex suo amnis nomen concesserit. *Cellar.*

Pharrasios] Hos Plutarch. cap. 108. *Præsios, Præsidas,* seu *Præsidias,* Justin. XII. 8. 9. Diodor. XVII. 93. *Tabrasio, Prasios* Strabo lib. XV. et Solin. cap. 55. nominat, qui Palibothra urbem incolunt. *Raderus.* Salmasius ad dictum Solini locum in Curtio quoque *Prasios* legendum censet. *Freinsh.* Hoc nomen ex Strabone lib. XV. et Plinio VI. 19. Salmas. ad Solin. pag. 699. Harduinus ad Plinium loco citato not. crit. et Blancardus ad Arrian. p. 365. præferunt vulgato *Pharrasios* vel *Parrhasios,* quod videtur ex corrupto Παρρασίων Diodori, quem ad verbum Curtius hic expressit, originem habere. Ceterum Prasii a Metropoli Palibothra, quam Strabo quoque laudat, secundum Plinium etiam 'Palibothri' appellantur, nec vero in ulteriori Gangis ripa fuerunt, ut Curtius putat; sed citerioris inter Indum et Gangem, auctoribus Mela III. 7. et Plinio cit. l. adde Harduinum dicto loco. *Cellarius.* Dissentit tamen Salmasius d. l. qui hic citatos scriptores castigat, Strabone eos ponente inter Hypanin et Hiarotin. Verum stupendo argutæ subtilitatis acumine ab his *Pharrasiis,* in *Phrasios* contractis, *Frisiæ* suæ originem arcessit Suffridus Petri lib. III. Orig. Fris. refellente Ubb. Emmio in Refut. Apol. et

Digitized by Google

mendacia prisci temporis explodente Ampl. Mens. Altingio. *Suak.*

§ 4 *Dicebat*] Radit aures meas hoc verbum, quod a Curtio nunquam scriptum, sed a librariis adscriptum. Apage rem malam. Modus autem hoc tulit? miror, qui quidem alia tam multa passim hujus exempli sustulerit: hoc quidem loco non magis id retinere debuit, quam aliis, unde similia, et hoc ipsum sæpe jam pridem exturbavit: sed et alibi superant etiamnum, quæ nobis tollenda prudens an imprudens reliquit. Omnis oratio hæc a remotiori verbo pendet, quod ubique subintelligendum. *Acidalius.* Expungit hanc vocem Acidalius: mihi potius innoxia videtur, quam necessaria. *Freinsh.*

§ 6 *Ultimæ sortis*] Hoc est, deterrimæ et pessimæ, ut explicat Servius ad Virgil. Æn. IV. 537. Juvenal. Sat. VIII. 44. 'Vos humiles, inquit, vulgi pars ultima nostri.' Sic Andriscus, sive Pseudophilippus dicitur 'vir ultimæ sortis' in Epit. Livii lib. XXXIX. et apud Florum II. 14. 3. ubi consule accuratissimum Dukerum. Noster IX. 5. 11. 'Ultimi dedecoris indignitate commotus.' *Snak.*

Tonsorem] De humili loco natis qui clari evaserunt toto cap. 4. lib. III. Val. Max. plurima exempla Zwingerus in Theatrum suum contulit p. 949. Tiraquell. de Nobilitate IV. 4. 8. adde Gruterum pr. notarum ad Ammianum. *Freinsh.*

§ 7 *Sub specie tutelæ*] Qua arte usus Tarquinius Priscus, de quo Liv. I. 34. 14. &c. et I. 40. 2. quem ad locum Gruterus: 'Nihil uspiam esse usitatius, quam ut tutores regnum invadant pupillorum suorum, mille exemplis demonstrari poterat. quædam proposuimus ad Epitomen 55. f.' ubi Typhonis scelus, qui pupillum suum Syriæ regem interfecit, proque eo regnum invasit, narratur. Ad eum ergo locum notat exemplum Archelai Macedonis, ex Platonis Gorgia: Agrammis ex Curtio: Agemonis Corinthii ex Diodoro apud Georgium Monachum. Deinde conatus Agathoclis, qui apud Ptolemæum in summum potentiæ gradum adscenderat, ex Polybio XV. 26. et Alexandri, qui frater erat Leonis, ex Zonaræ tomo tertio. Potest his addi Antigonus Macedo, cui et cognomentum tutoris mansit, apud Justin. XXVIII. 3. 10. 'Antiochi Eupatoris tutores,' apud eumdem XXXIV. 3. 9. quos tamen crimine liberat Appiani Syriaca. Albertus I. Imp. apud Cuspinianum: Fridericus I. Elector Palatinus, apud Trithemium in anno 1452. et Æn. Sylvium cap. 40. de Europa. Quantum his omnibus præferenda Lycurgi moderatio? qui 'cum fratri suo Polybitæ Spartanorum regi successisset, regnumque sibi vindicare potuisset, Charillo filio ejus, qui natus postumus fuerat, cum ad ætatem adultam pervenisset, regnum summa fide restituit: ut intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valerent.' Justin. III. 3. 5. *Freinsh.*

Regnat] Leg. *regnet*. Heinsius.

§ 9 *Persequi terminum*] Clarior erat oratio, si foret *terminum persequi*. Freinsh.

Avaritia gloriæ] Avaritiam et aviditatem laudis et gloriæ veteres dixerunt. Sallust. Catil. 'laudis avidi.' Et Horat. 'Graiis præter laudem nullius avaris.' *Popma.*

§ 10 *Naturæ obstantes difficultates*] Malim, *obstantis*; vulgata lectio ex eo videtur, quia illa syllaba finalis *is* non raro apud Nostrum reperitur scripta per *es*, quod et hic putarunt factum, cum præsertim sequeretur, *difficultates*, ad quod retulere. *Scheff.*

§ 11 *Senes facti ... labore defatigatus*] Labore sc. octo annorum, tamdiu enim Alexandrum secutus erat. *Loccenius. Senes facti*] Logico calculo exacta hæc militum ætas, viridis admodum fuerit senectus, et hæc rhe-

Digitized by Google

torico augmento magis, quam histerica fide accelerata videatur, ut hi nono jam anno Alexandrum secuti, quod Alexandri nomine ipse Noster testatur IX. 6. 21. jam senium contraxerint. Cursibus potius, et tot regionibus peragrandis, domandisque gentibus, in acie et castris laboribus fracti et debilitati dicantur, quam senio confecti. Visa certe sunt hæc ita perspicacissimo in his Cl. Clerico 'absurda' esse, 'si intelligantur de bellis ab Alexandro gestis.' Sed nunc indulgentior Curtio præter consuetudinem ipse ejus causam agit, eumque juvat docendo vocem 'senex interdum hominem non provectæ admodum ætatis significare, ut colligere est ex verbis Livii XXX. 30. ubi ita veteranum imperatorem Annibalem loquentem inducit: 'Quod ad me attinet, jam ætas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quam fortunam malim.' Verum postea idem Annibal eodem lib. c. 37. apud Carthaginenses, 'novem' inquit 'annorum a vobis profectus, post trigesimum sextum annum redii.' Erat ergo annorum quadraginta quinque, quæ vix dicatur 'senilis' ætas, si ea voce significamus, quod vulgo γῆρας vocant Græci: at opposita pueritiæ aut adolescentiæ eo nomine appellari queat. Sic et in exercitu Alexandri, milites, qui ab octo annis signa ejus sequebantur, poterunt dici 'senes facti,' si adtigerant eamdem ætatem, qua Annibal senem se vocabat, imo senes verius dici poterant, si quinquagesimo anno nomen militiæ dedissent.' Hæc ille Judicii de Curtio c. 4. 5. 6. 7. præmonuerat etiam paullo ante V. Cl. 'Alexandrum sibi facta imputare non posse stipendia, quæ sub Philippo meruerant.' Quæ postrema verba non capio, et fateor, ista responsurum fuisse, nisi occupasset V. Cl. Utique de stipendiis, et meritis, aut rebus gestis non agitur, sed de ætate, quæ sub Philippo maturata, his in castris provecta erat, et qui in illis effluxerant anni, certe militibus Alexandri annumerabantur, eorumque ætatem aggravabant. Et quid ni milites annorum quinquagínta conscripserit Alexander, 'quum,' testé Justino XI. 6. 3. 'ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos, nec primum florem ætatis; sed veteranos, plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militaverant, elegit, ut non tam milites, quam magistros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit.' Mirumne ergo hos non longissimo hoc bello, sed prioribus etiam, et nunc festinationibus, laboribus, præliis per obstantes naturæ difficultates protractos dici 'senes factos,' qui veterani emeritæ militiæ ad hoc bellum erant evocati? Certe non dicit Alexander suis in castris esse senes factos, sed longinqua in castris mora, etiam sub patre patruisque, adeoque ipsis ætatem imputabat. Adde quod ob debilitatas vires, et toties declaratum tædium *senes*, id est, segnes ad ulteriores cursus, et exhausti ac defecti viribus dicantur senes: nam sic notissimum illud Terentii Phorm. v. 8. 21. 'ubi ad uxores redeunt tum fiunt senes.' Sic his continuus labor, et tædium quasi senium et imminutas vires inde adduxerant. Cic. pro Milone: 'tota civitas confecta est senio.' Et sic 'senium,' et 'senescendi' verbum pro molestissimo tædio rerum, et ætate simul adhibent Latini optimi: de quo præter Nonium consule doctissimos commentatores ad Florum I. 22. *Snak.*

§ 14 *Ad liquidum*] Convenit cum illo Tullii ad Att. II. 19. 'Non tantum est in re, quantus sermo est.' Notum illud Poëtæ de Fama: 'Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.' *Locc. Ad liquidum*] Ovid. Met. XII.

Digitized by Google

54. 'Mixtaque cum veris passim commenta vagantur, Millia rumorum, confusaque verba volutant.' *Raderus.* Ovid. Met. IX. 138. 'veris addere falsa Gaudet, et e minimo sua per mendacia crescit.' *Freinsh.*

§ 15 *Mœnium*] Sebisius dubitabat *montium* substituere, propter Marcellini XXIV. 22. locum supra ad VIII. 14. 13. notatum, ubi 'collibus' comparantur. Olim etiam Bongarsius id conjecerat, inductus Codicis Pith. scriptura, *mentium.* Sed illud nimis tumidum esset; murisque etiam assimilatos ibidem reperies. 'Ceterum Indici elephanti novem cubitorum altitudine, latitudine vero quinque habentur,' Ælian. XIII. 8. *Freinsh.* Salvum quoque potest *mœnium* esse, saltem minus turgidum quam *montium*, quia Diodor. XVII. 87. de Pori exercitu, ad quem Alexander respexit, persimili modo scripsit: Ὅλη σύνταξις ὑπῆρχε πόλει παραπλήσιος τὴν πρόσοψιν, ἡ μὲν γὰρ τῶν ἐλεφάντων στάσις τοῖς πύργοις, οἱ δὲ ἀνὰ μέσον τούτων στρατιῶται τοῖς μεσοπυργίοις ὡμοίωνται. *Cellar.*

§ 16 *Si nos fabulæ*] Sic apud Senec. Suas. II. Porcius Latro, 'Arma nobis fabulæ excutiunt?' et paullo supra Triarius: 'Non pudet Laconas ne pugna quidem hostium, sed fabula vinci:' ubi sententiam, quæ statim sequitur: 'Magnum et alumnum virtutis nasci Laconem,' &c. sic rectius legi putem: 'Magnum est alimentum virtutis, nasci Laconem.' Ego quidem 'auctoramentum' aut 'sacramentum' potius dixissem. cetera, 'ad certam victoriam omnes remansissent,' 'ad certam mortem tantum Lacones,' cave mutes. Pertinet huc etiam Liv. XXII. 15. 1. ex emendatione Rubenii: 'Fabius pariter in suos haud minus, quam in hostes intentus, prius a fabulis invictum animum præstans,' &c. ante legebatur, *prius ab aliis*, insulse. *Freinsh.*

Rarum animal] Utique necesse foret rarissimum esse inventu, tandemque in universum exstingui, si verum esset, quod Plin. VIII. 10. 1. Aristotelem ait scribere: 'non amplius quam semel gignere, pluresve quam singulos.' Certe nec Aristoteles tam fatuam sententiam prodidit; nec adeo retulit Plinius. legendum ergo, ut innuunt alii codd. 'nec amplius quam singulos semel (hoc est eadem vice) gignere: pluresque vivere ducentis annis; et quosdam trecentis.' Eadem fere notio particulæ *semel* est in his quoque Plinii VII. 48. 6. M. Val. Corvinus 'sella curuli semel ac vicies sedit.' Elephantos autem porro non esse raros in India tam ex veteribus, quam etiam hodiernis constat. Certe Plin. VI. 19. et 20. Partalidis regi 700. elephantos, Taluctarum 400. Andaris mille, aliis plures aut pauciores tribuit. Prasiorum 'regi peditum sexcenta millia, equitum triginta millia, elephantorum novem millia, per omnes dies stipendiari' scribit. Ex recentibus Barrosius in Asia, pag. 186. videatur. *Freinsh.*

Nec facile capiatur] Quomodo capiantur, docet Strabo lib. XV. Arrian. Ind. II. 22. Diodor. III. 26. Ælian. VIII. 10. et 15. Tzetzes Chiliad. IV. 122. *Raderus.* Adde Plinium VIII. 8. *Freinsh.*

Difficilius mitigetur] Hoc quoque singulari capite docet Ælianus X. 10. Plurima super hac re Gesnerus ex antiquis scriptoribus adducit lib. I. de Quadruped. voce 'de elephanto,' lit. E. pag. 432. ubi superioribus sequentibusque paginis totam de elephantis, et jucundam sane auditu historiam cognosces. *Raderus.*

§ 17 *Vanitas numeravit*] Falsa fama auxit copias peditum equitumque supra modum. *Cellar.*

Copias peditum equitumque] Videatur abundans supra necessitatem additamentum, cum 'copiæ' sufficiant ad pedites equitesque designandos; sed hunc pleonasmum exemplis jam

Digitized by Google

probavit Cl. Daviesius ad Cæsarem de Bello Gall. v. 47. 5. *Snak.*

Nam flumen] Tellier. *jam flumen*, quod aptum prolepsi: sed aptius vulgatum *nam* cum voce *eadem*, quæ præcessit, cohæret. *Cellar.* De affinitate vocum *jam* et *nam*, tam in terminatione, quam significatione, multa multi Viri doctissimi, quos collegit accuratissimus Dukerus ad Flori Procœmium n. 2. *Snak.*

Artiorem alveum] Impressi omnes, *angustiorem alveum*, sed præcessit statim *angustis ripis coërcita.* Modius.

Elisa] Quænam hic *elisa* flumina? num emissa? quis vero tali sensu vidit usurpatum hoc vocabulum? vix possum ambigere, quin Noster scripserit, *in angustiorem alveum clausa*, vel *inclusa.* Scheffer. *Elisa*] Usurpavit Noster idem illud verbum cum torrenti conjunctum VIII. 13. 9. 'Sed quasi in artum coëuntibus ripis, torrens et elisus ferebatur.' Et quid hoc loco significet, ibidem explicatur, dum addit, 'occultaque saxa inesse ostendebant pluribus locis unda repercussæ.' Et sic 'spumam elisam' dixit Virg. Æn. III. 567. et quidni pro imminuta, cum Varroni dicantur de Re Rust. I. 48. 'herbæ elidendæ?' et plane pro coarctare usurpavit Lucan. VI. 55. 'Tot potuere manus adjungere Sestos Abydo, Ingestoque solo Phrixeum elidere pontum.' Vide Heinsium ad Ovid. Fast. IV. 371. *Snak.*

Spatio alvei] Leg. *spatiosis alveis*, vel *spatiosi alvei.* Heinsius.

§ 19 *Falcibus mutilata sunt*] Florus I. 18. 9. 'C. Minucius, quarto legionis hastatus, unius proboscide abscisa mori posse belluas ostenderat.' *Snak.*

§ 20 *Declinari videamus?*] Ad calcem libri inter operarum errata notaverant, delendam notam interrogationis. Inepte. Retenta ea, *viderimus* scribendum fuit, aut *videamus;* quorum hoc vulgatæ editiones recte habent, eædemque non male *declinare.* Acidalius. *Declinare videamus*] Forte, *declinare liqueat.* Heinsius.

§ 21 *Elidunt*] Malim, *elident;* quod et Sebisio visum. *Freinsh.*

Vastorum corporum moles] Eadem VIII. 13. 10. *Cellar.* Consule Doctissimos commentatores ad Florum I. 18. *Snak.*

Plus suis quam hostibus] Vide VIII. 14. 16. *Cellar.*

§ 23 *Testis*] Forte, *testes.* Heinsius.

Inundata cruore] Mss. *fervore.* Forte, *fere cruore.* Idem.

§ 24 *Bactriana auxilia*] Iterum impressi, *Bactriana auxiliis;* inepte. *Modius.*

§ 25 *Vadem prædemque*] Vide Gronov. Observ. II. 8. et confer cum loco IV. 4. 6. Adde eumdem Gronovium ad Livium III. 13. *Snak.*

Nec meos, nec hostium exercitus numeravero] Adhuc impressi, *nec mei nec hostium exercitus meminero;* quod etiam non omnino pessime huic loco convenire videtur. *Modius. Numeravero*] Mss. Modii, *mei meminero.* Forte, *numerum iniero*, vel *inibo.* Heins.

Et Oceanum, nisi] Ita distinguerem; *Oceanum: nisi obstet ignavia, inde victores, &c.* Sebisius. Ego non assentior: nondum enim tum ad Oceanum pervenerat, sed eo ibat: usus est autem præteriti voce *pervenimus*, paullo post futuri significatione, quam ei tribuit vocula *nisi*, ut fere supra IV. 14. 22. 'Nisi quod in vobis est, ipse ego majore parte captivus sum:' hoc est, ero et permanebo captivus majore mei parte (uxorem, matrem, liberos significat) nisi vestra virtute velut pendentem adhuc captivitatem avertatis. *Freinshemius.*

§ 26 *Revertemus*] Alii, *revertemur.* Modius.

Amittere] Vide III. 2. 1. et III. 6. 11. adde Terent. Hec. II. 2. 9. 'Iti-

Digitized by Google

dem incertum amisti.' *Snak.*

§ 28 *Per vos*] Concipi hoc eadem formula debuit, qua similes obtestationes solent, *Per ego vos.* Ita Modius IV. 14. 24. emendabat, *Per ego vos deos patrios, &c.* Et multa talia cum alii pridem, tum nuper in elegantissimis suspicionum libris V. Cl. Jan. Gruterus collegit. *Acidalius.* Vide Gronovium ad Liv. XXIX. 18. *Snak.*

Invicti contendimus] Leg. *invicem contendimus;* ut X. 5. 16. *invicem suspecti et solliciti ferebantur.* Heinsius.

Commilitonemque] Sueton. Cæs. 67. 2. 'Nec 'milites' eos pro concione, sed blandiori nomine 'commilitones' appellabat:' quod reprehendit August. apud Victor. in Epit. I. 1. optima ratione: ipse 'post bella civilia' vocabat 'milites.' Sueton. Aug. 25. 1. Sic apud Tacit. 33. 3. Agricola. Aliorum exempla plura vide apud Brisson. lib. IV. de Formulis: rationem apud Clapmar. de Arcan. VI. 16. *Freinsh.*

§ 29 *Qui nihil unquam*] Similia exempla apud Fabrum Semestr. III. 20. Et Gruter. Discurs. in Tacit. cap. 15. Pertinent huc illa Taciti Hist. II. 76. 1. 'Simul ipse, qui suadet, considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum.' Istaque Livii VII. 32. 10. 'Debere etiam intueri, cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit: utrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui et ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat.' Quibus in verbis dispice, an pro 'qui audiendus,' reponendum sit 'qui audendi.' *Freinsh.*

Quin primus] Hæc sic membranæ: *Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis præcepi; qui primus me periculis obtuli;* sed non sunt hanc partem satis sanæ. *Modius.*

Ne infregeritis manibus meis] A me distinguo, e vulgatis *in* particulam infero, *qui sæpe aciem clypeo meo texi; ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herc.* Acidalius. *In manibus meis*] Paschalius de Coronis VI. 20. hoc Curtii, pluribusque aliorum auctorum locis probat, victores palmas non capite tantum, sed etiam dextra manu prætulisse: quod diserte tradit Pausanias lib. VIII. *Freinsh.*

Herculem Liberumque] Quorum amborum columnæ expeditionum suarum termini memorantur: in comparatione Liberi et Herculis Epigramm. IV. 12. 33. Ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες· ubi certe non Gaditanæ Herculis columnæ intelligi possunt, sed aliæ in India quæri debent: quomodo enim alias conterminæ Bacchicis? Herculem autem ibi quoque monumentum itinerum laborumque suorum erexisse consentaneum est; et ex Strabonis tertio, tum Solini cap. 52. firmatur. in Strabone: 'Aras pro termino posuit Alexander, imitatus Herculem et Bacchum.' Nam illi quoque aris signaverunt expeditionis suæ terminos, vide mox ad IX. 3. 19. Seneca de Benef. VII. 3. 1. 'Alexandrum per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit.' Longe hinc abest apophthegma quod ei, nescio quam bona fide, tribuit Plutarch. Apophth. cap. 41. se omnia sua opera ne cum uno quidem dicto Herculis conferenda censere. Idne dixisset 'homo gloriæ deditus, cujus nec naturam, nec modum noverat, Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant?' ut ait Seneca de Benef. I. 13. 2. et Epist. 94. 68. 'Ultra Oceanum solemque, indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere.' Declamatores apud Senecam alterum Suasoria 1. 'Intra has terras cœlum Hercules meruit.' Et, 'ultra Liberi patris tropæa constitimus.' Solent autem, ut vides, Hercules et Bacchus fere conjungi, quod uterque in iis-

Digitized by Google

dem oris longinquam militiam exercuisse feratur; quibus cum Alexander, tum alii, qui procul ab domo bella gessere, comparati sunt. Sic apud Plin. VII. 26. de Pompeio: 'æquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi patris.' Quod judicium etiam ex parte fuit Petronii in carm. de Bello Civ. vs. 269. 'totis similis Tirynthius actis;' nam ad Pompeium hæc refert: quapropter versu præcedente pro 'Magnaque' absque ullo dubio legendum est *Magnum*, nempe Pompeium: 'Magnum cum Phœbo soror, et Cyllenia proles Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.' *Freinsh.*

§ 30 *Alacritatis index*] Ut supra v. 13. 5. VIII. 11. 8. et inferius IX. 4. 23. *Cellar.*

§ 31 *Nescio quid*] Hoc est, aliquid. Ovid. I. Trist. 5. 'mea nescio quis in bona venturus fuit,' id est, aliquis. Terent. Heaut. II. 2. 'nescio quid mihi animus præsagit mali.' *Cellar.*

§ 32 *Negat. Quos alloquor*] Bona distinctio, *negat quos alloquor*; nec mala, *negat. Quos alloquor?* Acidalius. Posteriorem convenientiorem judicavi. *Freinsh.*

§ 34 *Ite deserto rege*] Paria sunt illa Cerealis apud Tacit. H. IV. 77. 6. 'Ite, nuntiate Vespasiano, vel quod propius est Civili et Classico, relictum a vobis in acie ducem.' Cui simile Syllæ apophthegma relatum a Plutarcho cap. 43. *Freinsh.*

CAP. III. § 1 *Et continuo*] Editiones, *vel continuo labore*; male. *Modius.*

§ 2 *Defixerant*] Proprium de attonitis verbum, et apud Poëtas passim usitatum, ut et apud quoscumque scriptores, de stupentibus, novitatis, aut pavoris, aut mœroris caussa. De quo Cl. Dukerus exempla submistrat ad Florum lib. II. 6. 59. *Snak.*

Dolor erigi] Gebhardus Crepund. III. 22. mallet *egeri*, ut Ovid. Trist. IV. 38. 'Expletur lacrimis, egeriturque dolor;' quam rem pluribus exemplis firmat. Vulgatam autem defendit Barthius Adversar. XXVIII. 6. his fere verbis: 'Cum in Ovidii loco de longo dolore et in ejus solatium datis lacrimis sermo sit, nulla inter duos similitudo est: hic enim locus non egestionem, aut attenuationem doloris ingerit, sed libertatem illi datam testandi se per fletus: quare penitus nihil mutandum credimus. *Liberius* non ad copiam, sed ad *libertatem* jacentis antea ob timorem mœroris intelligendum est. Erigitur ergo penitus cordibus impressus dolor, et hactenus fremitu obscuro gemituque conceptus tacito, cum in oculos venit, et metu paulum victo in lacrimas velut ruptis catenis aut vinculis exit.' Vide Indic. 'erigere.' *Freinsh.* Adde Gronovium Obs. II. 21. Heinsius tamen ad Sapph. Ovid. vs. 118. de hac Curtii emendatione: 'Non ausim,' inquit, 'damnare, si veterum librorum nitatur auctoritate.' *Cellar.* Margini adscripsit nob. Heinsius, leg. *egeri*. Snak.

§ 4 *Detractam galeam*] Antiquum exhibendæ venerationis morem fuisse caput alicujus caussa nudare, cum res feret, ostendetur ad illa Sallustii Hist. V. 1. 4. 'Quibus de caussis Sullam in victoria dictatorem, equo descendere, sibi uni assurgere de sella, caput aperire solitum.' *Freinsh.*

§ 5 *Tum Cænus*] Confer cum hac oratione Græcam Arriani V. 4. 15. et Senecæ Suasor. I. ab initio. *Idem.*

Ire quo jusseris] Sæpe res parva magno errori originem dedit, ut hoc loco, ubi illud *quo* desideratum in hactenus impressis libris, diversas a diversis scripturas, omnes tamen æque bonas, hoc est, ineptissimas, expressit. *Modius.*

§ 6 *Fictas tuorum*] Addunt excusi libri post hæc vocem *militum*. Modius.

Propitias aures] Ergo propitius non

Digitized by Google

de Diis solis dicitur, ut quibusdam visum est, sed de faventibus, et benevolentibus quibuscumque, ut probavit *ὁ πάνυ* Gronovius ad Senec. Suas. 1. *Snak.*

§ 7 *Sed etiam milites*] Forte, *sed etiam suos milites.* Heinsius.

§ 8 *Cubilibus suis*] *Cubiculis* vulgo; sed illud melius est, et proprie magis de feris dicitur; Græci appellant *κοίτη, φωλεός. Modius.*

Plura quam sol videt] Plebeio more, usitatissimo tamen antiquis scriptoribus, hæc dicta sunt, ut notavimus ad IV. 14. 24. et sub finem Geographiæ Antiquæ. *Cellar.*

§ 10 *Cicatricibus putria*] Membranæ, *tot cicatricibus. Putria jam tela, &c.* unde primum suspicabar legendum *tot cicatricibus varia*, sed demutavi postea, vel hac caussa, quod *putrida* haberent vulgati libri, et in Brugensi codice diserte *putria* legi deprehendissem. *Modius. Putria*] Vulgo, *Putrida:* quorum neutrum sanum videbat Modius, eoque cogitabat *varia;* sed abstinuit, cum ipse non probaret. Nos id multo minus; qui nec hoc agnoscimus nunc, quod olim eramus accepturi, *pervia;* videbatur id pulchre respondere illi alteri, *tot vulneribus perfossa.* Enimvero transponendæ saltem in *τῷ putria* paucæ litteræ, ut exeat *turpia;* quam veram scripturam ad præstationem ausim affirmare. lib. X. pariter ' ora cicatricibus deformia.' *Acidalius.* Acidalius emendat *turpia*, non equidem male, sed Modiana scriptura æque commoda. *Raderus.* Rem quod attinet, simillimum huic negotium apud Tacit. I. 34. 3. quo loco veterani ' quidam, prensa manu (Germanici) per speciem osculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant.' Mox, ' nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, &c. exprobrant.' Pertinent huc apud Senec. Suasor. II. a pr. ' Arma non passuræ manus, hebetataque senio an vulneribus corpora.' Adde infra X. 2. 12. Justin. XII. 8. 12. *Freinsh. Putria*] *Varia* Modius; male. Acidalius *pervia*, vel *turpia:* nihil mutandum. *Heinsius. Putria* sunt debilitata, infirma, ruinæ proxima, quibus neque vis, neque vigor, aut utilitas ulla adest: sic Virgil. Georg. I. 39. appellat ' fungos putres,' qui in lampade concrescunt: et Petron. in Fragmentis ' putres nervos dissecare,' qui non parebant imperio, cap. 131. Et sic apud Nonium Marcellum: ' ' Putret.' Pacuvius Teucro: ' quamquam annisque et ætate hoc corpus putret.' Accius Erigona: ' Quamquam exsangue est corpus mihi, atque annis putret.' ' Plane ut hic apud Nostrum. *Snak.*

Jam tela hebetia sunt] Has non hyperbolas, sed mendacia historiæ contraria vocat Cl. Clericus Judic. IV. 8: sed hæc similia si ad quævis momenta trutinentur, quum sint ad commovendam miserationem aucta, nihil abhinc rhetoricis præceptis usus erit, et ad logicen criticam exsiccabuntur omnia. *Idem.*

Induimus] Leg. *induimur.* Heinsius.

§ 11 *Sed bello instrumenta*] Nihil hic præter interpunctionem mutavi, quod antea legeretur: *nec luxuria laboramus, sed bello. Instrumenta belli consumsimus, &c.* plane absurde. *Modius.*

§ 12 *Hunc tu*] Fl. *hunc te.* forte, *hunc ne*, vel *huncce.* Heinsius.

§ 13 *Certum est*] Decretum est, sententia stat: supra IV. 13. 9. ' palam luce adgredi certum est.' Terent. And. II. 1. 11. ' Omnia experiri certum est prius, quam pereo.' *Cellar.*

§ 14 *Ad manum est*] Nisi vererer, ne quis putaret forte, in consuetudinem mihi vertisse, in librarios dicere inclementius, non parcerem profecto hic voci aut calamo. Nam quid fuit facilius, quam hæc ita legenda vide-

Digitized by Google

re, præsertim cum membranæ non discreparent? fecerunt tamen ecce ex iis alii, *cur circuitu petis gloriam, quæ ad manum posita est?* alii, *cur circuitu petis gloriam, quæ adposita est?* quidam etiam, *cur circuitu petis gloriam, quæ ad ima posita est?* ut vobis magistelli Dii male faxint, cum numquam ipsi bene alicui aut facere aut dicere didicistis. *Modius. Ad manum*] Alii delent; possis et, *in manu posita est.* Heinsius.

§ 15 *Hæc tecum, quam sine te*] Seneca Epist. 47. 'Fit, ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet.' *Freinsh.*

§ 19 *Die processit, erigique*] Membranæ omnes, *tertio die processit e regia XII. aras, &c.* quod ego *e regia* natum esse ex verbo *erigi*, non puto jam, sed scio. *Modius. Erigi duodecim aras ex quadrato saxo*] Apud Veteres Græcos moris fuit, hujusmodi ponere limites. Itaque Alexander, Herculem et Bacchum imitatus, duodecim aras, monumentum expeditionis suæ ad flumen Hypasin posuit. Strabo lib. III. Ἀλέξανδρος δὲ τῆς Ἰνδικῆς στρατείας ὅρια βωμοὺς ἔθετο ἐν τοῖς τόποις, εἰς οὓς δυνάτους ἀφίκετο τῶν πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς Ἰνδῶν, μιμούμενος τὸν Ἡρακλέα, καὶ τὸν Διόνυσον ἦν μὲν δὴ τὸ ἔθος τοῦτο. Plinius VI. 17. eamdem historiam referens, 'Ad Hypasin,' inquit, 'non ignobiliorem XLIX. CCCXC. M. qui fuit Alexandri itinerum terminus, exsuperato tamen amne, arisque in adversa ripa dicatis.' Et Martianus Capella lib. VI. 'Et Hypanis ibi amnis immodicus, qui Alexandri M. iter intercluisit; sicut in ejus ripa locatæ testantur aræ.' *Popma.*

Duodecim aras] 'Ingentes instar turrium,' Arrianus V. 4. 26. 'L. cubitorum,' Diodor. XVII. 95. Fecit harum etiam mentionem Geographus in tertio. Plutarch. cap. 109. narrat Præsiorum reges, trajecto flumine, posteris temporibus ibi hostias immolasse, Græcoque ritu aras illas Alexandri veneratos esse. Fixæ sunt hæ aræ in ripa, ut Solinus cap. 52. ostendit: et expresse Philostratus lib. II. extremo, qui alia quidem addit illustria. *Rader.* Justin. XII. 10. 6. aras has aliquanto postea statutas innuit, haud dubie falso. Sic autem antiquitus limites fuisse positos nonnullis exemplis ostendit Strabo lib. III. Ita Solinus cap. 49. Bacchi, Herculis, Semiramidis Cyrique aras apud Pandam in Sogdiana statuit, quos credere possis fuisse 'terminos Liberi Patris,' Alexandri militi superatos sup. VII. 9. 15. Sed et in ingressu Asiæ duodecim aras statuit Alexander. Justin. XI. 5. 4. 'duodecim aras Deorum,' nisi forte numerus ad deos pertinet, ut aræ dicatæ fuerint duodecim Diis; nempe majoribus, qui 'Consentes' dicti Latinis. Arrian. I. 4. 7. numero non definito 'altaria struxisse' ait 'Jovi descensori, et Minervæ et Herculi, ibi unde ex Europa solvit, et in eo Asiæ loco, in quem descendit.' Sed hoc pro descensu, voti causa fecerat. 'Aram Druso sitam' ejusmodi initium habuisse, certe ab ipso, non ab alio in illius honorem, exstructam videri, ad Tacitum II. 7. 3. notavimus. Istaque locutio niti possit etiam loco Marcellin. XXII. 18. qui et alias huc pertinet: 'Aræ Alexandro Magno, Cæsarique Augusto sacratæ:' hoc est, quas illi sacravernnt. Tales fuerunt 'victricium legionum aræ,' apud Sueton. Tiber. XIV. 4. Ita Demonax, transcenso Jaxarte, 'aras Apollini Didymæo statuit,' apud Plin. VI. 16. 9. Cæsar in Pyrenæo, Dio lib. XLI. Non autem has Indicas Marcellinus intelligit, sed alias juxta Borysthenem, quas tamen Herbersteinius in itinere suo Moscovitico frustra se quæsivisse testatur. Earum nihilominus meminit Guaguinus pr. tomi II. Rerum Polon. De Indici itineris signo variat etiam Glycæ narratio:

Digitized by Google

'Quum Alexander ad Indos extremos, ipsumque Oceanum, et maximam Brachmanum insulam pervenisset, columnam statuit cum inscriptione hujusmodi; Alexander Rex hucusque penetravi.' Verum cum pluribus et melioribus Plinius VI. 17. 23. ad Hypasin 'Alexandri itinerum terminum statuit, exsuperato tamen amne, arisque in adversa ripa dicatis.' Quod et apud Suidam exstat in Βραχμᾶνες; remque, præter Diogneti et Betonis testimonium, firmat 'ipsis regis epistolis;' quem secutus est Marcianus Capella libro VI. ut mirer scribere Plutarchum, Præsios διαβαίνοντας, *transgredientes* flumen, aras Alexandri venerari, cum in ipsorum ripa positas illi tradiderint: nisi pro flumine quod Præsii trajiciant, Gangem velis accipere: qui tamen, si Curtio fides est, undecim circiter dierum itinere ab Alexandri aris abfuit. Nisi forte, ut videtur, Plutarchus hic eos auctores sequitur, qui Alexandrum ad Gangem usque pervenisse scribunt, ut apud Strabon. lib. XV. Craterus in Epist. ad matrem Aristopatram; Arrianus Periplo Maris Erythr. III. 22. et Lucan. III. 230. 'Qua colitur Ganges, &c. Hic, ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.' Ceterum Plinius VI. 25. 2. alias etiam 'aras Alexandri in promontorio' Carmaniæ collocat. Ptolemæus etiam in Scythia trans Caucasum columnas Alexandri; et deceptus ab eo Volaterranus, apud Riphæos. Sed erroris Ptolemæum convincit Salmasius ad Solin. pag. 555. ubi prolixe quoque de aris his Alexandri disputatur: quem locum quia per angustiam temporis relegere non possum, apposui quæ ad Curtium mihi observata erant; quamquam vix putem aliquid nos allaturos, quod ille admirabili industria simul et doctrina non præceperit. Arrianus Periplo Mar. Erythr. III. 3. testatur juxta Minnagora, in sinu Barygazano, suo adhuc tempore servata fuisse 'exercitus Alexandri vestigia ac monumenta, cujusmodi sunt antiqua sacella, altaria, fundamenta castrorum, maximi putei.' *Freinsh.*

Monumentum expeditionis] Non tantum pro monumento, sed etiam termino expeditionis suæ posuit. Strabo lib. III. Plinius VI. 17. Aræ autem sic inscriptæ fuerunt teste Philostrato lib. II. de Vita Apollonii, cap. 15. Πατρὶ Ἄμμωνι, καὶ Ἡρακλεῖ ἀδελφῷ, καὶ Ἀθηνᾷ Προνοίᾳ, καὶ Διὶ Ὀλυμπίῳ, καὶ Σαμοθρᾴξι Καβείροις, καὶ Ἰνδῷ Ἡλίῳ, καὶ ἀδελφῷ Ἀπόλλωνι. *Patri Ammoni, et Herculi fratri, et Minervæ providæ, et Jovi Olympio, et Samothracibus Cabiris, et Indico Soli, atque Apollini.* Ænea quoque columna ibidem erecta fuit cum tali inscriptione: Ἀλέξανδρος ἐνταῦθα ἔστη. *Alexander hic stetit.* Vel ut Suidas habet in voce Βραχμᾶνες· Ἐγὼ Μέγας Ἀλέξανδρος ὁ Βασιλεὺς ἔφθασα μέχρι τούτου. *Ego M. Alexander rex veni huc usque.* Loccenius.

Fallax miraculum. Propero hinc] Nihil hic mediocre promerui, ita misere erat antea corruptus locus, qui nunc mea opera integritati suæ restitutus legitur: vulgo erat, *ut speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans. Hinc repetens quæ emensus, &c.* ita inepte, ut nihil pote ineptius: quis enim sanæ mentis, illud *præparans*, alicujus scioli scolium esse, non etiam prima fronte advertat; præsertim cum in membranis aliis desit, in aliis aliena manu adscriptum sit, in aliis ita interpolatum, ut dimidia sui parte in litura cubet? sed ut hoc non difficile fuit divinare, ita non omnium facillimum fuit veram scripturam eruere: fecimus tamen, quod in nobis fuit, et spero equidem lectorem, quales esse opto, qui hæc inspicere dignabuntur, aut in nostra conjectura acquieturum, aut candide, quod ipse invenerit magis huic aptum loco,

Digitized by Google

communicaturum. *Modius.* Correxit Modius, edidit quidem certe pro illo, quod corruptissimum ait, *præparans*: si corruptum hoc, multo inde facilius erat scribere *properum*, quod valet item propere, forma, qua efferuntur hujus generis multa alia, modo Curtium ea usum persuaderi sibi quisquam patiatur. Ego non id ago: qui mutandum nihil fuisse censeo. Nam *præparans* qua caussa corruptionis arguitur? equidem mihi illud sanum, sub sana tamen interpunctione. Hanc pristinam reduco, ut superioribus nectatur, ubi non erit otiosum quod visum fuisse correctori videtur: *ut speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans. Hinc relegens, &c.* Nihil ita turbat, neque quidquam omnino incommodi ex se parit. Nisi si pro *omnium, hominum* reponendum, quod leviter suspiceris ex Diodori verbis, ἀπολιπεῖν σημεῖα μεγάλων ἀνδρῶν· qui idem Diodorus hæc tamen ipsa multo plenius et paullo aliter narrat, Arriano mussitante, quod miror, et de duodecim aris vix aliquid subjiciente. *Acidalius. Speciem omnium*] ararum, cubilium, castrorum, ut non opus sit cum Acidalio suspicari *hominum*. Cellar.

§ 20 *Cænus*] Confirmat hoc Arrianus VI. 1. 4. quapropter Scaligerum memoria lapsum fuisse credidi, cum in Justino XIII. 4. 14. pro *Scyno, Cænum* repostum iret: infra tamen X. 1. 43. Cœni mentio est, sed suspecta; quam examinabimus suo loco. *Freinshemius.*

§ 21 *In aqua*] In flumine Hydaspe, ubi ædificari classis cœpta IX. 1. et ex quo navigationem instituit. Arrian. Ind. Strab. lib. XV. nec obstat, quod Nostro ad flumen Acesinen habuisse castra dicatur; interjicienda enim sunt, quæ Curtius prætermisit, Diodorum suum XVII. 93. sequutus, ab Acesine usque ad Hydaspem regressum esse. Arrian. lib. V. extr. quod etiam Strabo confirmat, reversionem regis factam esse ab Hypani, sive Hypasi, ἐπὶ τὸν Ὑδάσπην καὶ τὸν ναύσταθμον, *ad Hydaspem, ubi navale erat.* Cellar.

§ 22 *Mille navigiis aditurus*] Interpunxi et scripsi omnia, ut ratio a me postulare visa est: in libris impressis erat, *quis distributis vetera cremari jussit, mille navigiis aditurus Oceanum. Discordes et vetera odia retractantes, &c.* male: præcipue, quod ad distinctionem; nec rectius tamen, quod ad scriptionem, membranæ, quæ referebant: *quis distributis vetera cremari jussit. Mille navigiis aditurus Oceanum, discordesque et vetera odia retractantes Porum et Taxilem, Indiæ reges, firmata per affinitatem gratiæ, reliquit in suis regnis summo in ædificanda classe arborum, &c.* Modius. *Mille navigiis*] Sic distingui aptius visum fuit, ut hinc novus inciperet sensus. Porro Arrianus VI. 1. 8. 'bis mille' navigia numerat, inter quæ 'triginta remorum naves octoginta:' forte etiam quædam 'duodecim ordinum,' quales 'instituisse Alexandrum Magnum ferunt' apud Plin. VII. 56. 21. nisi forte id postea fecerit, cum Babylonem reversus omnia magis in luxum quam in magnificentiam verteret. *Freinsh.*

Firmata gratiæ] Sic bene Mss. vide nos ad Epistol. Plinii. *Heinsius.*

§ 23 *Oppida duo condidit*] Quasi oblitus eorum esset, quæ cap. 1. n. 6. de his urbibus prædixerat, nunc integram earum historiam persequitur. Non autem hoc loco de conditu illarum scribendum erat, sed tantummodo de instauratione, postquam imbribus et inundatione ruinas fecerant. Arrian. lib. V. 'Trajecto Acesine, ad Hydaspen revertit, ut urbium Nicææ et Bucephalæ, ὅσα πρὸς τῶν ὄμβρων πεπονηκότα ἦν *quæcumque partes ab imbribus vitium traxerant*, militum opera instauraret.' *Cellar.*

Nicæam] A victoria de Poro reportata dictam (Diodor. XVII. 95. Ar-

Digitized by Google

rian. v. 3. 1. Strabo lib. xv.) Græcis νίκη, *victoria*. Stephanus περὶ Πόλεων octo cognomines Nicæas enumerat. *Raderus*.

Bucephalon] Seu *Bucephalan*, seu *Bucephalea*, seu *Bucephalen*, seu *Bucephaliam* varie scriptam reperies. Stephanus Βουκεφάλειαν scribit: Strabo lib. xv. Βουκεφαλίαν. Porro Bucephalum Onesicritus et Arrian. v. 3. 1. senio confectum sine vulnere defecisse memorant. Plutarch. cap. 107. 'Ex prœlio cum Poro, non extemplo, sed post, ut plerique produnt, sub vulnerum curatione: ut Onesicritus est auctor, ob senium labore confectus: nam triginta annorum ætate ait eum decessisse. Mortem ejus tulit Alexander graviter; non aliter existimans quam si familiarem et amicum amisisset. In memoriam ejus super Hydaspen condidit urbem, quam appellavit Bucephaliam.' *Raderus*. De Bucephalo vide supra ad vi. 5. 18. De eo haud dubius error est Sabellici, scribentis in pugna ad Granicum cecidisse. Memorabile quod cap. 80. An seni sit gerenda respub. Plutarchus narrat: 'Alexander Bucephalum jam annis graviorem nolens premere, ante pugnam aliis vehebatur equis, obiens exercitum et ordines instruens: deinde illum data tessera conscendebat, in hostes ducebat, ac decertabat.' De urbe ejus cognomine vide etiam Melam ii. 3. 47. Plinium vi. 20. Solin. cap. 47. ant ut alii numerant 57. Justinum xii. 8. 8. Urbs autem ista vocata fuit 'Bucephalos' a Curtio, in quo assertorem habet Arrianum Peripl. Mar. Erythr. iii. 21. ἡ Βουκέφαλος Ἀλεξάνδρεια· ubi nota huic quoque urbi nomen fuisse Alexandriæ, sed ad distinctionem aliarum Bucephali cognomen additum, ut utrumque exprimeret, a quo condita fuisset, et cujus in honorem. quod quidem etiam ex scholiis in Aristophanis Nubes vs. 22. firmatur: Τελευτήσαντος τοῦ Βουκεφάλου Ἀλεξάνδρειαν ἔκτισεν ἐντάφιον αὐτῷ τῆς ἀρετῆς χαριζόμενος τόλμ. 'Regem defuncto equo duxisse exequias' addit Plin. vi. 42. 5. ubi hujus etiam urbis meminit. *Freinsh.*

§ 24 *Secundo amne*] Hydaspe, non Acesine. Verum ut hic locus recte percipiatur, paullo longius inhærendum est. Sciendum ergo Curtium per properantiam confudisse iter Alexandri, supra num. 20. 'Ad flumen Acesinen locat castra. Ibi forte Cœnus,' &c. Omisit enim dicere, quod Arrianus fine quinti, 'Acesine transmisso, ad Hydaspen venisse.' ibi enim mortuus est Cœnus. Arrian. vi. 1. 4. Quod si quis haud satis validum argumentum putet, quia nihil necesse est Curtium eadem sentire cum Arriano; ex ipso producam argumenta, quæ sententiam meam affirment: ait, 'Jam in aqua classis, quam ædificari jusserat, stabat:' at ubi exædificata classis illa? 'in proximis' Hydaspi fluvio 'montibus,' ipsius indicio, supra ix. 1. 4. quod et hinc constat ex num. 23. hujus cap. quod dicit 'in ædificanda classe summo' Pori Taxilisque 'studio usum:' ædificata ergo fuit in Hydaspe fluvio, qui amborum finibus medius interfluebat. Supplementa quoque variarum nationum, Arriano teste Indic. iii. 15. juxta Hydaspen Alexandro conjunctæ sunt. Sic et 'discordes et vetera odia retractantes' Porum atque Taxilem, 'reliquisse in suis regnis' intelligis, non ad Acesinis fluenta, sed Hydaspis. 'Oppida quoque duo,' quæ 'condidisse' hic iterum inculcat (oblitus, quod supra ix. 1. 6. de iis tradidisset: et in errorem inductus eo negotio, quod, sicut etiam fine lib. v. Arrianus tradit, Alexander tum temporis non quidem de novo ista oppida condidit, sed quæ ibi imbres corruperant, instauravit) non in Acesinis, sed Hydaspis ripa fuisse, certissimum est. posita enim sunt juxta lo-

Digitized by Google

cum, in quo cum Poro pugnaverat. Quæ cum omnia certissima sint, hoc accedit inprimis magnum argumentum, quod cap. seq. addit, 'Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesini committitur.' Quod diserte Arrian. Indic. III. 15. 'Ipse inde oram solvens per Hydaspen ad Acesinis et Hydaspis confluentem navigavit.' Confirmat hæc omnia Strabo lib. XV. cui in hoc negotio merito plurimum tribuas, non uno loco; sed hoc potissimum: 'Silva ad Emodos montes, ex qua Alexander multam abietem, &c. compingendis navibus in Hydaspen deduxit, ex quibus classem construxit juxta urbes in utraque fluminis ripa a se conditas, ubi eo transmisso Porum vicit,' &c. Idem ex Aristobulo paullo supra: 'Postquam in Hydaspen venissent, et Porum superassent, iter ad Hypanin facientes ad orientem, atque inde ad Hydaspen rursum, continue pluisse, &c. et cum navium fabricationi ad Hydaspen immorati essent, et non multis diebus ante Pleiadum occasum navigare cepissent,' &c. Ex quo testimonio multa firmantur: Alexandrum, ab Hydaspe ad Hypanin itinere facto, per eadem fere loca reversum esse: pluisse continuo per id tempus, inde fides Arriano de instauratis oppidis: naves in Hydaspe fuisse confectas; ibi et navigationis initium factum. Quod satis puto confirmatum: quamquam Curtius cum Justino XII. 9. 1. et auctore suo Diodoro XVII. 95. (nam eum, ut multis aliis locis, ita hic quoque, non secus ac Polybium Livius, interpretatur) Acesinen velit principium navigationis fuisse. Sed Diodorus etiam perinde seipsum jugulat. Subjicit enim, 'Urbium ad flumen conditarum:' ubi necessario intelliges Acesinen, non enim de alio ibi sermo. Sed idem ipse urbes illas ad Hydaspen statuit cap. 89. ex cujus collatione magis etiam liquebit, totam fere hanc Curtii narrationem inde translatam. Nam et ibi duas urbes, non addito nomine, conditas Diodorus ait, nominibus non expressis: quæ demum oggerit infra cap. 95. et de navium compaginatione eumdem plane errorem errat, quem Curtius. Cautior tamen Diodorus, qui non ait inferiore loco, 'urbes ibi conditas,' ut Curtius, sed urbibus conditis, scilicet jam antea, tum indita nomina. Sane Curtium et Justinum quomodo excusem, non reperio. Diodorum possim, si post hæc ejus verba cap. 95. ἀνέκαμψεν ἐπὶ τὸν Ἀκεσίνην ποταμὸν, subjungere liceat sex verba ex Arriani extremo quinto, καὶ τοῦτον διαβὰς, ἐπὶ τὸν Ὑδάσπην. Quæ pancula verba facile deperire potuerunt libro tot locis mutilo: si tamen id factum, oportet esse antiquissimum mendum: unde tamen colligas etiam, falli qui Curtium sub Augusto scripsisse putant. Poteram plura non indigna relatu proferre, sed in angustum me cogit præter instituti rationem etiam temporis inopia. *Freinsh.*

Quadraginta stadia] Unde hoc hauserit Curtius, non reperio; nam Diodorus, quem sequi solet, nihil tale. Quadraginta stadia milliare Germanicum unum admodum cum quadrante conficiunt: quis credat uno die non majus confectum fuisse spatium, prono alveo? cum præsertim Plin. VI. 17. 20. tradiderit, 'Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta navigasse in Inde, nec potuisse ante menses quinque enavigare, adjectis paucis diebus.' Quando igitur absolvisset navigationem integram, uno die non plus 40. stadiis promovens, si 600. diurna conficienti unus Indus supra quinque menses absumpsit? Scimus autem ex Aristobulo apud Strabonem, totum iter ab Hydaspe ad Pattalenam insulam, quam Indus mari jam vicinior efficit, decem mensibus fuisse confectum: cum interim sæpe

Digitized by Google

propter varia bella excensiones expeditionesque essent faciendæ. Plutarch. cap. 115. septem modo numerat. Numquid igitur pro *quadraginta stadia* reponendum in Curtio, *quadringenta*? Certe necesse est, vel ob sequentia, *ut opportunis locis exponi copiæ possent:* hæc enim caussa esse solet, ut intendantur itinera; raro etiam ut minuantur: ubi nimirum inter duo loca commoda nimis magna est distantia, quæ nec facile attingi possit. At si per singula 40. stadia loca opportuna occurrant, nihil opus erat ad earum rationem iter moderari, cum vel dormientibus in ea fuisset incidendum. Hæc igitur est celeberrima illa Alexandri navigatio, quam levi brachio tangit Curtius, Arrianus autem a pr. lib. VI. et inprimis Indic. cap. 3. accurate describit: ad cujus meliorem intellectum usui erunt duo loca, quorum alterum supra ad III. 13. 1. alterum 'de equitatu sociorum octo millium,' alibi emaculavimus. *Freinsh.* Exiguum iter pro defluentibus secundo amne, et prono alveo; si *quadringenta* legas, ut Freinshemius conjecturavit, nimium erit pro pedestri exercitu, qui in ripa utraque sequebatur, testibus Diodoro XVII. 96. Arrian. lib. VI. Nec de diurno hujus navigationis cursu alius scriptor quidquam, neque ipse Diodorus, quem presse alias Noster secutus est, prodidit. *Cellar.*

CAP. IV. § 1 *In qua Hydaspes amnis Acesini committitur*] Regio hæc tota Indiæ vergit ad meridiem. Alexander enim recusantibus Macedonibus Hypasin transire, et Orientem Gangemque petere, coactus est se ad meridiem convertere, ut ibi ad Oceanum penetraret: de concursu vero Hydaspis et Acesinis magnorum etiam fluminum (Acesinen Arrianus in Indicis Nilo et Istro majorem affirmat, ubi Hydaspen, Hypasin et Hydrasten in se recipit, et cum his in Indum defertur, Hydaspen Curtius supra lib. VIII. 'quatuor stadia in latitudinem diffusum, profundo alveo speciem vasti maris referre' dixerat) Diodorus, ex quo Curtius hic sua descripsisse videri potest, *Perventum erat in regionem, ubi Hydaspes Acesini committitur.* Raderus.

Sobiorum] Malim cum Strabone lib. XV. et Arriano Indic. I. 21. *Sibarum.* Diodorus XVII. 96. 'Ibos' appellat. *Raderus.* In Diodoro sibilus præcedentis vocis ademit eum sequenti. τοὺς ὀνομαζομένους Ἴβους animadvertit vitium ad Justin. XII. 9. 2. Bongarsius: in Justino 'Silei' vocantur, quos idem recte docet 'Sibos' intelligi: nam et Orosius III. 19. sic appellat. Stephano sunt 'Sibæ.' Reineccius eosdem esse credit 'Surasenos' Arriani Indic. II. 1. nimirum quod illi præcipue Herculem colere dicantur: sed argumentum hoc nimis leve videtur; coluerunt enim eum et alii Indi, nec tamen omnes fuere Sibæ. Pori quidem exercitus Herculis effigiem pro signo sequebatur. Imo est ex Arriano concludere, plane diversos fuisse populos. Sibæ enim ad Hydaspen coluisse creduntur; Arrianus Surasenos ad Jobarem ('Jomanem' Plinio VI. 19. 11.) ponit, qui forte 'Oxidracæ' fuerint: qui Orosio III. 19. 'Subagræ,' Plinio XII. 6. 'Sydracæ,' Diod. XVII. 98. Συραχοῦσαι, etiam Curtianis Mss. IX. 4. 2. 'Sudracæ.' *Freinsh.*

§ 2 *Relictos se*] *Relictos esse* vulgo, quod minus placet. *Modius.* At mihi nec hoc, nec illud: quorum tamen alterum si placendum sit, facilius feram, quod est vulgo. Quæso autem, ipsine, qui hoc memorabant ex Herculis exercitu reliqui et relicti, ceperant eam sedem? longævos admodum fuisse oportet, qui ab Hercule durarint ad Alexandrum. Hoc enim credemus, si vera lectio, *ægros relictos se.* At ipsi palam refutant, de majoribus suis affirmantes. Scribe cum apta distinctione: *Hi de exercitu Herculis*

Digitized by Google

majores suos esse memorant: ægros relictos cepisse sedem, quam obtinerant. Jam ipsos populos non 'Sobios,' ut Curtius, sed cum alii alios, tum 'Ibos' vocat Diodorus: qui totidem fere verbis de origine eorum: Προῆγεν ἐπὶ τοὺς ὀνομαζομένους Ἴβους, τούτους δέ φασιν ἀπογόνους εἶναι τῶν μετ' Ἡρακλέους ἐπὶ τὴν Ἄορνον πέτραν στρατευσάντων, καὶ τῆς μὲν πολιορκίας ἀποτυχόντων, ἐν τούτῳ δὲ τῷ τόπῳ κατοικισθέντων ὑφ' Ἡρακλέους. *Acidalius.* Alii, *ægros relictos se*, vitiose: *majores suos esse de exercitu Herculis, se* (nimirum qui Alexandri tempore vivebant) *ægros relictos* (ubi, aut a quo?) *cepisse sedem, quam ipsi* (qui ipsi? qui loquebantur, an majores eorum?) *obtinebant.* Melius utique aliæ edit. et Mss. *ægros relictos esse;* nimirum majores suos, ad quos necessario hæc referenda. Quæ quidem et Acidalio in mentem veniebant, quare utrumque illud *se* et *esse* delendum putabat, *ægros relictos cepisse sedem:* quod et Bongarsio visum, et verum puto: quin et superiori *esse* itidem eliminato sic concepta hæc fuisse primitus: *Hi de exercitu Herculis majores suos commemorant ægros relictos cepisse sedem, &c.* Nam si verbo illo uti voluisset, non *esse* magis, quam *fuisse* dixisset. Ægros autem in coloniis ejusmodi relinqui solitos supra ad VII. 8. 23. observatum est. Sic urbem ad Acesinen Alexandri jussu conditam, 'mercenariorum ad militiam ineptis,' senio puta, aut vulneribus, attribuit Arrian. V. 4. 27. Pompeius apud Dion. lib. XXXVI. 'Urbem eo loco, quo Mithridatem vicerat, condidit, quam vulnerati aut ætate confecti milites sui haberent.' *Freinsh.* Aliudit ad hunc morem Virgil. Æn. v. 715. 'Longævosque senes, ac fessas æquore matres; Et quidquid tecum invalidum, metuensque pericli est, Delige: et his habeant terris sine mœnia fessi, Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.' *Snak.*

§ 3 *Clavæ tela erant*] Iterum vulgo, *clavæ pro telo erant:* melius illud. *Modius.*

§ 4 *Hinc excensione facta*] Impressi codices, *hic excensione facta;* scripti, *hinc excessione.* Modius.

§ 5 *Alia gens in ripa*] Rursum impressi: *XL. peditum milia gens in ripa fluminum opposuerat, quam amne superato, &c.* Modius. 'Agalassenses' vocat Diodor. XVII. 96. a quibus longe absunt Malli, qui Hydraoten transgressi ab Alexandro victi expugnatique sunt: apud Arrian. VI. 1. 28. nam hæc adhuc ad Hydaspen gesta, quæ Arrianus VI. 1. 14. concise: 'Indos Hydaspis ripam accolentes partim deditionem facientes in amicitiam ac fidem recipiebat (Sibas sive Sobios intelligit) partim ad arma confugientes (Agalassenses aliosque vicinos innuit) vi subigebat. Porro magna celeritate in Mallos et Oxydracas contendebat,' &c. Sed fefellit Explanatorem Curtius, qui statim subjicit, *Alteram deinde urbem, &c.* quam historiam cum narret Arrian. VI. 1. 30. credidit Explanator debuisse eamdem seriem rerum secutum, in proxime præcedentibus eadem narrare, quæ Curtius ante dicta verba, *Alteram deinde, &c.* narraverat. Sed nimirum Noster cum Diodoro hanc alteram urbem supra Mallorum regionem positam fuisse volunt, Arrianus in ipsis Mallis. Vide infra ad num. 15. *Freinsh.* *Gens in ripa*] Gens eadem Agalassensis, non *alia*, ut in quibusdam libris adjicitur. Consule Diodorum, ex quo hæc Curtii desumta sunt. Abest etiam vox *alia* ab olim impressis cura Erasmi, Brunonis, et ceterorum, eamdemque nuper quoque abjecit Tellierius. *Cellarius.*

Fluminum] Quorum enim? Ex Curtii mente, necesse est accipias Acesinen et Hydaspen, jam non seorsim fluentes, sed unum in alveum redactos. *Freinsh.*

Digitized by Google

§ 6 *Desperata salute*] Diodorus XVII. 96. contra: 'Oppido per iram (Alexandri) incenso, maximam illorum partem comburit,' Arrian. VI. 1. 31. cum Curtio facit. *Raderus.* Desperationis ejusmodi exempla congessit Freinshemius ad Florum II. 18. 15. ubi et hic locus citatur. *Snak.*

§ 7 *Hostes defendebant*] Editiones referebant cum aliquot scriptis libris, *hostes exstinguebant*, quod quidem verbum ad præcedentia referendum esset. *Modius.*

Naturæ vera bellum] Si est, ut esse debet, sua membranis auctoritas, nihil hic a me peccatum est, cum *vera* illud in omnibus inventum pro vulgato *jura* substitui. *Modius.* Ut bene Modius, *qui defendebant*, ita male idem, qui *vera* rescripserit ex membranis. Alterum vulgo pessime: hoc optime, *Naturæ jura*, quod nullo jure potuit illi posthaberi: nimium vero membranis tribuimus, si contra vérum iis niti sustinemus. *Acidalius.* *Naturæ jura*] Gronovius in Diatribe ad Statii Silv. cap. 61. 'Naturæ vera. Sic omnes Modii, et duo, quorum nos excerpta habemus. Scioli ex glossa supposuerunt *jura*.' Verum Acidalius ait nimium nos membranis tribuere, si contra verum iis niti sustineamus. Gronovius probat *verum* pro æquo sæpe poni, quod etiam nonnullis exemplis ostendit Brantius ad illa Cæsaris de Bell. Gall. IV. 8. 'Neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos invadere.' Utrum eo Curtius hic uti voluerit, ambigo. Nec omittendum est quod excerpta Pal. 1. et D. quæ eadem putamus esse, quorum Gronovius mentionem facit (ipsius enim beneficio ad nos pervenisse, in Var. Lect. libello testati sumus) confirmant vulgatam lectionem, *jura*: ut quidem nobis ab Juvene et docto et diligente perscripta sunt. *Freinsh.* Gronovius ex Codicibus *naturæ vera*, hoc est, ipso interprete, *æqua*, ut *verum* etiam Cæsari B. Gall. IV. 8. significat, constanter editi (et Mss.) *jura*. Cellar. *Naturæ jura*] Recte. Ovid. 'Sunt mihi naturæ jura novanda meæ.' *Heins.* Minerva ac Musis omnibus prorsus refragantibus rescribit J. F. Gronovius, *naturæ vera*. Heumann. De Arte Crit. § 12.

§ 8 *Munimenta arcis*] Et hæc quoque ut ita excudi juberem, persuaserunt membranæ, editiones enim alioqui *munimento* habebant. *Modius.* *Munimenta* arcis ut flumina dicantur, non improbo, qui eadem scio sæpe regni munimenta dici. Concinnius hic tamen legas, *munimento*, quomodo exstat in vulgatis, ut *applicant* verbum habeat, cui applicetur. Convenisse vult tria flumina ad arcem, et ejus munitioni se applicasse. quod alii non attestantur, alia nescio quæ nec ipsa inter se consentanea narrantes. *Acidalius.* Alii, *munimenta*. Mihi Acidaliana arrisit emendatio; servoque τὸ *munimento*. Raderus.

Acesines Hydaspi confunditur] At vero dudum prætervectus erat rex hos confluentes, [vid. Delph. Not.] uti ex principio hujus capitis, et Arriano constat. Neque alius auctoris est tam memorabilis trium maximorum fluminum ad unam arcem concursus, præter Diodorum XVII. 97. si modo Noster illum penitus intellexit, quod dubitat Freinshemius ad num. 15. *Cellar.*

§ 9 *Cætus maritimis*] Vide prius et vulgatam, et quæ in scriptis libris exstat, scripturam, deinde judica, et culpari an laudari magis in hac re debeam, pronuntia; sic igitur libri excusi, *Ceterum omnium coitus maritimis similes fluctus movent, multoque ac turbido limo, quod aquarum concursu subinde turbatur, iter qua manet navigiis in tenuem alveum cogitur*: quæ hæc, inquis, monstra verborum? ita sunt; verum audi nunc membranas: *Ceterum omnium cætus maritimis similes fluctus movet, multoque ac turbido limo*

Digitized by Google

subinde turbatur, iter quam meant navigiis in tenuem alveum cogitur: parum bene, sed unde tamen non inepte concinnari hoc potuit, quod exprimi jussi, etsi etiam ab eo illa, *aquarum concursu*, cum a scriptis libris absint, non male abesse posse videantur. *Modius.* *Amnium cœtus*] Eleganter hoc ab animatis ad res inanimas translata significatione. *Cœtus* idem est quod *coitus* Lucret. lib. I. 'Quippe suam quidquam in cœtu variantis acervi.' Id est, inquit Lambinus, in concilio et congressu varii acervi: *cœtus* idem significat quod *coitus:* imo vero *coitus* et *cœtus* idem sunt, proinde non fuisset opus emendare vocem *coitus* hoc loco, quæ antea legebatur, cum idem sonent, idem valeant. *Raderus.*

Qua meant navigia] Leg. *qua meatur navigiis.* Heinsius.

In tenuem alveum] Angustum, ut 'tenue fretum,' de Siculo, dixit Florus cap. II. 8. deque hujus vocis vario usu consules Cl. Burmannum ad Val. Flacc. IV. 330. *Snak.*

§ 10 *Nautæ carperunt*] Inserunt editiones inter has voces, vocem, *vela.* Modius.

Hinc cœtu] Adhuc editiones, metuentes, credo, ne quando sui similes non essent, *hinc metu:* pessime: nisi forte ex illo *metu* nescio quam novam, et inauditam etiam antiquorum fabulis Charybdim fingere placet. *Modius.* Non constituo, membranarum *cœtu*, an excusorum *metu* verius: quorum et neutrum fortasse verum. At 'ministeria nautarum' solens Curtius dicit IV. 3. 18. 'Miles ministeria nautarum, remiges militis officia turbabant.' VII. 9. 6. 'Vacillantesque milites, et ne excuterentur solliciti, nautarum ministeria turbaverant.' Alii item ministrandi verbum, velut proprium hic usurpant. Virgil. Æn. VI. 302. 'velisque ministrat.' Tacit. Germ. cap. 44. 'Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.' Ut autem nautarum ministerium, sic imperium proprie gubernatorum. IX. 9. 15. 'Nec in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox a tumultuantibus poterat, nec imperium a territis incompositisque servari.' IV. 3. 18. 'Quippe gubernatores alias imperare soliti, tum metu mortis jussa exsequebantur.' *Acidalius.* *Cœtu* servat Raderus, et explicat de coitu fluminum. Ego *metu* præferam, idque interpreter de ipsis nautis in periculo trepidantibus, nisi forte de metu militum hic fuit, ut sup. IV. 9. 20. et inf. IX. 9. 15. ubi plura. *Freinsh.*

§ 11 *Duo majora navigia*] *Majora omnium* vulgo, flagitiosissime. *Modius.* In vulgatis, *majora omnium;* quod adstruere ego poteram aliorum exemplis, et Apuleii maxime: sed placet, ad ipsum ea reservare, neque Curtio loquendi genus hoc impingere: qui, ne supervacuam censeamus omissam vocem, ita potius traductim scripsit, *In oculis omnium duo majora navigia submersa sunt.* Acidalius. *Majora omnium*] Hoc est, *maxima omnium*, ut volunt, quorum sententiam et probationes in Indicem referimus. Mihi quidem cum Acidalio et Sebisio potius videtur factam hic verborum transpositionem, legendumque, *In oculis omnium duo majora navigia submersa sunt:* tum quod Curtium hæc magis sapiunt, qui non delectatur insolentia phrasium, quæ hic duplex, et, *in oculis*, non adjecto cujus, et *majora omnium:* tum quod rei veritas hunc sensum non patitur. 'Duas longas naves' submersas Diodorus XVII. 97. tradit: cui plane consentit Arriani narratio VI. 1. 19. si recte perpendas. Fuerunt ergo naves illæ ex octoginta triacontoris Arriani VI. 1. 8. qualibet illarum, ut consentaneum est, nihil superiores magnitudine: 'longas' appellat Noster IX. 9. 2. *Freinsh.*

§ 12 *Ut exciperent eum haud procul*]

Digitized by Google

Forte, *ut exciperent, haud procul.* Heinsius.

Nataturi] Sunt qui negent scivisse. Zonaras ex Plutarcho cap. 102. et forte hac de caussa *amici, ut exciperent eum, haud procul nabant:* sive, ut Sebisius volebat, *navigabant.* Cui tamen non assentior, cum in communi periculo non vacasset ipsis suo arbitrio navigare. Ego de amicis qui in eadem nave erant, intelligo: plane ut in periculo Pyrrhi apud Plutarch. Pyrr. cap. 32. *Freinsh.*

§ 13 *Ergo ingenti, &c.*] Pulchra descriptio, cujus similis IV. 3. 'Tandem remis pertinacius everberatum mare velut eripientibus navigia classicis cessit, appulsaque sunt litori lacerata pleraque.' *Acidalius.*

Quanta vis humana esse poterat] Virg. Æn. IX. 412. 'potuit quæ maxima virtus Esse, fuit.' *Heinsius.*

Se invehebant] Forte, *insæviebant.* Heinsius.

§ 15 *Inde ventum*] Iterum nobis occurrit haud parvæ difficultatis nodus. Ait Macedonem venisse in regionem Mallorum, cum jam reliquisset confluentes Acesinis et Hydaspis, post urbem ab incolis crematam, cujus arcem tria flumina stringerent; postque periculum in confluente trium istorum superatum. Secutus est, ut licet credere, Diodorum XVII. 97. nisi qua illum non cepit. Sed ambos erroris convincit diligentissimi scriptoris Arriani narratio VI. 1. cui penes me fides eo firmior, quod non, ut aliæ, vel cum geographorum sententia, vel secum ipsa pugnat. Nam ecce postquam navigationem Alexander per Hydaspen, ut supra quoque demonstravimus, orsus est, accolas utriusque ripæ perdomuit, inter quos et Sibas Arrianum innuere, paullo ante dictum est. Periculum autem classis in confluente Acesinis et Hydaspis accidisse narrat Arrianus, post quod alias ab Alexandro gentes subactas, donec reparata classe, iter in Mallos persequeretur: in quibus locis urbem illam summa vi defensam per desperationem incenderint incolæ. Quæ quidem nullam plane contradictionem continent. At Curtii narratio de confluente trium amnium ne Diodoro quidem consentit. ille enim non ut Curtius tres diversos amnes uno loco jungit, quam insignem observationem nec alii prætermisissent; sed Acesinen cum Hydaspe, quem jam ille receperat, in Indum effundit. De periculo autem classis uterque falsus videtur: nam si ad Indi confluentes id accidit; non postea demum ad Mallos pervenit: si hoc verum est; in confluentibus Acesinis et Hydaspis Alexandrum periclitatum apparet. Apud Mallos enim Acesines in Indum exit, ut Arrian. Ind. I. 13. scribit: quia tamen addit in Oxydracis (qui forte Ὀξυδάκαι Dionysio vs. 1138.) Acesini Hydaspen misceri, quos populos conterminos fuisse consensu traditur, non adeo longe distare potuerint Acesinis et Hydaspis confluentes, a confluentibus Acesinis et Indi. Eadem confusio caussam alii quoque contradictioni dedit: nam infra IX. 8. 3. dicit eum secundo flumine in fines Mallorum pervenisse; postquam hic jam tum idem asseruisset, totque res in ea regione interim gestas exposuisset. De Oxydracis vide Reineccium tom. III. p. 184. *Freinsh.*

Periculi societas junxerat] Ovid. Met. I. 352. 'Quam commune mihi genus, et patruelis origo, Deinde torus junxit, nunc ipsa pericula jungunt.' Cicero pro Deiotaro cap. 5. 'Venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad victoriæ societatem.' *Snak.*

Novem millia] Lege, *nonaginta;* nam ita Diodorus, Justinus, Orosius, et Plutarchus, ubi autem in Plutarcho ἱππογῶν est, legendum πεζῶν. Nonaginta enim peditum, non equitum fuere: pro πεζῶν reponendum ἱππο-

Digitized by Google

τῶν, voces inversæ sunt. Equitum vero X. M. quoque agnoscit Diodorus, Justinus, et Orosius LX. M. Plutarchus XX. M. *Loccenius. Octaginta millia*] Alii, *Novem millia*. Id cum falsum esse nemo dubitet; Curtio redonandum putavi, quod ipsum scripsisse, etiamsi aliorum scriptorum ope non juvaremur, totus hic locus clamat. Diodorus XVII. 98. unde hæc desumpta, totidem numerat. et quamquam ad novenarium numerum inclinent alii libri; tamen ex Pal. I. qui *VIII. M.* habet, Curtium a Diodoro non discessisse deprehendi. *Freinsh.*

§ 17 *Gangen amnem et quæ ultra essent, coactos transmittere*] Sequitur locus, ad quem explanandum vel Œdipo, vel Dædalo, vel Theseo, vel Delio aliquo natatore opus sit: pugnat enim recta fronte cum superiore cap. 8. explanato, ubi cum explicasset, quomodo Macedones transmissionem Gangis et ulteriorum regionum multis lacrimis perorante Cœno deprecati essent, subjicit, Alexandrum ad Hypasin progressum (ut cap. IV. docuerat) ibi recusantibus Macedonibus ulteriorem profectionem, XII. aras monumentum expeditionis erexisse, posteaque relegisse, quæ emensus erat, et ad Acesinen reversum, ibi castra posuisse; et quod amplius est. Curtio suffragantur scriptores prope omnes, Diodorus inquam, Plutarchus, Arrianus, Philostratus, Solinus, Strabo; solus Craterus, referente Strabone (quod et Eustathius ex eodem narravit) in fabulosa Epistola ad Aristopatram matrem scripta affirmat, Alexandrum ad Gangem usque progressum. Sed Strabo docet illum a fide remotiora tradere. Cum ergo Alexander non solum non Gangem, sed nec Hyphasim transierit, quomodo hoc loco queruntur Macedones, *se coactos Gangen transmittere*, et *cessisse illis Gangen*, cum hoc ante Curtius nusquam posuerit, nusquam narrarit, sed diserte et exerte contrarium scripserit? Expectabam hic crisin Modii, ἀκρίβειαν Acidalii: Conticuere omnes, pressis vox faucibus hæsit. Glareanus tamen *coactos* mutandum putavit in *coactum*, ut de Alexandro ab exercitu coacto intelligeretur. Sed quando, ubi, et quomodo exercitus coëgit Alexandrum Gangem transmittere, quem ipse recusavit sequi? ἄκοντα πάντα· auxit difficultatem, non sustulit, aut minuit. Quod si Glareanus *coactum transmittere* exponat *non trajicere*, ἀνανάτερον erit, et contraria voci significatio, transmittere enim flumen aut mare, est trajicere, non contra, omittere vel non transire. Si quis dicat, aliam mentem esse Glareani, coactum nempe Alexandrum ab exercitu, quem pœnituerat prioris consilii, quod impedisset transmissionem Gangis, coëgisse vero postea, et exercitum secutum. Primum hoc nusquam dicit Curtius; deinde, non conveniunt huic explanationi quæ sequuntur in oratione Alexandri, ubi dicit, se illis cessisse Gangem metuentibus, et iter a Gange et ulterioribus declinasse, rediisse ad Acesinem. Divinabo ergo veram Curtii scripturam: imo non divinabo, sed certo definiam et affirmabo, non e manu librorum vel librariorum, sed mente Curtii, inseramque τὸ μέρος ἀρνητικὸν negationem inquam *non*, et locum ita constituam: *Non quidem Gangen amnem et quæ ultra essent, coactos transmittere, non tamen finisse bellum.* Vera hæc scriptura, et certa lectio ex historiæ fide. Offenderat credo imperitum aliquem, nec mentem Curtii assecutum, gemina particula *non*, paucis verbis interjectis repetita, qui illam ex Curtio expunxit, et totum simul historiæ sensum evertit. Jam attende, quomodo ex hac nostra emendatione, et unius voculæ necessaria interjectione, omnia sibi belle respondeant, omnia constent, omnia cohæreant. Macedo-

Digitized by Google

nes cum ab Hypaside flumine Alexandrum avertissent, vicissentque, ne vellet ulterius progredi, nec Gangem petere, nec quæ ultra Gangem sita sunt, et jam ad Acesinem regressi essent, adeoque finem omnium laborum, et securam quietem, patriamque cogitarent et sperarent; posteaquam viderunt regem suum ad Oceanum, quamvis non Orientem, sed Meridiem versus tendere, multasque et feroces et pugnaces gentes transeundas, manusque cum illis conserendas, versi in seditionem, ægre tulerunt, se ad Oceanum, hoc est, æternam noctem et finem mundi, caliginem et tenebras duci, et iterum cum fortissimis bellicosissimisque populis, adeoque feris et indomitis gentibus dimicandum, in has voces contra Alexandrum erupere: Non quidem se coactos Gangem, et quæ ultra Gangem sint, transmittere, ubi ipsos tot immanes elephanti, tot millia equitum, tot centena millia peditum expectabant; non tamen, uti speraverant et optaverant, finisse bellum, sed tantum mutasse: hostem nempe alium quæsitum, et alium bello delectum locum: præterea trahi se ad extrema mundi, extra solis mundique vias, et extra ipsa sidera, ubi æterna noctis caligine et tenebris sint involvendi, immanissimisque maris beluis, phocis, cetis, et monstris sint objiciendi: hæc sua fore præmia belli. Atque ita ex mente Curtii seditiosus miles. Nunc Alexandrum respondentem, et dictis trucia pectora placantem audiamus, quomodo et illius oratio nostræ, hoc est, Curtii narrationi ad unguem conveniat. *Raderus. Gangem*] Non latuit hujus loci difficultas Glareanum, quippe videbat nec præcedenti Curtii narrationi convenire iathæc posse, nec illis quæ paullo post subjiciuntur, 'Cessisse illis metuentibus Gangen,' &c. ideo conjecerat legendum, *Gangen amnem et quæ ultra essent coactum transmittere*, ut *τὸ coactum* ad Alexandrum referatur. Id valde absurdum visum Radero, qui veram Curtii scripturam certo definire autumat, *Non quidem Gangen amnem et q. u. e. coactos transmittere.* Sed pro Glareano possemus dicere, Radero non venisse in mentem *transmittere* idem interdum esse quod omittere, prætermittere: apud Romanos 'vis imperii valet, inania transmittuntur,' ait Tacit. XV. 31. 2. Ipsius autem conjectura merito suspecta est nimiæ liberalitatis: nec enim unam modo voculam, ut affirmat, sed duas adjecit. Ergo Glareani conjecturam merito prætulerim. Nisi forte pro *Gangen* scripsit aut sensit Curtius *Indum.* Distinctionem etiam mutem: *Indum et q. u. s. e. t. n. t. f. s. m. bellum indomitis gentibus objectos. Ut s. s. a. ei Oceanum, trahi extra sidera, &c.* Freinsh.

§ 18 *Trahi extra sidera, et solem, cogique adire quæ mortalium oculis natura subduxerat*] Melius, *subduxerit.* Acidalius. Vide VI. 14. 24. *Cellar.* Vide IV. 8. 3. Adde Florum lib. II. 17. *Snak.*

Novis armis] Ad sua respiciunt, opinor, non hostilia. Vide supra IX. 3. 21. *Freinsh.*

Profundo incubantem] Addunt, qui ignorant illo hoc dici, *mari*, nec recte paullo ante est in membranis *perpetua nocte*, pro *perpetuam noctem*; et paullo post, *repletum immanium beluarum egregium fretum*, pro *gregibus.* Modius. Quid ita recusemus addi *mari?* displicet *λεπτολογεῖν*, ipsum Virgilianum est Æn. I. 93. 'Ponto nox incubat atra.' *Acidal.* Declamatoria sunt, qualia apud Senec. Suasor. I. Lucan. V. 4. 'Sæva quies pelago.' *Loccen.* Non tamen hic tanti est, ut ex mente Acidalii vox *mari* addatur. *Freinsh.* Et hoc ex vulgi opinione, qua extra se sidera et lucem trahi credebant, si ultra terminos notos habitati orbis ducerentur. *Cellar.* Hæc omnia non sufficiunt, quo minus Cur-

Digitized by Google

tium ut Astronomiæ imperitum, et infamiæ nota signandum criminetur Cl. Clericus Judicii II. 5. De vi vocis *incubare*, vide quæ collegit Cl. Dukerus ad Flori II. 6. 57. *Snak.*

Emoriens natura] Deficiens, et quasi effœta languente propagine, ut supra IV. 7. 10. 'Jam tamen sterili et emoriente terra.' Vis et efficacia quædam composito inesse videtur. Phædrus I. 6. 7. 'Nunc inquit omnes unus exurit lacus, Cogitque miseras arida sede emori:' ubi vix ullam vim in composito præ simplici agnoscunt doctissimi commentatores. Et sic Sallustius pro simplici posuit B. Catil. c. 20. 'Nonne emori per virtutem præstat?' Iterum Jugurth. cap. 17. 'Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset.' *Snak.*

§ 19 *Rex non sua*] Quia interritus nullas gentes, quantumvis feroces, metuebat, imo quo bellicosiores erant, hoc ardentius bellum cum illis et prœlium expetebat, a quibus victis majorem famam et gloriam esset reportaturus: cum enim illi nuntiatum esset, quam validæ gentes trans Gangem, et quanto cum milite illum expectarent, 'vehementi,' inquit Arrianus, 'ejus animum ulterius procedendi studio exstimulabant.' *Raderus.*

Sed militum sollicitudine anxius] Illorum enim animi fatiscebant, et novo hoste objecto exanimabantur. *Raderus.*

Imbelles esse] Respondet ad primum Macedonum trepidantium argumentum: 'cum ferocissimis gentibus bellum integrum esse.' Hoc diluit, negatque fortes esse, sed imbelles illas gentes, nulloque negotio vinci et deleri posse. Et credebat miles regi numquam fallenti, ut alibi testatus est Curtius: deinde illas unas et solas, easque ipsas imbelles superesse, nullos novos hostes alios pertimescendos, et his superatis, mox ad ultimos mundi fines perventuros: se fecisse illis hanc gratiam, ut nullum cogeret trajicere Gangem, quem metuissent, et adversus gentes ultra Gangem sitas belligerare, iterque inde ad Oceanum, qua meridiem spectat, deflexisse, ut id quod ultra Gangem quæsiturus erat, citra Gangem cum minori periculo et majori gloria assequeretur: proinde, par esse, ut sibi quoque ultra Bacchi et Herculis terminos tendenti obsequerentur, nec illam sibi laudem et immortalitatis famam inviderent, nec cogerent se ex India fugere, sed cum triumpho velut devictis hostibus redire: jam proximos esse Oceano, jam auram maris ad ipsos usque perflantem sentire. Hæc oratio, sed obliqua, fuit Alexandri, in qua singillatim illud quod dictum est, non lippis oculis transibis, cessisse illis metuentibus Gangem et multitudinem nationum, quæ ultra amnem essent: hoc est, se cessisse illis, et locum precibus illorum dedisse, ne, quem timuissent Gangem, cogerentur transmittere, et cum populis ultra Gangem sitis, quorum arma et elephantos formidassent, manus conserere: sed se, relicto Gange, et quidquid ultra est, iter ad reditum declinasse, atque ad Acesinem rediisse. Tuam fidem, lector, utrum non hoc ex ipsa Curtii mente, pectore et sensu? Diligenter omnia verba expendi, et statim ab initio hanc labem inesse Curtio, sibi, ut antea verba jacebant, ipsi in se pugnanti, animadverti. Non transisse Gangem, etiam Siculus testatur. 'Quia enim Gangem transire Macedones detrectarent, et subinde in concionibus regi clamore suo obstrepebant, ortumque ex Hammone sugillabant; agmen hoc Persarum ejusdem ætatis, quod phalangi Macedonicæ opponi posset, sibi comparavit.' *Raderus.*

§ 21 *Perflare ad ipsos auram*] Vel dele *ad*, vel forte, *proflare*; vel etiam, *perflare adeo ipsos auram maris*; vel

Digitized by Google

potius leg. *jam perflari adeo ipsos aura maris.* Sic IX. 9. 3. 'Agnoscere ipsos auram maris, et haud procul videri sibi Oceanum abesse indicant regi.' *Heins.*

Transituro illos] Vulgo, *Herculis et Liberi patris terminos transituros illos. Regi suo parvo impendio immortalitatem famæ daturos:* ineptissime, et insulsissime, seu verba seu interpunctionem spectes. *Modius.* Insulsa ineptaque sane vulgaris et lectio et distinctio; non multo tamen utraque vel altera melior Modiana. Scribo: *jam prospicere ee Oceanum: jam perflare ad ipsos aurum maris. Ne invideren sibi laudem, quam peteret, Herculis et Liberi patris terminos transiturus. Ipsos regi suo, &c.* Acidalius. Sic certe melius Acidalius. *Freinsh.* Recte Acidalii *transiturus* probat Freinsh. *Heinsius.*

§ 22 *Omnis multitudo*] Livius XXXI. 34. 'Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis.' *Cellar.*

Fertur] Mss. *adfertur*, vel *affertur:* leg. *aufertur.* Noster VIII. 13. 16. 'Impetu amnis ablati sunt.' Ovid. Met. I. 306. 'Crura nec ablato prosunt velocia cervo.' *Heinsius.*

§ 23 *Alacer clamor*] Vide IX. 2. 30. *Cellar.*

Æquaretque gloria] Membranæ, *ut æquaret;* minus bene. *Modius.*

§ 24 *Speciem multitudinis*] Simile strategema Eumenis adnotat Diodorus XIX. 37. et scriptores vitæ, cum Polyæno IV. 8. 4. Ignibus accensis speciem auctorum aut manentium castrorum objectam hosti reperies apud Liv. XXVII. 44. 7. et alibi passim. *Freinsh.*

§ 25 *Lux appetebat*] Sæpius jam idem monui, semper in editis *apparebat* esse, ubi in similibus locis *appetebat* constanter membranæ referunt. *Modius.*

Sed metune, an] Impudenter impudentes correctores, qui nobis hic obtrudere postulent *ut traditur*, vel, neque enim hac parte etiam ipsis satis convenit, *non traditur*, cum solem istum videntem Deum dejerare habeam, neutrum a Curtio esse, sed ab eo, qui voluit notare, non frustra dubitare Auctorem, unde factum sit, ut profugerint Oxydracæ, et Malli, quippe caussam ejus rei a nullo traditam esse hactenus. *Modius.* Novi ex Tacito aliisque alternantem hanc locutionem. Nec ea Curtium usum negem, sed nec tam asseverate cum Modio affirmem: qui quidquid juret, a correctoribus intrusa ista, vel *ut traditur*, vel *non traditur*, non persuadet omnino mihi, propter sequentia hæc maxime, *Certe avios montes, et impeditos occupaverunt:* quæ melius hærent, ita nexa oratione: *sed haud traditur, metune, an oborta seditione inter ipsos, profugerint barbari; certe avios montes, &c.* Acidalius. *Sed metune*] Aliæ edit. addunt, *sed non traditur, metune*, quod eliminandum censuit Palmerius cum Modio; defendit Acidalius, et sane tolerari potest. Habent quidam, *sed ut traditur*, ex quo Acidal. *sed haud traditur:* placet, si etiam facias *profugerint.* Freinsh. *Ut traditur*] Glossa est. Vid. Acidal. vel lege, *sed utrum metu an seditione.* Vide nos ad Ovid. Fast. VI. 435. *Heinsius. Ut traditur*] Ita nempe volunt et codices et multæ editiones, sed glossema esse persuadet et vernustior et elegantior dicendi genus, si omittatur: et certe sensus ipsi nullus est hoc modo, itaque vel legendum est *haud traditur*, vel omnino expungendum; nam talia millies intrusa aut omissa sunt a librariis in optimis scriptoribus, ut nunc hoc loco; quia nihil magis frequentatum, quam 'incertum,' 'dubium,' 'in ambiguo est,' 'traditur,' et quæ sunt talia multa, in suspensa oratione his particulis adjungi. Noster IV. 15. 12. VIII. 6. 21. Justin. XI. 6. 3. Florus I. 1. 12. II. 14. 3. III. 3. 8. Sed omisso dubitandi verbo hæ particulæ *ne an* hic pro *sive* poni viden-

Digitized by Google

tur. Sic Cicero de claris Oratoribus, 'Paucis antequam mortuus est, an diebus an mensibus.' Virgilium vide Georg. I. 25. et seq. et sic Æn. I. 138. 'An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una Sis felix:' atque ita respondet Græco ἢ, εἰ δὲ μή. *Snak.*

§ 26 *Oxydracarum*] Negat Arrian. VI. 2. 18. 'Infortunium hoc in Oxydracis Alexandro obtigisse communis opinio est: quod tamen apud Mallos, liberam Indorum gentem, accidit. Nam et urbs Mallorum erat, et a Mallis ictus fuit Alexander. Porro statuerant quidem Malli Oxydracis sese conjungere, atque ita prœlium inire, sed Alexander itinere per arida et siticulosa loca facto eos præverterat, priusquam aut Malli Oxydracis, aut Oxydracæ Mallis adjumento esse possent.' Inter eos qui apud Oxydracas hoc accidisse tradunt, est etiam Lucianus Dial. Mortuor. XIV. 14. Appianus Civil. lib. II. sub fin. L. Ampelius, qui vocat 'Ozydracas,' et Stephanus in Ὀξυδράκαι, et Pausanias in Atticis. Verum Plutarch. cap. 110. et de Fort. Alex. I. 1. et II. 29. item Strabo, scribunt in Mallis hoc esse gestum. *Freinsh.*

§ 27 *Admovebat*] Forte *admovebatur.* IX. 5. 25. ubi *manus* omittunt Mss. IX. 9. 7. 'spes admovebatur.' *Heinsius. Admovebat*] Sc. *se*, quam Petronianam phrasin annotat Cl. Burmann. ad Satyric. ejusdem cap. 86. nam sic apud Terent. Eunuch. v. 3. 3. 'Move vero ocius te, nutrix, moveo, video, sed nihil promoves.' De hac Ellipsi in multis activis vide Sanctii Minervam IV. 3. et ibid. Cl. Perizonium: sic apud Tacit. de Mor. Germ. cap. 27. legunt quidam 'Ne Parthi quidem sæpius admovere.' Sed Lipsius et Pichena reponunt 'admonere.' Vide J. F. Gronovium Observ. IV. 21. *Snak.*

Ne committeret] Istud *committeret* absolute dictum volebat eruditissimus Vir ad Albinum Capitolini, ut in glossis *Committere*, συμβάλλειν μάχην. Sed cum hic sequatur vox *obsidionem*, ad ipsam committendi verbum referri videbatur. Numquid autem scripsit Curtius, *monere cepit*, (*ut*) *omitteret*, *aut certe differret obsidionem?* Freinsh. Ne inchoaret, ut Æn. v. 113. 'Et tuba commissos medio canit aggere ludos.' 'commissos,' id est, inchoatos. Conjiciebat Freinshemius forsan legendum esse, *ut omitteret*, aut suppressa conjunctione, *movere cœpit*, *omitteret*, quod etiam Tellierio non displicet. *Cellar.* Recte, inchoaret: addere poteris Cl. Burmann. ad Val. Flacc. VI. 31. *Snak.*

§ 28 *Demophoonta*] Plutarchus in Alexandro hunc Cleomanta vocat: Πυθόμενος δὲ ὁ βασιλεὺς ἀνεκοινοῦτο τοῖς μάντεσιν, Ἀριστάνδρῳ καὶ Κλεόμαντι τῷ Λάκωνι. Aut etiam Demophoon quidam mensis præfectus Alexandri, qui, ut refert Laërtius in Vita Pyrrhonis, ἐν σκιᾷ ἐθάλπετο, ἐν ἡλίῳ δὲ ἐρρίγου, *Ad umbram calefiebat, in sole vero rigebat.* Popma. *Demophoonta*] Sic etiam vocat Diodor. XVII. 98. Cleomantes Plutarchi cap. 80. huc, opinor, nihil pertinet. *Freinsh.*

Dubitem] *Dubium*, alii. *Modius.*

§ 30 *Angusta muri corona*] Summitas muri angusta erat, nec pinnis et ceteris intervallis, ut in aliis solebat, distincta. *Cellar.*

§ 32 *Magnitudinem periculi*] Membranæ voce addita legunt, *magnitudinem telorum periculi pudor vicit*; sed non capio, quis hic ejus usus esse possit, nisi etiam alia mutentur, de quo judicent alii. *Modius.*

§ 33 *Pro se quisque certat*] Leg. *certant.* Heinsius. Et ita sane melius sequentibus respondent. *Snak.*

CAP. V. § 1 *Jamque lævam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassaverat*] Quis lassaverat? Alexander. Qua re? circumferendo clypeum: sic potest locus accipi: suspicor tamen, *lassaverant* scripsisse, ac retulisse ad hostes. *Scheff.*

Digitized by Google

Ille rem ausus] Nam Alexander hic temeraria audacia nimium provectus vere *βαθυκινδυνος* fuit, (ut auctor est Arrianus,) hoc modo, *οὐ στρατηγοῦ ταῦτα, ἀλλὰ στρατιώτου εἶναι, Non hæc ducis, sed temerarii militis esse.* Strabo vero, Philostratus, alii hoc non factum apud Oxydracas, sed Mallos volunt. *Loccenius.*

Incredibilem] De eximio Coclitis Horatii facto Livius II. 10. 11. 'Rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.' Ovidius in Epist. Paridis vs. 60. 'Vera loquar, veri non habitura fidem.' Sic enim lego: vulgo, 'vero non hab. fidem.' Seneca Epist. XCIV. 51. 'Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri, et fiducia: utramque admonitio facit. Nam et creditur illi,' &c. Sic explicat, quid sit 'fides veri,' ipse Ovid. Fast. III. 662. 'nostras pervenit ad aures Fama, nec a veri dissidet illa fide.' *Freinsh.*

Ad famam temeritatis] Huc referri potest illud Senecæ de Benefic. I. 13. de Alexandro, 'cui pro virtute erat felix temeritas.' *Snak.*

§ 2 *Namque*] Vox nihili, ab ineptis correctoribus intrusa. Sic cohæret oratio, *rem ausus incredibilem, in urbem hostium se immisit;* nec habet illud, *quum, quum ille rem ausus, &c.* unde se sustentet, nisi perperam inserta removeas. *Freinsh.* Concinnior connexio verborum submoto hoc vocabulo. *Cellar.* Hæc quoque pugnæ descriptio, ut tædiosæ hyperboles exemplum, exagitatur a Cl. Clerico Judicii VIII. 6. *Snak.*

Saltu semet immisit] Male narrat Orosius III. 19. 'cum murum ascendisset primus, vacuam civitatem ratus, solus introrsum desilnit.' Melius tamen auctore suo Justino XII. 9. 5. 'Ad urbem eorum ducit. Quam desertam a defensoribus cum de muro, quem primus ceperat, animadvertisset, in urbis planiciem sine ullo satellite desilit.' Si enim hoc verum, unde illi hostes, qui statim 'cum eum solum conspexissent, undique concurrunt?' Vidit absurditatem Orosius, et lenivit, non sustulit: nec enim credibile est quidquam evenisse, unde vacuam urbem putare potuisset Alexander: parco cetera persequi, nec vacat. Alexandri autem factum, quo auctore nescio, sic recenset Fulgos. III. 2. 6. 'Cum effractis scalis cum duobus tantum remansisset comitibus, quamquam multis acceptis vulneribus, numquam de se hostibus dedendo verbum fecit, sed ut erat confossus, a muris saltu ad suos se recepit.' Porro temeritatis eam ob caussam arguitur ab amicis apud Arrian. ex Nearcho VI. 2. 29. a Philippo apud Lucian. Dial. Mortuor. XIV. 15. et ab Hegesippo V. 19. ubi hæc res non incommode exponitur. Notandum etiam quod Eustathius ad Homer. Iliad. E. 4. scribit, Indos aspectu desilientis territos recessisse paullisper, ex splendore armorum, non hominem quemdam, sed spectrum in eos ferri arbitrati. Quod ex Plutarchi cap. 110. desumptum est. *Freinsh.*

§ 4 *Vetusta arbor*] Arrianus et Plutarchus scribunt muro arcis applicuisse corpus Alexandrum (et ita Orosius, 'muri obice posteriora tutatus') Justinus, trunco propter murum stanti. Diodorus conciliat: 'A dextra,' inquit, 'arborem radicibus muro adfixam a sinistra murum ipsum pro munimento habuit.' *Loccen.*

De industria] Effectu facultatis suæ, ut solet hæc vox de rebus mutis et sensu carentibus adhiberi a Nostro et aliis, quorum copiam facient docti ad Florum II. 8. 1. *Snak.*

Ne circumiri posset] Numquid hæc ex superioribus temere repetita? videntur. *Freinsh.* Tria verba, *ne circumiri posset,* haud dubie e margine in sermonis seriem irrepserunt. Nam numero præcedenti Curtius meminit, regem 'stantem iniisse pugnam, et

Digitized by Google

ne circumiri posset, fortunam providisse.' Jam fortunæ auxilium declarat, commemorans, vetustam arborem haud procul muro stetisse. 'Hujus,' ita pergit, 'spatioso stipiti corpus adplicuit.' Lector quispiam intelligens, huc respexisse Curtium, cum ante dixit, 'Fortunam providisse, ne rex circumiri posset,' hæc eadem margini adlevit. Quæ librarius moleste sedulus in contextum sermonis recepit. His scriptis evolvens Freinshemium, deprehendo, idem et illi in mentem venisse, eique tria hæc verba e superioribus repetita videri. *Heumann. Glossemat. Dec.* III.

§ 5 *Nam quum unum*] Iterum præter morem suum liberales membranæ, etsi non lubenter in eam partem peccant, *nam cum cominus unus procul tot manus peterent:* inepte, et parum ad mentem Rufi nostri. *Modius. Unum*] Plutarch. cap. 110. 'Assistebant ei Peucestas et Limnæus,' qui Nostro 'Timæus,' quasi statim a principio ipsi adfuissent: quod et simillius vero. Nam et Arrian. VI. 2. 12. narrat, in eadem scala post Alexandrum statim adscendisse Peucestan, Leonnatumque et Abrean. deinde ceteros festinantes pondere suo rupisse scalas. *Freinsh. Unum*] Mss. *cominus:* forte *eminus*, ut X. 7. 18. *Heinsius.*

§ 7 *Saxa perfregerant*] Sic solent nempe 'lapides' in ejusmodi descriptionibus augeri; nam pro iisdem sumuntur apud Nostrum III. 4. 11. 'obrui potuisse vel saxis.' VI. 11. 38. 'dato signo, saxis obruerunt.' Phædr. III. 2. 'alii onerant saxis.' Sic 'lapides et saxa' fundis Balearum accommodat Florus III. 8. ut passim alii. *Snak.*

Gravia genua] *Gravata*, libri scripti. *Modius.*

§ 9 *Ægre jam*] Iidem, quos dixi, libri, *non ægre;* verum omnino abesse debet illud *non*. Modius.

Sagittam (*namque, &c.*] Nescio quid hic turbent membranæ, in quarum aliis ista (*namque Indis, ut antea diximus, hujus magnitudinis sagittæ erant*) non sunt, in aliis variant. Nescio, inquam, nescio, quid hic lateat: tantum paullatim, de eorum quæ semilunulis inclusi, etsi huc facere videantur, sinceritate addubitare occipio. *Modius.*

Namque Indis] Forte, *namque his.* Heinsius.

Hujus magnit. sagittæ] Vide supra ad VIII. 9. 28. Xenophon. Ἀναβάσ. lib. IV. de Carduchis: 'Arcus ternum fere cubitum habebant, sagittas, binis cubitis longiores. Nervos, emissuri sagittas, versus imam partem arcus tendebant, pedem sinistrum adplicantes: sagittæ ipsos clypeos et loricas penetrabant.' *Freinsh.*

Infigeretur] *Infigeret*, libri editi. *Modius.*

§ 10 *Ad spoliandum*] Iterum editi, *ad exspoliandum.* Modius.

§ 11 *Injicere corpori suo*] Membranæ, *quem ut injiceret corpori suo manus, sic, credo ultimi, &c.* inepte, si quid aliud. *Modius.*

Subjecto mucrone] Rectissime *subjecto;* an damnes tamen, quod alicubi memini videre, *subrecto?* Acidalius. Ego quoque divinabam *subrecto:* adjutus non absimili loco Statii XI. 563. 'Utque super stantem, pronumque in pectore sensit, Erigit occulte ferrum.' *Freinsh.*

§ 13 *Ad consitendum*] Eædem adhuc membranæ, *et postquam adeo nihil supererat virium;* non multo melius. *Modius.*

Ne sic quidem] Legendum ergo in Galtero: 'Sed neque sic proferre potens venerabile corpus.' Raderus citavit, *Sed neque se, &c.* Ipsum auctorem nancisci non potui: quod magnopere optabam, saltem ut viderem, an ad supplenda Curtiana fragmenta præsidii aliquid inde peti potuisset. *Freinsh.*

§ 14 *Tandem Peucestas*] Hunc om-

Digitized by Google

nes testantur Alexandro periclitanti adstitisse. Plutarchus cap. 110. Arrian. VI. 2. 12. Diodor. XVII. 99. De Leonnato non omnes consentiunt, ut nec de Abrea Duplario. De Aristono nulla apud alios mentio in hoc Alexandri discrimine, alioqui inter primos etiam Alexandri duces, qui infra X. 6. 16. de creando rege dixit sententiam. *Raderus. Peucestes Alexandri Magni servator* hinc appellatur Plinio XXXIV. 8. 23. Meminit ejus solius in hoc negotio Julianus in Cæsaribus. *Freinsh.*

Vestigia persequens regis] Peccant in distinctione libri vulgati, et legunt, *muri vestigia persequens, regi supervenit;* in speciem recte, re vera pessime. *Modius.*

Muri vestigia] Forte, *Fastigia.* Heinsius. Optime Heinsius, credo; nam sic IX. 4. 30. murum descripsit, 'cujus corona angusta' quidem, sed 'non pinnæ sicut alibi fastigium ejus distinxerant.' *Snak.*

§ 15 *Mortis solatium*] Pergunt impressi, *morti solatium supervenisse ratus;* et mox pro *subinde, subit hinc;* ac paullo post *hinc* pro *huic:* omnia, ut verbo absolvam, male. *Modius. Subinde*] Utcumque de aliis alii statuent, mihi non mutandum fuisse videtur *hinc.* At tergemina ista verbi *supervenit* repetitio me offendit. *Acidalius.*

Timæus: et paullo post Leonnatus: hinc Aristonus] Arrianus Timæi et Aristoni non meminit, sed Peucestem, Alceam, et Leonnatum, qui antequam scalæ rumperentur, in murum evaserant, refert, sese e muro in urbem, qua regem prostratum cernebant, conjecisse. Plutarchus auctor est, Alexandrum duobus tantum comitatum armigeris Peuceste et Lymnæo, quem Curtius Timæum vocat, intra mœnia fortiter contra barbaros dimicasse. *Popma. Aristonus*] Ἀριστόνους Πειταίου Πελλαῖος. Arrian. VI. 5. 9. ubi inter corporis custodes numeratur. Apud Sabellicum vitiose 'Aristonius.' Diversus ab hoc Ariston Pæonum præfectus supra IV. 9. 24. Compositum nomen est, ut Μεγιστόνους, Plutarch. Arato cap. 51. Eodem nomine statuarius apud Pausan. pag. 332. 20. *Freinsh.*

§ 16 *Timæus*] Plutarcho cap. 110. est 'Limnæus,' et Orat. de Fort. Alex. II. 29. 'Lemnæus.' *Freinsh.*

§ 18 *Submiserat clypeum*] 'Palladis Iliacæ scuto interjecto, regem protexerat,' Arrian. VI. 2. 8. et 13. Detraxerat id templo Minervæ, cum primum in Ilium venisset. Arrian. I. 5. 9. Ceterum festinabundus, ut apparet, Sabellicus, ex hoc Curtii loco male intellecto, scripsit: 'Timæo et Peuceste cadentibus, duos reliquos graviter vulneratos.' Cui tamen eodem libro in distributione provinciarum post Alexandri mortem Babylonios evenisse tradit. *Freinsh.*

§ 19 *Terruisset alios*] Vide Gruter. Discurs. ad Tacit. cap. 11. *Freinsh.*

Periculi omnis] Aptius hoc, quam *omnes,* quod vulgo est. *Modius.*

§ 21 *Ptolemæum*] Appellatum Σωτῆρα, servatorem, quod regem objecto scuto protexisset. Stephanus de urbibus in voce Ὀξυδράκαι. *Loccenius. Ptolemæum*] 'In eo autem præcipue mihi errasse videntur, qui Alexandri res conscripserunt, quod Ptolemæum Lagi F. una cum Alexandro et Peucesta scalam conscendisse scribant, jacentemque objecto scuto protexisse, ideoque Ptolemæum Soterem, id est, servatorem, a militibus appellatum fuisse: quum alioqui Ptolemæus ipse scribat, se huic pugnæ non interfuisse: sed eo tempore copiarum ducem adversus alios barbaros pugnasse,' Arrian. VI. 2. 23. ubi monet historicos, ut sint in tradendis rebus diligentiores. At enim Pausanias in Atticis pag. 10. tradit Ptolemæum 'Alexandro in Oxydracis periclitanti præ cunctis regis amicis auxilio fuisse.' *Raderus.* Stephanus

Digitized by Google

in Ὀξυδράκαι utramque opinionem tangit. L. Ampelius decus id Ptolemæo tribuit. *Freinsh.*

Clitarchus et Timagenes] De quibus eruditiss. Ger. Vossius de Historicis Græcis, I. 10. et 24. qui et in egregio illo opere memoriæ prodidit reliquos historiæ Alexandri scriptores, quorum ego quoque catalogum contexueram, sed gaudeo a tanto viro meam esse occupatam operam. *Loccenius.* De utroque simul Quinctilian. X. 1. 'Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Longo post intervallo temporis natus Timagenes, vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit.' Clitarchus autem comes fuit expeditionis Alexandri, quod volunt probare ex Diodor. Sic. II. 7. *Cellar.*

Non refragatus] Abest *non* a membranis, et potest abesse, ut videatur ridere Clitarchum et Timagenem Curtius, atque hæc εἰρωνικῶς dicat: de cetero de hac re ita Plutarchus libro priore περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου Τύχης ἢ Ἀρετῆς· Εἰ δὲ μὴ Πτολεμαῖος ὑπέρσχε τὴν πόλιν, Δυμναῖος δὲ πρὸ ἐμοῦ μυρίοις ἀκοντήσας βέλεσιν ἔπεσεν, ἥρειψαν δὲ θυμῷ καὶ βίᾳ Μακεδόνες τὸ τεῖχος, ἕδει τάφον Ἀλεξάνδρου τὴν βάρβαρον ἀκέλυτα καὶ ἀνώνυμον κόμην γενέσθαι. *Modius.* Non abesse potest tantum, sed debet omnino, istud *non:* quod si nec membranis abfuisset, tamen ego expulissem: ironiam esse vel *scilicet* particula satis ostendit. Tam hic timidus autem repente factus Modius, ut qui alia sæpe dubia aut nulla caussa, hoc non ausus sit, adeo magna, adeo certa! membranis maxime jubentibus, quarum alias nimis apud eum celebre imperium. *Acidalius. Non refragatus*] Acidalius exturbat *non;* ego retinendum judicem, nisi membranis absit. Non enim opus est, ut ironiam suspicemur, quoties occurrit vocula *scilicet:* interdum enim est serio valde affirmantis pro certo rem ita se habere: ut apud Cic. Epist. Famil. XIII. 26. 'Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere,' &c. Eadem notio vocis 'videlicet' in corrupto loco Livii XXIII. 12. 14. 'Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena: et commeatum, frumentum et pecuniam date.' Legendum: *prædæ videlicet plena et commeatuum: frumentum et pec. date:* nec vero historici gravitatem ejusmodi ironiæ decent. Similis est locus Livii XXXIV. 15. 10. 'Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos cæsos ait, numerum non scribit.' *Freinsh. Refragatus*] Cogitandum, an non verior sit lectio *refragaturus;* si hoc verum fuisset, non obstitisset ipse gloriæ suæ, nec negasset se tum fuisse præsentem. *Scheff.* Leg. *refragaturus.* Heinsius. Hanc medelam addere jam voluit huic loco Tan. Faber Epist. I. 15. et sic fere locutus est Noster VIII. 1. 32. 'Quum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente magis exasperabatur.' Sed plane necesse non est, invitis codicibus; nam involvit qualecumque futurum hoc præteritum, et sic passim: hoc vult; qui refragatus non fuisset, si ita res se haberet. De sensu autem temporis futuri in præteritis vide disputantem cum Cl. Ursino præstantissimum J. Perizonium ad Sanctii Minervam I. 13. 8. sic apud Florum III. 6. 12. 'Sed quia oppressi erant, ausi videbantur,' ubi etiam probante Cl. Grævio Nic. Heinsius malebat 'ausuri.' *Snak.*

Tanta componentium] Arrianus VI. 2. 23. de hac ipsa re: 'Hæc mihi per digressionem dicta sint, ut in tantorum facinorum et casuum expositione posteri plus diligentiæ adhibeant.' Eadem querela Tacit. III. 19. 5. 'Adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt: et gliscit utrumque

Digitized by Google

posteritate.' Et IV. 11. 6. 'Mihi tradendi arguendique rumoris caussa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem,' &c. Sic Thucydides I. 4. 2. *Freinsh.* *Tanta componentium*] Curtii hæc verba in partes vocat Cl. Clericus, ut alios auctores increpet, quum Curtius elegantiam sermonis, non ἀκρίβειαν narrationis spectaverit. Jud. cap. VII. § 26. *Snak.*

§ 22 *Lignum sagittæ*] Editiones, *lignum hastæ*; sed duum cubitorum sagitta læsum fuisse ita graviter Alexandrum, paullo ante dictum est. *Modius.* Blancardus ad Arrian. VI. p. 397. rescribi vult *sagittæ*, pro *hastæ*, ut tum Noster antea n. 9. tum ceteri scriptores omnes, Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Justinus appellaverunt. *Cellar.*

§ 25 *Critobulus*] Hunc Arrianus Critodemum nominat. Ego auctoritatem Curtii et Plinii secutus, Critobulum legendum censeo, quem inter alios etiam ex Philippi patris medicis Alexander in hac expeditione secum habuit. Critobulum vero medicum ex Æsculapii stirpe inter eos Plinius refert, qui variarum artium scientia enituere. VII. 37. 'Magna et Critobulo fama est, extracta Philippi oculo sagitta, et citra deformitatem oris curata orbitate luminis.' *Popma.* *Critobulus*] 'Critodemus' Arriano VI. 2. 17. ubi Philippus Acarnan, qui in Cilicia ad Tarsum curaverat Alexandrum? supra III. 6. 1. an extinctus interim, an clinicam tantum, non vulnerariam professus? alii enim medicorum ophthalmici, alii clinici, alii vulnerarii, raro unus omnes medicinæ partes profitebatur aut exercebat, uti nec hodie: ubi Osthanes? de quo Plinius XXX. 1. 21. 'Non levem et Alexandri M. temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu ejus exornatus, planeque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.' Sed Philippus Acarnan etiam vulnerarius uit, ut ex IV. 6. 17. apparet. Sed postea extinctum credo: quando nulla amplius ejus mentio. *Raderus.* De Osthane quod ait, dupliciter fallitur: nec enim eum medicum fuisse dicit Plinius, sed magum: nec de ipso ultima verba Plinii, 'orbem terrarum peragravit,' accipiunda; sed de arte seu professione magiæ: quod sequentia clamant. 'Exstant itaque et apud Italas gentes vestigia ejus,' &c. Sed ad Critobulum revertimur: ejusque nomen secundum Popmam ex Plin. VII. 37. 2. affirmamus: 'Magna et Critobulo fama est extracta Philippi regis oculo sagitta, et citra deformitatem oris curata orbitate luminis.' Philippo id acciderat in obsidio Methonæ apud Diodor. XVI. 34. Justin. VII. 6. 14. hunc igitur etiam ex paternis medicis secum duxerat Alexander. *Freinsh.*

Admoveri metuebat] Iterum editiones, *manus admovere metuebat*: tui judicii, lector, rem facio. *Modius.*

Sed in tanto, &c.] Scribe cum vulgatis reliqua, et sic interpunge: *sed in tanto periculo territus, manus admovere metuebat, ne in ipsius caput parum properæ curationis recideret eventus. Lacrimantem eum ac metuentem et solicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat: quid, inquit, quodve tempus expectas?* Acidalius. *Admovere*] Forte, *se admovere*; vel, *artem admovere.* Heinsius. Vide ad cap. 4. hujus libri n. 27. *Snak.*

§ 26 *Quam primum hoc dolore me liberas*] Alexander sine metu præbuit corpus, dum Critobulus spiculum evelleret, satius esse putans, ut ait Æschylus, εἰσάπαξ θανεῖν, Ἢ τὰς ἀπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. Alii Perdiccam memorant, quum medicus urgente necessitate non adesset, jubente Alexandro ense vulnus rescidisse telumque extraxisse. *Popma.*

§ 28 *Quæ semel continerent*] Sententia; eos non opus habere aliis, a qui-

Digitized by Google

bus teneantur, qui se ipsos citra ipsorum ministerium possint continere: sed in Ms. est *contineret*, unde prope suspicor scripsisse Curtium, *quia semet contineret*, cum generalius prolata sententia non statim necesse sit, ut ad Alexandrum applicetur. *Scheff.* Haud dubie operarum vitium est in citato loco, cum nulla sic habeat editio, et voluit tantum corrigere Schefferus *continerent*, in *contineret*, ideoque capiendum est *qui semet continerent*, sed manifesta mutare nolui. *Snak.*

Præbuit corpus] Quis neget etiam optimæ notæ libros interdum fallere, cum hoc loco Colinei editio, cæteroqui facile omnium sine controversia optima et correctissima, referat, *sine motu præbuit corpus curæ*. Cassa glans. *Modius.*

§ 30 *Regiam obsedit*] Est ἄκυρον frequentissimum in Curtio, quo 'Regia' pro tentorio regis dicitur; cum certum sit subaudiri 'domum,' quæ vox Latine de tentorio a nemine dicatur. Paulus Diaconus, 'Regia, domus ubi rex habitat.' Præstitisset ergo dicere semper regium tentorium, aut prætorium. *Clericus Judicii* VIII. 11. *Regium*] Est hoc quoque ἀκυρολογίας exemplum Viri Cl. Judicii de Curt. VIII. 11. 'quo Regia pro tentorio regis dicatur, quum certum sit subintelligi 'domum.'' Fateor sane primitus *Regium* maxime dictum de domo regia, sed pernego 'domum' semper intelligi: passim enim de tota dicitur urbe, in qua rex habitat. Immo et de insula Ovid. Heroid. Ep. VI. 'Nec senis Æetæ Regia Lemnos erat,' h. e. Æetas non erat rex Lemni, non habitabat in insula Lemno, seu insula Lemnos non erat ipsius regia sedes. Sed et apud Poëtas passim Diis, velut Jovi et Plutoni 'regia' tribuitur. Sic 'Regia cœli' apud Petron. et de totis inferis apud Ovid. Heroid. Ep. II. 'Et pulsata nigri regia cæca Dei.' Sed duo propria ex Ovidio adferemus. Etenim ille Amor. III. 6. 6. Tiberinum fluvium inducit loquentem ad Iliam, 'tibi regia nostra patebit;' quæ illa regia in aquis et flumine? nempe qualiscumque locus, in quo Tiberinus fingitur agere, vel sedem fixisse: disertius etiam de antro apud eumdem Met. XII. 210. 'Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus, (h. e. Pirithous,) Nubigenasque feros positis ex ordine mensis Arboribus tecto discumbere jusserat antro. Hæmonii proceres aderant, aderamus et ipsi, Festaque confusa resonabat regia turba.' Vides hic antrum clarissime vocari 'regiam;' sed dicet V. Cl. Poëtis talia concedi posse, non Historicis. At vero etiam apud hos 'regia' absolute occurrit passim sine ulla ad domum aut locum certum relatione. Tacit. Ann. XI. 19. 'Callistus prioris quoque regiæ peritus,' h. e. qui cognoverat quoque aulam Caligulæ, et ejus aulæ artes. Et XIV. 13. 'Deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit,' sc. Neronis. Livius XXXV. 18. Philippi quondam amicus, 'nuper relicto eo secutus opulentiorem regiam Antiochi.' Sic ergo ubicumque Alexander moras agebat, sive in stativis castris, sive in tabernaculo ubicumque exstructo, sive in oppidis, ibi erat 'regia Alexandri,' tanto magis, quia nullum utique in Asia certum habebat 'regiæ' locum, vel sedem perpetuam. Sed ut liqueat disertius, neque e castris et tabernaculis usum Linguæ aut optimos Auctores, non magis quam Curtium exclusisse 'regiam.' Livius II. 12. ad Porsennam in castris, quum obsideret Romam, ex persona Mucii Scævolæ, 'Ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ.' Nempe sicuti ipse in castris eum occidere voluerat Mucius, sic 'trecentos' ait 'conjurasse juvenes, ut in illum eadem hac via grassarentur:' quid ergo aliud ista est regia,

Digitized by Google

quam tentorium regis, quod in Curtio tantopere ut ἄκυρον notatur? sed, quid, dices, intelligitur sub 'regia' istoc sensu? potest enimvero intelligi 'aula,' quæ est ubique, ubi rex est, vel 'sedes;' sed neque opus, ut intellecti substantivi tanta istic habeatur ratio, quum talia adjectiva per continuam fere Ellipsin substantivi sui acceperint ipsa paullatim substantivi speciem et usum, atque ideo, æque ac vera substantiva, varia recipiant epitheta, ut quum dicitur, 'Regia dives,' 'regia prior,' &c. sed et patet hujus rei veritas ex illa ipsa voce, quam V. Cl. mallet 'regiæ' substitutam. 'Præstitisset ergo,' ait, 'dicere semper prætorium:' dixit ita plus semel Curtius, sed neque altera, quæ magis decebat Alexandrum, Regem quippe et plus quam Prætorem, abstinuit. Certum autem, illam esse adjectivam quoque. Notissima sunt, 'Prætorius Vir,' 'Prætoria cohors,' 'navis,' 'porta:' 'Prætorium jus,' 'tabernaculum,' &c. certum etiam est, 'Prætorium' absolute positum notare 'tabernaculum' Prætoris, seu summi ducis, et hoc sub illa voce intelligi: sed vel sic, cum accepisset speciem substantivi, cœpit adhiberi etiam de rebus a tabernaculo prorsus discrepantibus, nempe de domo in urbibus provincialibus, in qua Prætor provinciæ habitabat, quæ tunc non 'Prætoria' absolute, sed 'Prætorium,' vel 'domus Prætoria,' dicebatur. Sic Cicero Verrina v. 12. 'Adfertur nuntius Syracusas, curritur in Prætorium, quo istum (Verrem) e convivio reduxerant paullo ante mulieres.' Sed et ruri villæ, seu secessus rustici illustrium hominum passim item 'prætoria,' ut notum est, vocantur. Quapropter sicuti in his nulla habetur ratio 'tabernaculi,' unde tamen ortus ille 'Prætorii' tamquam substantivi usus, sic recte 'regia' etiam de antro, immo et de tentorio regis dicitur, quum esset regibus pro regia domo. *Perizonius Curt. Vind.*

Certiorem spem] Sive, *certiore spe salutis ejus in castra se retulerunt.* Acidalius. Videtur non necessaria mutatio. Castra autem intellige, quæ ad urbem erant, ne confundas cum iis, quæ ad confluentes Acesinis et Hydraotis apud Arrianum VI. 2. 26. *Freinsh.* Malo, *certiore spe* et *se retulerunt,* et sic Acidalius; improbat Freinshemius. *Heinsius.*

CAP. VI. § 1 *Famam mortis suæ*] Aliter paullo Arrian. VI. 2. 27. Diodor. XVII. 99. hanc etiam inter causas numerat seditionis a Græcis concitatæ, quæ seq. cap. exponitur. *Freinsh.*

§ 2 *Ne quies perinvalido*] Hæc sic male scribebant, et interpungebant codices vulgati: *secundo deinde anne defluxit aliquantum intervalli a cetera classe, præcipiens ne quies corpori invalido adhuc necessaria, &c.* Modius.

§ 6 *At Craterus*] Apud Arrian. VI. 2. 29. 'Nearchus auctor est, amicos qui eum deducebant factum ejus reprehendisse, quod se tanto discrimini pro exercitu objecisset: neque enim id ducis, sed militis officium esse.' Eadem Suidas in 'Αλέξανδρος, ex Arriano. Confer simillimum locum Lucani v. 680. 'Circumfusa duci flevit, gemituque suorum Et non ingratis incessit turba querelis: Quo te dure tulit virtus temeraria Cæsar?' &c. *Freinsh.*

Ut nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos] Jam olim suspicionem hausi, quam neque dum rejicio penitus, etsi minus teneo firmiter, insita, et insuta bina ista esse vocabula, *tibi vilis.* Sic enim absolute loquebantur, et est locutus alias Curtius: 'ut nunc est' v. 5. 10. 'Hi qui modo ad opem petendam ex tenebris, et carcere procedere erubuimus, ut nunc est, supplicia nostra, quorum nos pudeat magis, an pœniteat incertum est, ostentare Græciæ velut lætum

Digitized by Google

spectaculum cupimus.' Ubi item boni interpretes addiderant, 'ut nunc simplicitas nostra est.' *Acidalius.* Acidalius *τὸ tibi vilis* expungit, putatque sufficere, *ut nunc est*, probatque simili loco Curtii v. 5. 10. *Freinsh.* Male Acidalius delet *tibi vilis*, paullo post, 'patere nos quæso alio modo esse viles tibi.' *Heinsius.*

§ 8 *Macedoniæ columen*] Sigebergenses membranæ, *Macedonicum lumen.* Malo prius, sequitur 'ac sidus.' *Modius.* Terent. Phorm. II. 1. 57. 'Columen vero familiæ,' et sic Cicero in Verr. lib. v. sic Val. Flacc. I. 117. 'socius columenve carinæ' Hercules: etiam 'columen Thessaliæ' Peleus apud Catull. in Epithal. Thetidis. *Snak.*

Tot cirium animas] Quæ omnes unius spiritu trahuntur. Silius IV. 103. de Cryxo Celtarum rege 'Una spes anima, tantusque pependerat ardor.' Cic. pro Marcell. cap. 7. 'Quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republ. tam nihil umquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tui vitam pendere omnium?' De eodem Lucan. v. 685. 'Cum tot in hac anima populorum vita salusque Pendeat, et tantus caput hoc tibi fecerit orbis, Sævitia est, voluisse mori.' *Freinsh.*

§ 10 *De Persidis regno*] Crimen hoc fortunæ facit Plutarchus de Fort. Alex. II. 28. quem vide. est enim prolixus locus. *Freinsh.*

Qui si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares, etsi nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset, &c.] Velut in Ixionis rota versatus et vexatus in hoc sum loco. Acumen ejus diu, et intente quæsivi, nullus inveni: subestque fortasse nullum istis quidem, ut nunc legimus, verbis. nam emendatione me tandem haud infeliciter expedisse videor, atque ita statuo totum de integro rescribendum: *Qui si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares, etsi nemo vellet, tamen admittere quidem posset, tam promtæ esse te ad omne discrimen audaciæ: (nam ubi paria sunt periculum et præmium, et secundis rebus amplior fructus est, et adversis solatium majus:) tuo vero capite ignobilem vicum emi quis ferat, non tuorum modo militum, sed ullius etiam gentis barbaræ, qui tuam magnitudinem norit?* Quid mutaverim et quare, intelligens lector facile videbit; cui non opus est omnium omnes rationes reddi: qui has hoc loco per se non videat, ei minus etiam est opus: quippe qui ne sic quidem sit visurus, et quis adeo facem accendendam cæco putet? *Acidalius.*

Ne admirari quidem] Nemo quidem vellet, ut periculis te exponeres: nec tamen, si faceres, miraretur. quippe cogitaret non iniquum esse, ut magnum ob præmium magnum etiam periculum susciperetur. Nihil ergo mutandum: nec Acidalio credendum, qui pro *ne admirari*, reponebat *admittere.* Freinsh.

§ 11 *Ignobilem vicum*] *Meleos*: nam urbs munita erat, eaque capta arx munitior restabat, quæ regem in tantum conjecit periculum. *Cellar.*

Novit] Acidalius *norit*, rectius. *Freinsh.*

§ 12 *Cogitatione rei*] *Cogitationem rei* Coloniensis scriptus codex, quod non improbo. *Modius.*

Ad invicti] Vulgo erat, *Eloqui timeo invicti corporis spolia inertissimas manus fuisse avecturas*, parum bene, ut mihi quidem videtur, quare ex membranarum scriptura, quæ erat, *Eloqui timeo ad invicti corporis spolia inertissimos manus fuisse injecturos, &c.* hoc feci, immutatis leviter duabus literis, quod excusum est. *Modius.*

Spoliis] Leg. *spolio.* Heinsius.

Nisi te interceptum] Sic 'interceptus alter consulum,' Florus II. 2. Et 'interceptam tempestate victoriam et triumphum periisse,' Idem ibid. n. 32. adde Cl. Dukerum ad eum locum,

Digitized by Google

et ad eumdem Florum III. 4. 4. *Snak.*

§ 13 *Ne admitteret*] *Amitteret*, membranæ, quod aliquem quidem, sed tamen minus commodum sensum haberet. *Modius.*

§ 14 *Obscura pericula*] *Obscura bella* editiones; sed illud magis convenit. *Modius.*

Ad ea serva] Adhuc vulgo, *ad ea servanda pericula*; inepte; et quod facile appareat de glossa manare. *Modius.*

§ 15 *Exsatiatæ*] Membranæ Sigebergenses, *ex satietate*, quæ heic nihili voces sunt. *Modius.*

Saluti suæ, id est, publicæ] Ita recte scripti libri quidam, ubi male et minus concinne alii omnes, 'saluti suæ item publicæ parceret.' *Modius.*

§ 17 *Piissimi*] Hanc vocem M. Tullius princeps eloquentiæ a toto Latio proscripsit Philipp. III. 'Tu porro,' inquit, 'ne pios quidem, sed piissimos quæris, et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis.' Barbarus ergo noster Curtius? si barbarus Antonius, æqualis Ciceroni; barbarus Seneca declamator, et filius declamatoris, non multo posterior, aut deterior. de Brev. Vitæ. 'Quod utrumque et piissime et fortissime tulit.' Et 'Principis piissimi recreat clementia.' Frequentius apud Ausonium hanc vocem deprehendas, et siquid etiam Apuleius auctoritate valet, 'Piissimis sacrorum arcanis.' Valla certe mavult dicere, 'piissimus quisque,' quam 'pius quisque.' Intrepide ergo, inquit libro de componenda Epistola Despauterius, iis utemur, ut 'piissimus,' a quibus Seneca et alii non abhorrent. Non est ergo pro barbara ducenda vox 'piissimus;' nec barbarus Curtius. Laudatur etiam a Grammaticis Livius, apud quem tamen ego hanc vocem nondum observavi. *Raderus.* Usi sunt Florus, Fabius, alii. Vide Voss. Art. Gramm. de Anal. II. 27. Marcianus JC. in XLVIII. 1. de Her. Inst. 'Filius meus impiissimus.' *Loccen. Piissimique*] Adi, si placet, Curas Posteriores, quibus usum hujus verbi non antiquissimi vindicamus. *Cellar.*

Vos diu frui] *Vobis* referunt editi, sed cujus temeritatis sit, membranarum imperium in simili re non sequi? *Modius. Vos diu frui*] Offensus credo Grammaticus rescripsit, ut vulgo est editum, *vobis frui.* Modius ex membranis, *vos frui.* Non ignoro ego junctum hoc verbum cum quarto subinde casu, sed perraro: chartæ Constantienses Chirographæ *vobis*, non *vos* habent, et ut, quod sentio, dicam, malim ego cum Cicerone *vobis*, quam cum priscis Cœliis aut Plautis cum quarto casu jungere. *Vobis* reor Curtium dixisse, scribamus ergo deinceps, *vobis fruar*, non *vos*, et comicos casus comicis relinquamus. *Raderus.*

§ 18 *Et mea: qui quidem*] Turbant omnia Sigebergenses membranæ, in quibus est: *Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant. Meam quidem hanc benevolentiam vestra virtute meruisse me judico;* quam quidem ego lectionem Delphos ad Apollinem ablegandam censeo. *Modius.* Satis hic magnifice de se Alexander, nec pro cetera modestia, quæ est in oratione hac, ut conditione argumenti, ut non parum dubitem, an sic scripserit Noster. Accedit, quod in Mss. sit diversitas, aliaque habeant *meam quidem*, alia *meam et quidem.* Puto igitur scripsisse Nostrum: *Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, et mea, qua quidem hanc benevolentiam vestram meruisse me judico.* Considera, et liquebit, nihil aptius potuisse dici: Quod autem vocabulum *virtute* insertum, id factum ex glossa, qua quis explicabat illud *qua*, cum ignoraret ad *cogitationem* esse referendum. *Scheffer. Meruisse*] Forte, *emeruisse.* Heins.

Sed perennitati] *Sed gloriæ* editiones, quod tamen non æque placet. *Modius. Sed gloriæ*] Pal. 1. *non jam*

Digitized by Google

ætatis spatio, quam gloriæ. Et numquid ita scripsit Curtius? *Freinsh.*

§ 19 *Licuit paternis opibus*] Hic quoque secutus est auctorem generis Achillem: qui cum fatum suum ex matre didicisset, ut vel inglorius ad extremam senectutem pervenire posset: vel magna gloria compos, sed brevis ævi foret; elegit gloriam: Paria Curtianis his dixit apud Arrian. v. 4. 11. 'Quidnam magnum ac memorabile in vita egissemus, si desides in Macedonia satis habuissemus, laboris expertes, domos nostras tueri?' Confer Maximum Tyrium Dissert. XXXV. *Freinsh.*

Per otium corporis] Forte, *per otium ac torporem;* vel *torpores;* vel *per otiosum torporem;* sed malo *per otium torpere, exspectare.* Noster IV. 8. 16. 'Tyrii desperatione torpebant.' *Heinsius.*

Ne pigri quidem] Sallust. Jugurth. LXXXV. 30. 'Ignavia nemo immortalis factus.' *Freinsh.*

Non annos meos] Cestius apud Senec. Suas. VI. 'Si ad desiderium populi respicis, Cicero, quandoque perieris, parum vixisti: si ad res gestas, satis vixisti: si ad injurias fortunæ et præsentem Reip. statum, nimium diu vixisti: si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es.' Ad eam formam Sen. Epist. LXXVIII. 34. ait ex Posidonio: 'Unum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti longissimam ætatem.' Ubi Lipsium et Muretum consule. Sic etiam Agricola Taciti XLIV. 3. 'Quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit.' Mamertinus in Gratiar. Actione cap. 14. 'Itaque grandævum jam imperium videbitur his, qui non ratione dierum, aut mensium, sed operum multitudine, et effectarum rerum modo Juliani tempora metientur.' Idem sensus in his Martial. X. 53. 'Invida quem Lachesis raptum trieteride nona, Dum numerat palmas, credidit esse senem.' *Freinsh.* Adde locum pulcherrimum Ciceronis pro Marcello cap. 8. *Snak.*

§ 20 *Imperium*] Credo Pal. 1. rectius habere, *Orsus a Macedonia, imperium Græciæ teneo.* Freinsh. *Imperium, Græciam*] Leg. ex Mss. Pal. 1. *imperium Græciæ.* Heins.

Mædisque] Qui hoc loco *Medi*, seu *Mædi?* (nam litera duplici, seu diphthongo vox *Mædi* hic, ut in editione Coloniensi Allobrogum recte per *æ*, *Mædi* expressa est, scribenda, non simplici *e*, ut distinguamus illos a Medis Asiaticis ad mare Caspium sitis) nulla horum Mædorum apud ullos scriptores, qui de Alexandro tradidere, in Græcia, vel Thracia, vel Macedonia, vel Europa mentio est. Tacent Arrianus, Plutarchus, Siculus, Justinus, aliique omnes. Nec tamen hic gratis posita est a Curtio. Non tacet hos ipsos Mædos Stephanus περὶ Πόλεων. Μαῦδοι, ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας, ἐκ τούτων μεταβάντες τινὲς εἰς Μακεδόνας Μαυδοβίθυνοι ἐκλήθησαν, τὸ ἐθνικὸν Μαῦδικοι καὶ Μαυδική. Cosmographus quoque Ptolemæus in tabulis Europæ, et III. 11. hos laudat, 'versus Macedoniam,' inquit, 'et Ægeum mare similiter præturæ, στρατηγίαι, sunt Mædica, Drosica, Cæletica.' Confirmat hic Stephani et Curtii locus valde nostri Jac. Saliani sententiam in Ecclesiasticis Annalibus veteris testamenti mundi Ann. 193. n. 24. p. 175. qui Mædos hos a Madai tertio Japeti, seu Japheti filio, Noachi nepote deducit. Nihil ergo Macedonici, et Europæi Mædi ad illos Caspianos, quos postea tamen, trajecto Hellesponto, et victo Dario, etiam imperio suo subjecit. Non advertit hoc Glareanus, ut et multa alia præterilt. Erit tamen fortasse, qui volet pro *Mædis, Mæsis* reponere. Mœsos enim seu Mysos Pomponius Mela inter Thraces ponit. Ego sinceram Scripturam servo, et *Mædis* retineo. *Raderus. Mædisque*] Nulla horum apud ullos scriptores, qui de

Digitized by Google

Alexandro tradidere, mentio est, Radero teste. Esse autem Thraciæ gentem hoc nomine Macedoniæ vicinam, ex Stephano et Ptolemæo III. 11. notum. Vide etiam Ortelium. Verum de his sermonem esse Curtio non videtur: cur enim post totam Thraciam, unius nationis vocabulum nominet? Quare potius hic legerim, *Mœsisque;* quæ gens vicina Triballis, et armis virisque valida: quamquam Raderus *Mœdis* retinendos arbitretur. *Freinsh.* *Mœdi*] Stephano gens Thraciæ, Macedoniæ vicina, unde 'Mœdica præfectura' dicitur Ptolemæo III. 11. sed obscurior hæc fuit, quam ut seorsum memoratam esse credi posset, etiam 'Thraciæ,' quæ præcessit, mentione comprehensa. Itaque Freinshemio *Mœsis* placet, cui Tellierius opponit, quod ita nec Triballi, ut pars Mœsorum memorari distincte potuissent. Verum clariores Triballi, quam Mædi, et digni bellorum gloria, ut ceteris Mœsis non præferrentur modo, sed etiam opponerentur. *Cellar.*

Adluitur] Mss. *subluitur;* hoc verbo utitur Martialis, ut 'subluto podice.' Et lib. VI. 'subluere inguina.' Columella V. 32. 'bis in die subluitur aqua calida.' *Heins.*

Alium orbem] Qui ultra Oceanum situs est, quod ex Anaxarchi philosophia habuisse videtur. Flesse enim dicitur Alexander, quum ex hoc infinitos mundos esse audivisset, e quibus ipse nondum unum subegerit. Plutarch. de Anim. Tranq. verum itaque quod Juvenal. Sat. X. 168. exprobravit: 'Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.' *Cellar.*

§ 21 *Ex Asia in Europæ*] Dum Jaxartem Tanaim esse ratus est, de quo errore pluribus verbis neque semel ad lib. VII. commentati sumus. *Cellar.*

XXVIII. ætatis annum] Non ergo convenit Justinus XI. 1. 9. cui 'viginti annos natus' regnum orditur, nec Raderus Prolusion. cap. 7. qui hoc gestum in vigesimum nonum Alexandri annum conjicit. Chronologos consule. *Freinsh.*

Terrarum orbis] *Regnorum orbis* libri scripti. *Modius.*

§ 22 *Dabo nobilitatem*] Aristippum Dionysius 'jussit in convivio infimum omnium accumbere: hic Aristippus nihil offensus, Hunc, inquit, locum, o rex, illustrare vis ac honorificum reddere; significans non locum reddere hominem viliorem; sed ex dignitate hominis, honorem addi loco.' *Rader. ex Aristippo Laërtii c.* 18. Sic Cato nescio quod vile munus; Socrates carcerem cohonestavisse dicuntur. Sic Epaminondas 'Telearchian ad magnam dignitatem ac majestatem evexit.' Plutarch. in Præcept. Reip. Gerendæ cap. 37. De locis obscuris per opera bellica nobilitatis supra ad IV. 9: 9. 'Nobilem sua clade facturus.' *Freinsh.*

Aperiam terras] Id quoque præstitit. Nam ante ejus expeditionem India, et quæ circa sunt, vix fando Græcis cognita. Plutarchum et Strabonem non uno loco testes sibi habet. *Freinsh.*

Multam prius] *Multa prius* alii, sed malo legere, ut excusum est. *Modius.* Non divinare licet, quid *multam* inter et *longam vitam* differentiæ sit, dubium etiam, an satis Latine 'multa vita' dicatur. Quare conjecturat Tellierius post *multam* excidisse aliquid, ut *famam*, mallem ego *gloriam*. Cellarius.

§ 23 *Et jam nos laudis*] Iterum libri manu exarati, *Nondum fœminam æquavimus gloria laudis, et jam nos satietas cepit?* Modius.

§ 24 *Nondum adiimus*] *Quæ nondum attigimus* libri editi. *Modius.*

§ 25 *In theatro*] Ad ostium ejus cæsus, Diodor. XVI. 95. 'occupatis' ejus 'angustiis' a Pausania, ut loquitur Justin. IX. 6. 9. *Freinsh.*

Plures a suis] Saturninus apud Vo-

Digitized by Google

piscum c. 10. 'Nescitis, amici, quid mali sit imperare; gladii et tela nostris cervicibus impendent; imminent hastæ undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur.' Sulpicius Ciceron. Epist. ad Famil. IV. 12. de nece M. Marcelli: 'Cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui ei mortem afferret.' Exempla dictave alia quid opus addere? *Freinsh.*

§ 26 *Quandoque*] *Quandocumque* vulgo. *Modius.*

Hoc si licuerit] Vide quantilla res aliquando vitiando alicui loco sit. Una syllaba *hoc* transposita antea omnia hæc turbaverat. *Modius.*

Si me præceperit fatum] Nisi mors consilia mea interceperit et occuparit. Ita M. Tullius loquitur de Off. I. 'Ingenii magni est præcipere cogitatione futura.' ita Lucretius, Lambino interprete, usus hac voce lib. VI. 'Propterea quia nimirum prius æstus ubi æris Præcepit, ferrique vias possedit apertas.' 'præcepit,' id est, præoccupavit, ut probe Lambinus explicat, quamvis nonnulli legant 'percepit:' sed melior est scriptura 'præcepit,' Lambino etiam probata. Idem supra: 'Carbonumque gravis vis atque odor infirmatur Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante.' 'Præcepimus,' ante hausimus, bibimus. Ita Virgilius, Livius et optimi quique scriptores hanc vocem usurparunt, et hujusmodi deliciæ sermonis Romani fuissent ab Hadrianis Juniis et Schoris observandæ. *Raderus.* *Præceperit fatum*] Si mors præripuerit ante matrem. 'Præcipere' enim est antecapere. Florus III. 9. de rege Cypri: 'Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit,' id est, præoccupavit. *Cellar.* Vide Savaron. ad Sidon. Ep. VI. 12. Gebhardi Crepund. I. 1. et quos collegit accuratissimus Dukerus ad Flor. III. 9. 4. *Snak.*

Vos mandare] Vulgo, *mandasse;* quod cur mutatum? nisi forte *mandare* referunt ad *immortalitatem*, quasi dicat; vos mementote immortalitati Olympiadem mandare. At hoc nequaquam mihi quidem placeat, nec opinor alium inveniet, cui placere possit. *Acidalius.*

CAP. VII. § 1 *Carabactra*] Vox nihili; lege, *per Bactra;* vel *circa Bactra.* Dicit Græcos in colonias distributos per Bactrianam regionem. Confirmant mox sequentia: 'Hæc circa Bactra, et Scytharum terminos gesta;' sed et pro 'Scytharum' reponendum 'Sogdianorum;' nam Diodorus hæc omnia in Bactris et Sogdiana facta refert. *Loccenius.* *Carabactra*] Ortelius corruptam putat vocem, et *circa Bactra* legendum existimat. Constantiensis Ms. habet *Garabactra.* Glareanus existimat compositum ex *Cara* et *Bactra*, propter coloniam novam eo deductam. Ortelii tamen conjecturæ favet, quod Curtius ipse num. II. addat: 'Hæc circa Bactra gesta.' *Raderus.* Juvat etiam Diodor. XVII. 99. 'Græci per Bactrianam et Sogdianam in colonias distributi,' &c. Bongarsius etiam ita leg. conjecerat. 'Sarbactran' habet L. Ampelius. *Freinsh.* *Circa Bactra*] Monstrose vulgo, *Garabactra*, qualis vel urbs vel regio nemini unquam fuit audita. Ortelius primus vidit *circa Bactra* legendum esse, quem ideo Doctiores secuti sunt, quia Noster post paullo iisdem verbis usus est, 'Hæc circa Bactra et Scytharum terminos gesta.' Diodor. XVII. 19. *Οἱ κατὰ τὴν Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν κατοικισθέντες Ἕλληνες.* *Cellarius.* Tellierius et Cellarius in textum admiserunt, *circa Bactra;* nos lectionem Mss. et editionum omnium retinuimus. *Snak.*

§ 2 *Quibusdam popularium*] Non hic per *populares* Bactrianos intelligit, ut putabat Glareanus, sed Græcos vel Macedonas. Nam Bactriani ipsi quoque in societate defectionis erant.

Digitized by Google

Quosdam igitur ex Græcorum vel Macedonum populo aut vulgo occiderunt. Ita enim vox *populares* capienda, ut et lib. VI. lib. VIII. et hoc lib. IX. Curtius usurpat, et Livius, Tacitus, Julius Capitolinus ad quem Casaubonus. *Loccen. Popularium*] Glareanus de Bactrianis interpretatur, Loccenius de Græcis: quod verum puto, ex verbis 'qui validiores erant;' quæ res notat dissensum in eodem hominum genere: accedit, quod illi Bactrianos etiam ad defectionem perpulerunt: at quomodo potuissent, si quibusdam eorum occisis, genti tantam intulissent injuriam? *Freinsh.* Prima fronte ad Bactrianos utique referres, et quia 'validiores erant' id confirmant: sed mutabis sententiam mox subjuncta legens 'barbaros quoque in societatem defectionis impulerunt,' qui non sunt alii quam Bactriani. *Snak.*

Cæperunt] Scribe *cæperant*. Acidalius. *Cæperant*] Acidalius sic recte legit: mutata etiam distinctione sensum expeditiorem reddidi. *Freinsh.*

Quasi] Quid sibi vult in ista re *quasi?* Emendo, *casu*: pro quo solemni mutatione literarum in antiquioribus libris scriptum erat *quasu*. Acidal. Recepit in textum Raderus. *Freinsh.* Forte, *a suis*. Heinsius. Vide num juvare possint, quæ colliguntur de hoc loco, et vocis usu ad Florum II. 8. 1. *Snak.*

§ 4 *Bicon quidam*] Forte, *Nicon*; aut cum Pal. 1. *Bitton*. Græcum enim fuisse, tametsi Glareanus dubitet, omnia probant. *Freinsh.* Nationis Græcæ: quod vero *Bicon* Græcum nomen non est, conjiciunt quidam *Nicon* forte scriptum fuisse. *Cellar.*

Invitatumque] Non ergo duæ erant factiones, alterius Athenodorus princeps, alterius Bicon, ut putabat Raderus: sed Bicon ille sub Athenodoro erat; qui enim aliter ille regis nomen adsciscerat, valida adhuc diversa factione? aut qui fideret inimico invitanti? Ceterum exempla quædam hoc modo oocisorum reperies supra VI. 8. 16. quibus adde insigne illud apud Plutarch. in Demetrio cap. 47. item in Sertorio cap. 44. *Freinsh.*

Macerianum] *Marcianum* putat legendum Glareanus, quod Marciani Medi essent. Omnia exemplaria habent *Maceriani*. unde conjicio a Macis apud Stephanum dictos Macerianos. *Raderus.* At ego non video ut a Μάκαι, quorum quidem et apud Plinium VI. 23. 13. mentio, fiat Μακαρανὸς gentile nomen: deinde certum habeo, nullam tam obscuram gentem hic innui: quippe tam ignotum patriæ nomen absque ulla explicatione proferre, perinde fuerat, ac si plane reticuisset. Ceterum nec magni momenti res est, et in sola conjectura posita: nec enim alii scriptores hujus Boxi meminerunt: ergo proclive aberrare a scopo. Non igitur ausim affirmare *Mauritanum* esse legendum, cum nihil habeam, quo id adseram, præter ductum literarum, nisi unum vocabulum Boxi, quod nisi fallor, Maurusium est. *Freinsh. Macerianum*] Meræ tenebræ in gentili nomine, Geographis omnibus ignoto. Freinshemius ex literarum ductu divinat *Mauritanum*, quia *Boxus* simile Maurusio nomen videatur, sed potest etiam esse Persicum *Boxus*, unde Tellierius conjicit *Maratianum* legi posse, quam gentem Plinius VI. 16. cum aliis circa Caspium mare et Sogdianam sitis numeravit. *Cellar.*

§ 6 *Ceteri principes*] Emendo, *Ceterum*. Acidal. Sine dubito sic legendum. *Freinsh.* Acidalius *Ceterum*; male. *Heins.*

§ 8 *Per cruciatum*] Utrumque rectum, sive divisim duabus, sive una voce junctim legas *percruciatum*; hoc tamen opinor elegantius. Ita supra IV. 9. 23. corrigebam 'perarmatos:' et adducebam familiaria Curtio, 'percuratum,' itemque 'persanatum vul-

Digitized by Google

nus.' Eadem facie *percruciatum* valet totum excruciatum. *Acidal.*

Jamque corpori tormenta] Juvabit legisse simillimum fortunæ lusum verbis Polybii XV. 25. de Mœragene. *Freinsh.*

Cum Græci incertum] *Cum Græci milites*, vulgo voce auctius. *Modius.*

§ 9 *Jussi erant*] Hactenus, *jusserant*, quod habebam pro typographico sphalmate, priusquam consensum editionum viderem; quas tamen in re tam certa nihil reveritus, reposui *jussi erant*; quod et Bongarsio placuisse, postea deprehendi. Sic apud Livium XLI. 24. 16. vitiose legitur 'adsentierant,' pro 'adsensi erant.' *Freinsh.*

§ 11 *Revertit in patriam*] Diodorus XVII. 99. contra, omnes post Alexandri mortem concisos affirmat. *Raderus.* Exitum eorum narrat Diodor. XVIII. 7. Redierunt tamen etiam multi ex aliis coloniis in patriam, cum quibus forte confudit Curtius, quos non oportuit. *Freinsh.*

Scytharum] Est qui reponat *Sogdianorum*, ex Diodoro. Sed nihil opus. Vere enim *circa Scytharum terminos gesta*, quæ in Bactris et Sogdianis acciderunt. Scythis enim hi populi finitimi. *Freinsh.*

§ 12 *Duarum gentium*] Oxydracarum et Mallorum, et horum quidem ὑπολειπομένων, id est, reliquorum Mallorum, ad quos obsidio regi fatalis non pertinuit. Arrian. lib. VI. Illos enim ira Macedonum propter regem letaliter vulneratum fere exstirpaverat. Curt. IX. 5. 20. *Cellar.*

Intextæ auro] Mss. nihilo deterius, *intexto auro.* Freinsh.

§ 14 *Stipendio quod Arachosiis*] Si Malli et Oxydracæ Arachosiorum stipendiarii fuere, quomodo libertatem per tot ætates inviolatam jactabant? Stipendiarii quidem fuere, sed non servi, nec regem ullum nec magistratum extra suam gentem agnovere, nec ipsi uni alicui parebant, sed rempub. liberam habuere, suisque legibus vivebant, quamvis Arachosiorum imperium agnoscerent, illisque stipendia penderent, ut Pœni Romanis, qui tamen nullum ex Romanis vel prætorem, vel præsidem provinciæ, vel proconsulem ad excidium usque suum admisere. *Raderus.*

Quingenti equites imperati] Membranæ, *quingentos equites imperat.* Modius.

§ 15 *Invitatis legatis*] Id recte, et more factum ostendit Paschal. de Legat. cap. 68. Ceterum conjicio leg. *legatis regulisque gentium.* Talia multa exempla designat Index, voce 'Transpositio.' *Freinsh.*

Aurei lecti] Hic argenteos lectos (de quibus lib. VIII.) mutavit in aureos. Vide Hieron. Mercurialem de Arte Gymnastica I. 11. *Loccenius.* *Aurei lecti*] Athenæus I. 14. 'Aliquando (Alex.) quadringentos duces in sellis aureis et argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos, convivio excepit.' Curtius tamen lectis recubuisse hic tradit. Et Athenæum reor de Susianis nuptiis locutum. *Raderus.* Ejusmodi convivia non reprehendit Plutarchus cum alibi, tum etiam in, Non posse suaviter vivi secund. Epicur. cap. 39. Ceterum maximo luxu celebrabantur ejus convivia. 'Agatharchides Cnidius' apud Athen. IV. 14. 'octavo libro Asiaticorum scribit, cum Alexandrum Philippi filium exciperent amici convivio, quæ bellaria mensis apponi debebant, inaurata (auro bracteata) fuisse, et convivas illis, uti qui cuperent, aurum detrahere solitos, et cum ciborum purgamentis abjicere, ut ejus luxus essent ac impensæ spectatores amici, famuli vero domini.' *Freinsh.*

Lectis circumdederat] Vulgo, *lectos circumdederat.* Modius.

Aulæa] Hoc est 'tabernaculum,' de quo Ælian. Hist. Var. IX. 2. 5. 'Centum lectorum spatii capax, quin-

Digitized by Google

quaginta columnis aureis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum vero tectum erat inauratum, et magnifica arte varietateque concinnatum.' Athenæo XII. 9. *οἶκος ἑκατοντάκλινος*. Quod autem 'purpura auroque fulgentia' facit Curtius, Virgilio congruit, qui 'purpurea aulæa' facit Georg. III. 25. 'Attalica' Propert. III. 32. 12. hoc est, auro intexta; nam ab Attali aula nomen accepisse putant: qui alioquin 'aurum intexere' vestibus 'invenit,' Plin. VIII. 48. 12. quod tamen non ita simpliciter accipiendum est. *Freinsh.*

Immutatione] Non temere mutem *immutatione*, prorsus tamen *imitatione* scripsisse Curtium opinor, et id rei aptius mecum omnes fatebuntur. Æmulatus per omnia Persas patrios mores externorum imitatione frangebat. Etiam *circumdederat* paullo ante unitatis numero legendum forte, quia subditur eodem *ostendens*. Acidalius. *Nova immutatione*] Tolerat Acidalius, ut tamen præferat *imitatione;* quam hic non possum admittere, jam enim id consumpsit priore membro, 'aut apud Persas vetere luxu,' subjungitque 'confusis utriusque gentis vitiis;' at si vetus Persarum luxus tantum adfuisset, cum imitatione Macedonum, unius gentis fuissent vitia, non duarum: nec enim imitari potuissent Macedones, nisi quod jam apud Persas obtinuisset. At *nova immutatione* etiam ab ipsis quædam reperta vult ostentandæ luxuriæ, Persis incognita. Denique vocula *nova* rectius *immutationi* jungitur, quam *imitationi;* quamquam ita præferat Pal. 1. *Freinsh.*

Ostendens] *Ostenderis* Sigebergensis codex. *Modius. Ostendens*] Hoc ferre vix possis, nisi cum Acidalio legas *circumdederat*, paullo supra, non *circumdederant*. Conjecturam eam approbant Mss. merito igitur recepimus. *Freinsh.*

§ 16 *Dioxippus*] Hunc Athenæus VI. 13. *πανκρατιαστὴν quinquertionem* appellat. Ælian. XII. 58. de eodem: 'Dioxippus pugil Olympionices Atheniensis,' &c. Plin. XXXV. 11. 28. pinxit 'Alcimachus Dioxippum, qui pancratio Olympiæ citra pulveris jactum (quod vocant *ἀκονητὶ*) vicit.' *Raderus.* Certamen autem hoc cum milite Macedone narrat etiam Ælian. Hist. Var. X. 22. et Diodorus XVII. 100. *Freinsh.*

Virtutem virium] Nulla est *ἀνυπολογία* minus tolerabilis, si locus sanus est; nemo umquam ut puto dixit *virtutem virium;* sed cum legatur in Palatino Ms. *virium magnitudinem*, rescribendum omnino crediderim, *eximiam virtutem, viriumque magnitudinem*. Scio *virtutem* interdum dici proprietatem et efficaciam, ut quando de 'virtutibus' herbarum et medicamentorum sermo est; sed *virtutem virium* neminem alium dixisse puto. Hac una ratione defendi hæc locutio possit, si dicatur esse Hellenismus, quia apud Græcos *δύναμις* quævis *ἀρετὴ* dicitur, et forte dici queat *διὰ τὴν διαφέρουσαν ἀρετὴν ἰσχύος, propter eximiam virtutem virium*, ut Plato dixit lib. X. *δι' ἀρετὴν πολιτείας, propter præstantiam reipublicæ formæ*, non procul ab initio: sed Hellenismos non usque adeo sectari videtur Curtius, ut propterea inusitatum apud Latinos loquendi genus adhibuerit. *Clericus Judic.* VIII. 12. *Pugil nobilis, et ob eximiam virtutem virium regi pernotus et gratus*] Vir Doctus *ἀνυπολογίαν* intolerabilem dicit *virtutem virium*, et neminem sic locutum censet. Ego vero, quia nusquam poterat esse hæsitatio, nisi in voce *virtutem*, quum vox *virium* proprio maxime sumatur sensu; et quia nequeinilla voce uliam videbam causam istius judicii, nisi Vir Doctus existimavisset *virtutem* notare proprie et unice præstantiam quandam animi, et ideo Corpori non debere tribui; ostendi ego ad Ælian. X. 22. primum etymologiam vocis

Digitized by Google

esse talem, ut æque illius significatio ad Corpus referri possit ac ad Animum, utque videatur significare proprie viri vim seu præstantiam supra feminam, quæ vis in Corpore viri, æque ac in Animo reperitur. Deindè vero probari in illa voce etiam usum significationis, quæ in hunc Curtii locum probe conveniat: Plautum enim dicere Mostell. III. 1. 17. 'Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.' Sallustium etiam in Jug. cap. 4. 'De cujus (historiæ) virtute quia multi dixere, præterennndam puto;' sed ait Vir Cl. 'me habere de significatione vocis *Virtus*, quæ nemo nescit.' Et locum Plauti nihil 'habere simile.' Quid vero? an nihil simile est in eo loco, ex quo utique liquet clarissimum in modum, vocem 'Virtus' habere significationem, quæ convenit verbis Curtii? quid immo dissimile est inter 'virtutem Formæ,' et *virtutem virium*? Utrumque notat præstantiam et vim formæ vel virium. Quæ itaque dari potest ratio, quare, si recte dicatur 'Virtute formæ evenit, ut omnia te deceant,' intolerabile sit, *ob eximiam virtutem virium regi notus*? Similiter, quid est 'virtus Historiæ,' quam ejus præstantia, quæ multum boni præstet lectoribus suis? Sic et Cæsar Epigrammate in Terentium apud Suetonium in Vita Terentii. 'Lenibus atque utinam scriptis conjuncta foret vis Comica, ut æquato virtus polleret honore Cum Græcis;' ubi manifeste etiam 'virtus' Comœdiarum Terentii ponitur pro præstantia earum in universum, quæ tamen non possit æquari cum Græcis, quia Terentio ex sententia Cæsaris deerat una 'vis Comica,' quam videtur collocasse in acutis dicteriis, in salibus, et jocis argutis, dum e contrario nimis 'lenem' illi tribuit elocutionem. Nempe 'virtutem' accepisse nomen suum 'a Viris' ait Cicero, et proprie notare affectionem animi rectam, quæ viro propria est. Verba ejus sunt Tusc. II. 18. 'Vide ne, cum omnes rectæ animi affectiones Virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen, sed ab ea, quæ una ceteris excellebat, omnes nominatæ sint. Appellata enim est ex Viro Virtus; Viri autem propria maxime est fortitudo. Utendum igitur ea, si virtutis compotes, vel potius, si viri volumus esse, quoniam a Viris Virtus nomen est mutuata.' Hinc porro idem Cicero in universum cujusque rei 'virtutem' exponit per ejus naturæ præstantiam et perfectionem, de LL. I. 8. 'Est autem Virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura,' h. e. perfectio cujusque rei, seu recta affectio, quæ non aliunde additur, sed oritur ex ipsius rei natura, vel breviter, perfectio rei in sese et sua natura. Ergo 'virtutes animi' sunt rectæ ejus affectiones ex sua natura ad summum perductæ. Idem sunt 'virtutes corporis,' et rerum singularum ad corpus pertinentium. Suetonius Calig. cap. 3. Germanico tribuit 'omnes corporis animique Virtutes,' et ad corporis virtutem refert 'formam egregiam.' Sic apud Græcos Ἀρετή, quæ vox notat itidem id potissimum, et frequentissime, quod apud Latinos *Virtus*; etiam Corpori diserte et sæpius tribuitur a Platone in Gorgia p. 499. de cibo et potu, *Αἱ μὲν ὑγίειαν ποιοῦσαι ἐν τῷ σώματι, ἢ ἰσχύν, ἢ ἄλλην τινὰ Ἀρετὴν τοῦ σώματος, Quæ efficiunt sanitatem in corpore, aut robur, aut aliam quandam Virtutem corporis.* Similiter p. 504. sed disertius etiam p. 506. *Boni summa, nos, et omnes aliæ res, quæ bonæ dicuntur,* Ἀρετῆς τινος παραγενομένης, *quando virtus quædam accessit.* Ἀλλὰ μὲν δὴ ἥγγε Ἀρετὴ ἑκάστου, καὶ σκεύους, καὶ σώματος, καὶ ψυχῆς, αὖ καὶ ζώου παντὸς, οὐχ οὕτως εἰκῇ κάλλιστα παραγίγνεται, ἀλλὰ τάξει καὶ ὀρθότητι, καὶ τέχνῃ, ἥτις ἑκάστῳ ἀποδίδοται αὐτῶν, *At vero virtus*

Digitized by Google

quidem uniuscujusque hominis, *et vasis, et corporis, et animi, etiam omnis animantis non ita temere accedit optime, sed ordine et rectitudine, et arte, quæ unicuique istarum* rerum ab natura sua *data est.* Ita videmus Ἀρετὴν, *Virtutem*, quæ prorsus ejusdem sunt significationis, dari non 'homini' tantum, sed et ζώοις, *animantibus;* nec 'animo' tantum, sed et 'corpori,' immo et 'vasi,' seu 'instrumento.' Sed nos corpus nunc maxime considerabimus, cujus præcipuæ sunt affectiones, forma, et vires, quæ bene se habentes constituunt virtutem corporis, et ipsæ suam quoque habent virtutem, hoc est, perfectionem, præstantiam, vim, in uno corpore majorem, minorem in alio. Qua ergo analogia, ratione, significatione dicitur 'virtus formæ' corporis, eadem dicitur 'virtus virium' corporis. Formæ virtus seu præstantia consistit in pulchritudine, qua facile alios capit; at *virium virtus* in firmitate et robore, quo obvium quidvis facile dejicit, prosternit, superat. Contrarium enim ejus est 'infirmitas virium,' quæ Feminis tribuitur apud Cæsar. B. Gall. VII. 26. sed et quando Auctor B. Afr. c. 72. refert, Cæsarem ex Italia elephantos transportari jussisse, 'quo miles suus speciem et virtutem bestiæ cognosceret,' quæ, quæsó, istic est virtus elephanti, nisi robur ejus, et quicquid præstare poterat? Denique Glossarium Labbæi 'Virtutem' exponit diserte Græcis vocibus ἰσχὺν, δύναμιν, σθένος, ῥώμην, quæ omnia *Robur* et *Vim* proprie notant. Accedit his omnibus, quod nullus doctissimorum, et linguæ certe Latinæ peritissimorum Interpretum vel minimum duri, improprii, nedum ἀκυρολογίαν intolerabilem in ea phrasi invenerit, aut quidquam ad eam annotaverit, non Raderus, non Freinshemius, non Tellierius, non Cellarius, non Pitiscus. Unus est Vir Cl. qui ex Philosophia sua ostendit Grammaticis 'intolerabilem' illam in Lingua Latina ἀκυρολογίαν, quam illorum nemo nec animadvertit, nec animadvertisset umquam. Sed in his nihil agnoscet Vir Cl. simile, nisi si ipsum illud 'virtus virium' etiam apud alios ei ostendam auctores; sed quo postulato nihil est iniquius, nihil absurdius. Quid enim? an nulla phrasis erit Latina, et commoda satis, nisi eadem apud plures reperiatur auctores, licet per singulas voces considerata nihil habeat vitii vel minimi? Talis utique hæc est. Aut qua in re consistit tandem illud *intolerabile* hujus phraseos? Constructio est Grammatica, et usitatissima; neque in ipsis vocabulis quidquam est, quare conjungi nequeant. Cicero Parad. 2. ait, 'nescis, quantas vires virtus habeat.' Potuisset eodem sensu dixisse, 'nescis, quantæ sint vires virtutis.' Alia istic est, fateor, significatio vocum, quum 'virtus' Animi intelligatur, et 'vires' notent ejus vim, efficaciam, potentiam; sed conjunctionis eadem ratio est, ut et in eo, quod Curtius ipse VII. 3. 4. Macedonum VI. Græcorum V. millia vocat, 'haud dubie robur omnium virium Regis;' quid tandem differunt 'robur virium Regis,' et 'virtus virium Dioxippi?' nihil utique. Significatio autem vocum, huic phrasi et loco opportunissima, quando satis est probata, quid tum desiderari amplius potest? De sensu 'virium' nulla hic est hæsitatio. Quod 'virtus' notet præstantiam, potentiam, et perfectionem, seu rectam affectionem cujusque rei, satis, nisi fallor, declaratum est. Certe si quis postularet, ut 'virtutem formæ' alibi quam apud Plautum ostenderem, vel ego, vel Cl. Clericus, aqua nobis ut opinor hæreret. Ego vero satis jam tandem probatum putem, nullam in Curtiana phrasi esse ἀκυρολογίαν, nullamque adeo esse rationem rejiciendi eam, et delendi ponitus, quod unica illa 'intolerabilis'

Digitized by Google

ἀκυρολογίας ratione facere voluit Vir Cl. præter consensum codicum, qui omnes vulgatam retinent, excepto uno, in quo legitur *virium magnitudinem*, sed quod ipsum si maxime pari numero exhiberent codices, satis certum vel sic foret, hoc potius quam illud ex glossa et interpretatione veræ et rarioris locutionis esse ortum. Nunc cum unus modo id nobis ingerat, reliqui *Virtutem* hic proferant, certissimum est illam *virtutem virium* a Curtio, non a librariis profectam. *Perizonius Curt. Vind. Ob eximiam virtutem*] Ἀκυρολογίαν intolerabilem hic loci accusat Clericus, ad eamque vitandam, aliam proponit lectionem. Curtii patrocinium susceperat clarissimus vir, Jacobus Perizonius ad Æliani x. 22. iterumque in Curtio Vindicato; sed Clericus Bibliothecæ suæ selectæ tom. III. p. 210. negat ab eo sibi satisfactum esse. 'Virtutem' enim 'Formæ' apud Plautum significare 'efficaciam pulchritudinis,' cum 'virtus virium' in Curtio significet 'excellentiam roboris,' ipso Perizonio judice. Quocirca jam Perizonio vel Curtio potius aliunde suppetias feram, allato alio Plauti loco ex Amphitryon. I. 1. ubi in describendo prælio inter alia vs. 79. his verbis utitur: 'cadunt vulneris vi et virium.' Nec multum diversum videtur esse 'viribus pugnare,' quod bis habet Cicero: primum ad Fam. v. 21. scribens, 'Quavis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.' Deinde IV. 7. 'Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus.' *Heumann. de Arte Crit. Cleric.* p. 172. Profecto non dispicio, qua in parte ex his suppetiis fuerit adjutus Cl. Perizonius, namque ipse abunde patrocinium caussæ suæ tuitus videtur. Neque id video, unde de hac formula tantus fuerit factus strepitus, dum quasi triumphus canitur, quod hæc duarum vocum conjunctio nusquam expresse inveniatur. Sane *virtutem* pro simplici 'robore' apud Latinos sumi nemo negabit. Val. Flacc. IV. 151. 'Talis in advectos Neptuni credita proles Æternum furit; atque æquæ virtutis egentes, Ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros, Constituit.' Phædrus III. 6. 11. 'qui sine virtute vanas exercet minas;' nam non nisi de viribus ibi agitur inter muscam, et eum, 'sella qui prima sedens Jugum flagello temperat;' nunc autem 'robur virium' dixit Noster VII. 3. 4. ut monuit Cl. Perizonius: et sic Livius XXIV. 48. 'Sed habere hostem pedestri fidentem Marte, cui si æquari robore virium velit, et sibi pedites comparandos esse.' Sed forte 'vires' his locis ad copias et exercitus referentur. En alind apud eumdem Livium XXVIII. 35. 'Substituerat animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam... adornabat promissa cæsaries habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris, et ætas in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventæ faciebat.' Et sic idem sæpius: etiam 'virtus' pro facultate, qua quis gloriatur, sumitur lib. X. 5. 27. 'Fortitudo inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit.' *Snak.*

Et gratus] Sed tamen Plutarch. cap. 6. asserit, Alexandrum hujusmodi hominibus haud magnopere delectatum fuisse. *Freinsh.*

Invidi malignique] Reliqua, quod monitione indigna sint, omitto; hoc tantum dico, recte me *malignique* illud pro *magnique* substituisse. *Modius.*

Saginati corporis] Dousa Plautin. Explan. IV. 24. f. legit *Saginam corporis:* certe Justinus non uno loco, ut XXI. 2. 1. XXXIV. 2. 7. XXXVIII. 8. 9. 'saginam corporis' dixit. *Freinsh. Saginati corporis*] Vide Hieron. Mercurial. de Arte Gymnast. II. 9. *Snak.*

Digitized by Google

§ 17 *Eadem igitur*] Iterum vulgo, *eodem igitur in convivio;* male. *Modius.*

Horratas Macedo] Ælianus Var. Hist. x. 22. 'Corrhagum' nominat: atque hoc singulare Dioxippi et Horratæ certamen longe aliter sic refert; quod Dioxippus in Alexandri Macedonumque præsentia correpta clava Corrhagum armatum ex Macedonibus ad certamen provocavit; et cum ei hastam excussisset, vi rapuit eum cum armis, et jacentis collum calcavit, strictoque gladio ipsius, quo cinctus erat, armatum interemit. Quamobrem Alexander illum odio habuit, quod quum videret, animum despondit, et tristitia mœroreque confectus vivere desiit. Hujus Dioxippi et Athenæus Deipn. lib. v. meminit. *Popma.* Ælianus Var. Hist. x. 22. et Diodorus hunc 'Corragum' vocant; in hoc tamen dissident, quod Diodorus ait, quod Corragus Macedo Dioxippum ad duellum provocaverit; Ælianus, quod Dioxippus Corragum. *Loccenius. Horratas Macedo*] Diodorus simul Ælianusque 'Corragum' appellant, quod verum hominis nomen fuisse credam; est enim Macedonicum: quo etiam apud Liv. XLII. 67. 3. est Eumenis præfectus: quem Macedonem fuisse certum est ex eodem XXXVIII. 13. 3. Sic et Demetrii filium vocatum existimo, licet apud Plutarch. Demetr. cap. 74. edant 'Corrabum.' *Freinsh.*

Exprobrat ei] *Exprobrat regi* membranæ, cujus vitii originem deprehendere facillimum est. *Modius.*

Si vir esset] Sc. fortis, qualem militem esse decebat, qui auderet conserere manus non virium, sed vitæ periculo. Sic Noster VI. 11. 25. 'Si viri sumus, a Diis adoptabimur.' Sallustio familiaris formula in Catilin. Hanc etiam Floro restituit et exemplis adseruit, præeunte N. Heinsio, præstantissimus Grævius III. 3. 9. 'si viri estis, en illic habetis.' Et nomen 'viri' haud facile cum quovis genere hominum, etiamsi robustissimorum, communicaverunt Latini; unde dubitatur ad Florum III. 20. 3. an de servis in bellum prorumpentibus, et gladiatoribus dici possit: et præconii instar est, quod ibid. n. 14. dicuntur 'dignam viris obiisse mortem.' Adde Indicem nostr. *Snak.*

§ 18 *Certamen exposcerent*] Qui? nam certare, nisi unus Horratas, non proposuerat quisquam alius in superioribus: legendum igitur *exposceret.* Schefferus. Puto de studiosis utriusque partis, et hoc certamen adspectare desiderantibus æque accipi posse, quam de uno Horrata, et sic de correctione labor non erit. *Snak.*

§ 19 *Justa arma*] Τὰ ὁπλίτου, hic quidem militaria, nempe bellica, et ut opponantur Γυμναστικοῖς, quæ pugilem decebant, et quidem gravis armaturæ, ut sic *justus ὁπλίτης ψιλῷ, levi*, opponatur: sic etiam Noster IV. 14. 5. 'paucis justa arma esse.' Tacitus Ann. XIV. 32. 'Ducentos sine justis armis misit;' id est, non plane armatos: et sic 'justi milites,' 'justus exercitus,' et præcipue 'justum bellum,' quod quacumque de causa contra externos hostes suscipitur, de quo vide ad Florum II. 19. 6. Cl. Dukerum. Et sic forte in Floro III. 18. 2. quum 'socii' dicantur non 'minore flagitio intra Italiam, quam cives in urbe rebellasse:' mox iidem 'justissime jus civitatis postulare' feruntur, de bello accipiendum foret, nisi itidem Vell. Paterc. II. 15. 4. 'justissimam' eorum 'causam' fuisse adseveret. *Snak.*

Gladioque] Convenientius, *gladio quoque*, nisi istud *que* valeat *quoque*, ut observare visus sum in Tacito. *Raderus.*

§ 20 *Oleo nitens, et coronatus*] Luctatores et pancratiastæ potissimum unguebantur, non item pugiles, aut cursores, ut docet Mercurialis de Arte Gymnast. I. 8. Faber tamen

Digitized by Google

etiam pugiles ait inunctas gestasse vestes, sed non nisi ad subligaculum aut campestre, vocem vestis refert Agonistici II. 2. Nudum certe ait Dioxippum Curtius fuisse, nisi nudum exponas inermem comparatione Horratæ; coronatus autem, veluti vel prioribus olim certaminibus victor, vel quasi certus de futura etiam cum Horrata victoria. De coronis multa Faber in Agonisticis. *Raderus.* Oleum membris corroborandis 'adhibebatur. Senec. Ep. 80. 'Corpori (Athletarum) multo cibo, multa potione opus est, multo oleo, longa denique opera.' Luctatores etiam ut lubricos se agonistis præberent, oleo se illinebant. Hieronym. in Hos. cap. 14. 7. 'unguentur in agone certantes.' Adde Prudent. II. adv. Symm. vs. 516. et in Hamartig. vs. 365. Corona signum victoriæ erat, quam semel iterumque Noster consecutus fuerat. *Cellar.*

§ 21 *Lanceam emisit*] Sic apud Homer. Iliad. Γ. 355. Menelaus in Paridem 'emisit longam lanceam. Hic autem inclinatus est, et evitavit mortem nigram.' Adde supra IV. 6. 16. Dioxippus autem hoc inprimis callebat, quippe pugil; quorum præcipua 'ars, ictum vitare non fuga, sed corporis inclinationibus et flexionibus.' Scaligerum Poëtic. I. 22. et Cælium Antiq. Lect. XIII. 30. inprimis autem Fabri Agonisticon, et de Arte Gymnastica Mercurialem inspice. *Freinsh.*

§ 22 *Arietavit*] Prostravit, humi affixit. Nazar. Panegyr. Constant. cap. 23. 'Cataphracti cum aciem arietaverint.' Translatio ab ariete desumta vel animali, vel machina poliorcetica. Senecæ etiam neutrale verbum est Epist. 107. 'Labaris oportet, et arietes et cadas, et lasseris.' *Cellar.*

§ 23 *Ad ludibrium recidisse*] Librarii, veriti fortasse, ne parum sui similes viderentur, adjiciunt hic de suo verbum *verebatur*. Imperite hercle, atque adeo etiam impudenter. *Modius. Verebatur*] Vocem ab aliis immerito rejectam ex Mss. editisque vetustioribus reposui. *Freinsh.*

§ 25 *Conjectum oculorum ferre non potuit*] Ex hoc loco, ut et Plinii Paneg. cap. 63. literatissimus, et acutissimi judicii Antecessor A. Dukerus lucem attulit Floro IV. 7. 4. 'Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in provincias . . . concesserant.' Quem locum se non intelligere, aut scabrum esse, viri summi et versatissimi judices censuerant. Utique fatendum est, Flori insolentem spiritum (quidquid alii contra jactitent) aliquando eo usque auferri, ut mens lectoris minus abstracti sæpe ipsum adsequi nequeat. Nam 'publicum dolorem' pro civibus dolentibus; 'oculos' pro præsenti adspectu sumi, probari facile potest: sed inde 'publici doloris oculos' componere vix scriptori, quem genuina stili pulchritudo deceat, vix concesseris: ideoque antea dubitabam, an non scripsisset Florus, 'Ne tamen publici dolores oculos ferirent:' nunc supersedeo. *Snak.*

Destinabatur] Vim hujus verbi et loci pluribus comprobat D. Vossius ad J. Cæs. de B. G. III. 14. supra V. 10. 5. 'Bactrianos ad omne obsequium destinatos.' *Snak.*

§ 26 *Indignationis*] Indigne ferentis, quod notaretur digito propter sublatum aureum poculum, cum plus meritus videatur. Ita Alexander interpretabatur voluntariam Dioxippi cædem, priusquam ejus innocentia deprehensa esset, quam aperuit gaudium improborum ex morte innocentis captum. *Raderus. Indignat. non pœnitentiæ*] Potius indignitate ficti in se criminis, quam ulla veri pœnitentia commotum, necem sibi conscivisse. Aliorum explanationem haud admittunt sequentia, 'utique postquam falso insimulatum,' &c. eo enim cognito, non mutavit priorem opinionem, sed confirmavit. Utique enim

Digitized by Google

cogitabat plus in pectore ingenuo posse indignationem, quam in polluto pœnitentiam. *Freinsh.*

Gaudium ostendit] Habuit pro testimonio innocentiæ intestatus Dioxippus gaudium illud invidorum, satis manifesto sane. Si simile quid, aut qualemcumque aliam suspicionem apposuisset Noster III. 7. 13. non dubitassemus, unde apparuerit, Sisenem, retenta Epistola, quam ficto Darii nomine, ut tentaretur fides ejus, acceperat, fuisse innoxium, quum 'haud dubie jussu regis sit occisus,' antequam de re constaret. *Snak.*

CAP. VIII. § 1 *CCC. erant equi*] Legerim cum Glareano, *mille erant equites, trecenti currus, &c.* Modius. Ita Glareanus olim mutavit, nescio unde; cui adhæret Modius: ac satis hoc curruum, satis equorum esse, facile nterque persuaserint mihi: non etiam de tot equitibus, vel omnino equitibus donatis; qui nulli leguntur in ullis adeo libris. Nam *equi*, non *equites*, omnes habent. Quod si licentia eadem conjectandi fas etiam uti nobis, maluerim ita potius, extrita prorsus equitum mentione, *CCC. erant currus, quos quadrijugi equi ducebant.* Hoc unde, si lubet audire, dicam; quæ delevi, e glossa puto irrepsisse, sed glossa nec ipsa incorrupta. Fuerit et huic, et corruptioni ejus origo talis. Ad marginem libri sui computarat aliquis et notarat numerum equorum, quot conficerent, si quadrijugi traxissent, trecentos currus. Itaque scripserat, *equi mille CC.* quot omnino existunt e multiplicatione. Mox deinde librariorum errore centenarii notæ in denarii, quod facile, et passim in aliis sæpissime factum, conversæ: et hæ cum duæ essent, temere porro, ut isti 'fecundum est semen adulterio,' tertia quoque accessit, ut in contextum denique pariter ista reciperentur, *equi mille XXX.* quibus abactis et abjectis, integrum esse locum minimo secus ipse credo, neque fere dubitem ejusdem sententiæ auctor aliis fieri, quibus liberum tamen judicium relinquo, curam etiam diligentius inquirendi mando, si quid aliunde certius erui potest; nam quod ego vel alii attulimus, firmari testimonio nequit. Apud historiæ hujus auctores frustra quærendo fui, quos cum anxie antestari cuperem, auriculam opponere omnes recusarunt. *Acidal. Mille triginta currus*] Valde mihi probabilis videtur Acidalii conjectura, *CCC. erant currus, quos quadrijugi equi ducebant.* Atque illa eo videtur fide dignior, quod lectionem hanc corruptam esse satis ex IX. 4. 15. supra constat; ubi ambabus hisce gentibus in universum *nongenti* tantum currus tribuuntur. 'Quingentos' tamen Alexandro misisse tradit Arrianus VI. 3. 3. *Freinsh.* Mss. Fl. et Leid. omittunt *equi*, quæ vox ex modo sequentibus irrepsisse, aut induxisse librarios potest, et Curtius monuisse, nunc trecentos legatos, qui ante centum numero fuerant, missos fuisse. *Snak.*

§ 2 *Lacertarum*] In Nysa Indiæ monte Plin. VIII. 39. 4. lacertas sit longitudine 24. pedum reperiri. Tradit etiam Gesnerus quædam ex Bellonio. *Freinsh.*

Dorsa] Testacea operimenta, de quibus copiose toto III. 11. Aldrovandus de Testaceis. Adde Plinium IX. 10. *Raderus.*

§ 3 *Haud procul amne*] Indo, ex Curtii sententia, jam Hydaspe et Acesine aucto, ut supra IX. 4. 1. docuerat. Sed Arrian. VI. 3. (cui facile hic subscribas) per amnem Hydraotem a Mallis navigasse, donec veniret ad confluentem Acesinis et Hydraotis; tum perrexisse, donec ad Indi et Acesinis confluentem adpelleret. *Raderus.* Res secundum Arrianum ita habet. Hydraotes Acesini miscetur: eo subvectus Alexander locaverat castra: deinde expeditionem, in qua ad periculum mortis venit, suscipi-

Digitized by Google

ens, secundo amne defluxit in Acesinem, qui Mallos alluit; ibi cum ex vulneribus mortuus crederetur, veritus ne in castris ad Hydraotem tumultus existeret, eo navigavit. Sed hæc interim facta Curtius jam percurrit, aut præteriit; persequiturque Alexandri navigationem per Indum flumen: in quo nihil dissentit ab Arriano: nam ille VI. 3. 9. ait, Craterum in ripa Indi jussum incedere. *Freinsh.*

In fines Mallorum] Nam omnia antehac gesta apud Oxydracas Curtius acta docuit, cum, ut monui, alii apud Mallos facta affirmarint. *Raderus.* Rectius tamen scripsisset, *per fines;* jam enim supra IX. 4. 15. 'in regionem Oxydracarum Mallorumque' pervenisse scripsit. *Freinsh.* At in horum fines jam cap. 4. pervenerat: sunt qui late extendant, et nunc extremos illorum fines attingi existiment; quod nescio an ex mente Curtii sit, qui Oxydracis tribuit, quæ secundum Arrianum sunt Mallorum. Nec tamen Arrianus sibi constat; nam lib. VI. Mallos ad Hydraotem fluvium removit, in Indicis Acesinem ait apud Mallos cum Indo committi. *Cellar.*

§ 4 *Sabracas*] Bongarsius in notis ad Justinum emendat *Sydracas.* Sed Philostratus in Vita Apoll. II. 14. Arrianus et Strabo negant Alexandrum in Sydracas devenisse. Quod si ita, oportet hic esse lapsum memoriæ Curtii, inde adeo, quod putavit Mallos et Sydracas bello conjunctos, simulque ab Alexandro devictos, quod non factum supra dictum ex Arriano. Et si demus, Regem Sydracas vel Oxydracas expugnasse, ut Curtius ante dixit, tunc certe hic non possunt locum habere, utpote jam devicti, nec suo loco pro ratione historiæ movendi. Itaque hic reponendum putabam, pro *Sydracas, Hydracas* Strabonis, vel *Sambestas* Diodori, qui illorum rempublicam quoque democraticam facit, ut Curtius, 'populi non regum imperio regebantur.' *Loccenius. Sabracas*] 'Abastanos' Arrian. VI. 3. 6. appellat. 'Sambestas' Diodor. XVII. 102. qui de his plura. *Raderus.* Nominat quidem eo loco Arrian. 'Abastanas,' sed ut potius de alia gente loqui videatur. Bongarsius ad Justin. XII. 9. 3. non dixit emendandum in Curtio *Sudracas;* minus hunc locum respexit; sed sup. IX. 4. 15. pro 'Oxydracis' in suis exemplaribus 'Sudracas' reperit. Nam ita multi codices præferunt: lusit ergo operam Vir Doctus, qui vel Bongarsium reprehendendum sibi putavit, vel in Curtio aliquid mutandum. Illud enim certum est fieri non debuisse; hoc debuisse, incertum est. *Freinsh.*

VI. millia peditum] Minimum peccat, qui libros sequitur, quemadmodum hoc loco a me factum esse testor eos, qui viderunt, et in eos Joh. Guillelmum Lubecensem, ea eruditione adolescentem, ut jam Lubecum, ceteris clara et potens, cur etiam hac fama laudis multis civitatibus cedat, nihil quidquam caussæ habitura videatur. *Modius.* Ex Diodoro, quem plerumque sequitur Curtius, rescribo, *LX. millia peditum VI. M. equitum;* ut peditum numero ex proportione etiam equitum numerus respondeat. *Raderus. Sexaginta millia*] Recte sic emendavit Raderus, ex ipsa ratione, et auctoritate insuper Diodori XVII. 102. *Freinsh.*

§ 8 *Alexandriam*] Testes Siculus XVII. 102. et Arrian. VI. 3. 9. *Raderus.* Idem Arrian. VI. 3. 7. aliam ab eo conditam scripsit ad confluentes Indi et Acesinis, quæ huc non pertinere videtur. Hæc enim, ut ille ait, in Sogdis fuit exstructa; quos Diodor. XVII. 102. Sodras videtur appellare: quod notandum, ne quis urbem hanc ex numero earum putet, quas in Sogdiana condidit Alexander, supra VII. 10. 15. Adde et Solin. cap. LXXII. Plin. VI. 16. *Freinsh.*

Eorum, qui Musicani] Scribe, *fines, qui Musicani appellantur;* et mox, *Fi-*

Digitized by Google

nibus Musicani deinde in ditionem redactis. Non enim gentis nomen est 'Musicanus,' sed regis. Non inquam Μουσικανοὶ sunt populi, sed *οἱ ὑπὸ Μουσικανῷ τεταγμένοι. Fines Musicani* dixit, quod Arrianus VI. 3. 10. *τὴν Μουσικανοῦ ἐπικράτειαν*· Diodorus XVII. 102. *τὴν Μουσικανοῦ χώραν.* Strabo lib. XV. p. 488. simpliciter *τὴν Μουσικανοῦ*, et semel etiam *τὴν Μουσικανοῦ χώραν.* Ex quibus dubitari non potest, quin duo hæc Curtii loca inscitia correctorum sint contaminata. Quæ res etiam labefactat speciosam Rubenii lectionem quam mox proponemus. Infra tamen num. 16. legitur 'Rursus Musicani defecerunt:' ut hæream, an ipsi potius Curtio sit imputandum hoc *παράφραμα. Freinsh.*

§ 9 *De Teriolte*] Vulgo, *hic Desteriolem satrapem, quem Parapamisadis præfecerat, iisdem arguentibus cognovit;* quod tam insignitum vitium a nemine hactenus animadversum esse, ac ne a Vulcanio quidem, qui hunc locum ad Arriani similem citat, demiror equidem: quis enim Latinorum sic unquam locutus est, ut diceret, 'cognoscere aliquem,' pro 'de aliquo,' aut 'actis alicujus?' omnino arbitror magnos illos viros, Erasmum, Glareanum, Huttenum, atque ipsum etiam Vulcanium, cum hæc legerent, et taciti tamquam de nullo vitio suspecta præterirent, hoc non egisse. *Modius.* Hic 'Tithyestes' est Arrian. VII. 3. 8. *Freinsh.*

§ 10 *Jure amoris*] Nisi vocem *amoris*, quam ego ex membranis inserui, recipiendam existimes, et totum locum, ut a me editus est, legas, multimodis peccabis; præsertim si ad hoc etiam vulgatam scripturam retinendam putabis, quæ sic concepta est: *Oxartes prætor Bactrianorum non absolutus modo, sed etiam jure amplioris imperii donatus est. Finibus Musicanis deinde in deditionem redactis, &c.* contaminatissime, et pessime. *Modius.* Multimodis peccat, ait Modius, qui non ita mecum legit. Quid ergo? nihil peccabit, qui sic plane? Ille vero, mea sententia, nimio tanto plus; et plus etiam, qui lectionis ejus auctor. Quid est illud, *jure amoris?* insulsum et sensu et sermone. At membranæ *amoris* habuerunt: inde adeo id insertum; nam vulgo *jure* ubique habetur. Audio: sed tu audi vicissim, et permitte mihi arbitrium utriusque. Censeo in membranis aut pro *amplioris* scriptum illud ipsum *amoris*, aut idem ex eodem inscita repetitione rescriptum. Nec quidquam alterutra opinione verius. Hoc primum. *Jure* porro vel e glossa alicujus est, qui Oxatren jure et juste absolutum ad marginem notarat; vel potius ab iis insertum, qui *τὸ finibus*, distinctione prava, quæ hodieque visitur in vulgatis, initium periodi sequentis habebant, jungebantque cum *Musicanis.* Utroque jam refutato, scribes, *sed etiam amplioris imperii donatus est finibus. Musicanis deinde in deditionem redactis, &c.* Acidalius. *Jure amplioris imperii*] Rubenius supra ad VIII. 4. 21. locum hunc ita retulit: *jure amoris, amplioris imperii donatus est finibus. Musicanis deinde in ditionem redactis, &c.* Verum sive conjectura hæc est, sive cujus codicis scriptura, adsentiri ei non possum, quia ut modo occupavi dicere, populi isti non dicuntur *Musicani*, primo casu plurativi numeri, sed secundo singularis, *Musicani* videlicet regis subditi: deinde sane vix placeat istud, *jure amoris*, et multo rectius magisque mascule sonat periodus, si cum vulgari distinctione sic concipias: *jure amplioris imperii donatus est.* Taceo quod si de jure amoris dicturus fuisset, priori membro, ubi de absolutione agitur, potius inserturus fuisse videatur. *Freinsh.*

Præsidium imposuit] Arce in ejus urbe exstrui jussa. Arrianum vide VI. 3. 12. Alii absurde, *imperium imposuit.* Freinsh.

Digitized by Google

§ 11 *Oxycanus*] Sic etiam Arriano VI. 3. 13. vocatur. Aliis Curtii editionibus cum Siculo XVII. 102. et Strabone lib. XV. *Porticanus*, ubi vitio typographico, non certe ex versione, quæ nec Casauboni est, legitur 'Porticam terram' pro 'Porticani terram.' *Freinsh.*

§ 13 *Diruta igitur*] Editi, *dirupta*, inepte, quamquam hoc etiam alibi sæpius emendavi tacitus. *Modius. Diruta arce*] Sic reposuerunt pro *dirupta*, quæ quidem sæpe scio confundi: hic tamen inclino, ut legatur *direpta arce*. Freinsh.

Sabi regis] 'Sambum' appellat Arrian. VI. 3. 14. Fuit Sambus etiam Indiæ fluvius Arriano Indic. I. 11. a quo terra et rex fortasse nomen traxerunt. Plura Siculus XVII. 102. de rege 'Sambo.' Plutarch. cap. 112. 'Sabbam' appellat, Justin. XII. 10. 2. 'Ambigerum,' Oros. III. 19. 'Ambiram.' *Raderus.* Corruptum hoc nomen apud Strab. lib. XV. 'Ad ipsam vero jam Patalenam Musicani terram dicunt, et Sabutæ Sindonaliam:' *καὶ τὴν Σαβούτα Σινδοναλίαν.* ubi Eruditissimo interpreti 'Sabutæ terra' videtur esse, quam Diodor. XVII. 102. appellat *τὴν χώραν τῶν ὀνομαζομένων Σαμβαστῶν.* Nequicquam. Sed legendum in Strab. *καὶ τὴν Σίδον, τὰ Σινδόμανα*· vel ex Arriano VI. 3. 14. *τὰ Σινδόμανα*, ea enim urbs caput erat istius regionis. 'Sabum' ergo Strabo vocat hunc, ut Curtius, in quo tamen mox num. 17. etiam 'Samus' est. *Freinsh.*

§ 14 *Simile monstri*] Membranæ, *monstro*. Modius. *Simile monstri visum*] Quintilian. Declam. CCLV. Cuniculos fodere, et per occultos specus ingenti labore exhaustis terris in mediam subito 'emergere civitatem.' Curtianis autem confer hæc ex Claudiano de Rapt. Pros. II. 165. 'Ac velut occultus securum prodit in hostem Miles, et effossi subter fundamina campi Transilit inclusos arcano limite muros, Turbaque deceptas victrix erumpit in arces, Terrigenas imitata viros.' De Cuniculis supra IV. 6. 8. Vegetium adde II. 11. 'Ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Bessorum, ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfossis, improvisi emergerent ad urbes hostium capiendas.' Ubi forte pro 'Bessorum' substitnendum 'fossorum,' aut aliud quid. Certe a Bessis rationem ducendorum cuniculorum didicisse Romanos ludicrum est dicere: Sed nihil hic adfirmo: nec enim otium est ista diligenter excutiendi. Ceterum aliquid simile habent ista Flori II. 15. 14. 'Quasi enata subito classis erupit:' ubi monui hoc loco legendum, *urbem cuniculo cepit. Id barbaris, &c.* reddito pronomine, quod idem in præcedentis voculæ fine sonus absorbuerat. Apud Hirtium de B. Gall. VIII. 43. in obsidione Uxellodunensi: 'Ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt, atque aversæ. Quo facto repente fons perennis exhaustus tantam attulit oppidanis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed Deorum voluntate factum putarent.' *Freinsh.*

Armati e terra] Vox *armati* a membranis est, ne sis nescius. *Modius.*

§ 15 *Octingenti Indorum*] Neque numerus justus est, neque syntaxis; quis enim ita loquitur, *Octingenti Indorum cæsa*, vel *octingenta Indorum cæsa*, nisi *millia* subaudiatur? Optime contra, *octingenta millia cæsi.* Editio Coloniensis Allobrogum, *Octo millia Indorum cæsa.* Diodor. *ὑπὲρ τὰς ὀκτὼ μυριάδας κατέκοψε.* Si legas *octingenta millia*, nimium numerus excrescit; si *octo millia*, exiguus est pro totius regionis ratione: cum Siculo profecto legerim, *Octaginta millia*, et sic reponendum puto *LXXXM.* Raderus. Et ita scribendum Radero credidimus. *Freinsh.*

Multosque captivos sub corona venisse] Monendum putavi, hæc verba non

Digitized by Google

erant in optimis Coloniensibus membranis. *Modius. Sub corona venisse*] Pro servis et mancipiis publice vendi. Gell. VII. 4. 'Antiquitus mancipia, jure belli capta, coronis induta venibant.' Cato ibid. 'Ut populus potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam ut male gesta coronatus veneat.' Hinc frequens et obvium Latinis scriptoribus, 'sub corona vendere,' 'sub corona venire,' quod vilis materiæ corona captivis imposita insigne fuit venditionis publicæ. Exempla habent Cæsar. B. G. III. 16. Liv. V. 22. Tacit. Ann. XIII. 39. Florus IV. 12. Justin. VIII. 3. XI. 4. XXXIV. 2. *Cellar.*

§ 16 *Pithon*] Arrian. VI. 3. 15. Πίθωνα vocat; quem supra num. 9. earum regionum Satrapam constitutum fuisse dixerat: rectius tamen apud eumdem Indic. III. 11. scribitur *Pithon*, Πείθων, quomodo et aliis appellatur. Aliæ edit. Curt. pessime, *Phyton*. Diodoro XVIII. 39. est Πίθων. *Freinsh.*

In crucem sublato] Arrian. VI. 3. 16. καὶ τοῦτον κρεμᾶσαι κελεύει. interpres, *laqueo suspendi jubet*. Verum Lipsius de Cruce cap. 4. vertendum fuisse docet, *cruciffigi jubet*. Sic apud Photium pag. 213. accipio vocem ἐκρέμασα. *Freinsh.*

§ 17 *Oppidum*] 'Harmatelia' dictum Diodoro XVII. 103. *Freinsh.*

Quod in regno erat] Miror illos, qui primi editionibus præfuerunt, et hæc ita excudi curarunt, *Quarto deinde die secundo amne pervenitur ad oppidum, qua iter in regnum erat Sami*. Miror, inquam, eos, qui ita legunt, qua parte corporis oculos habeant; præsertim cum in nostram scripturam, præter libros scriptos, res ipsa consentiat. *Mod. Qua iter in regnum*] Non capio; forte, *qua iterum regnum erat Sami;* ut velit supra etiam, Indum accoluisse Sami, vel Sabi, ut antea vocavit, subditos, deinde interjectis, ut fit, aliorum dominiis, hic denuo regnum Sami fuisse. Ita sup. VII. 7. 4. 'qua Bactra sunt.' Alii satis audacter mutant, *quod in regno erat Sami*. Freinsh. Locus obscurus, etiam Freinshemii sententia, qui propterea mallet legere, *qua iterum regnum erat Sami*. Ego non repugno, tantum in re dubia dico, videri verba ista, *qua iter in regnum erat*, esse interpretis, qui volebat indicare, quomodo is quartus dies, de quo præcessit, debeat intelligi, nimirum postquam venissent in regnum Sami. Colligo, quia Ms. habet, *quod in regno*, vel, *in regnum;* suspicorque verba olim sic fuisse formata: *quo itum in regnum erat:* vel si Curtii sunt ipsius, omnino constitui hoc modo oportere: *Quarto deinde die, quo itum in regnum erat, secundo amne pervenit ad oppidum Sabi;* vel, *Quarta deinde die, qua ei iter in regnum erat, secundo amne pervenit ad oppidum Sabi*. Porro *Sabi oppidum* intelligo, ubi degebat ipse, ac sedem habebat suam. *Scheff. Qua iter in regnum*] Vide Freinshemium: forte, *quo in regnum intratur Sabi*. 'Intrare in urbem' est IV. 2. 17. vel leg. *quod erat in regno*, sive, *regnum:* vide varias lectiones, et Indicem voce 'In.' *Heinsius.* Probabilior videtur Freinshemii correctio, quam adjuvat etiam Arrianus, qui quamquam aliter has res narrat, in eo tamen consentit, VI. 17. Ὁ δὲ (Ἀλέξανδρος) ἐπὶ Σάμβον αὖ ἦγε, τῶν ὁρίων Ἰνδῶν σατράπην ὑπ' αὐτοῦ καταστα θέντα. *Snak.*

§ 18 *Agrianos mœnia subire*] Levis armaturæ equites, sed expeditos, ut hodie Pannones seu Ungari sunt, videntur Radero fuisse. Sed mirum si equites jussi sunt mœnia conscendere, hoc enim vox ista, *subire*, notat: sed supra quoque diximus, pedites fuisse Agrianos, quod vel unius Arriani compluribus locis evidentissime probari posset. *Freinsh.*

§ 20 *Subinde*] Id est, paullo post, ut ea notione usitatum Livio, eque

Digitized by Google

recentioribus monuit Gifanius in Observationibus l. L. et pluribus exposuit Freinshemius in Indice, quem vide. *Snak.*

Strenuæ mortis] Explicant, 'subitæ, et in quam non est remedium,' quod et vox 'subinde' etiam suggerebat, et sic 'strenue facere' pro summa celeritate et ardenti animo perficere apud Justin. I. 6. 5. 'Silvam viæ circumdatam excidere jubet. Quod cum strenue fecissent.' Sic Noster VII. 1. 14. 'Strenue ad armigeros, qui proximi sequebantur, recessisse.' Et 'bene et strenue facere' quasi distinguuntur a Jugurtha apud Sallust. B. J. cap. 25. Quum vero aliquantum decubuisse videatur Ptolemæus ex sequenti narratione, non tam præsens tempore, quam vi et efficacia, quæ sisti non posset, fuisse videatur. Nam ita etiam 'strenuum remedium' opponitur 'præcipiti' a Nostro III. 6. 2. Et hinc capias, qualem habuerit Alexandrum Parmenio, quum quasi in admirationem virtutis abreptus exclamat, 'strenuum hominem et numquam cessantem:' VII. 2. 26. Vult ergo hic *mortem* efficacissimam, quam effugere nemo vulneratus posset: et sic argute, ut omnia, Horat. I. Epist. II. 28. 'Strenua nos exercet inertia.' *Snak.*

§ 21 *Intactus evaserat*] Necessario luseres, *intactus tamen invaserat*. Acidalius. Vix assentior. *Freinsh.*

§ 22 *Sanguine conjunctus*] Eadem de re Pausanias in Atticis disertius explicans, 'nomine Lagi, re Philippi filium fuisse' dicit, propterea, quod Arsinoë mater jam e Philippo gravida, Lago tradita esset; qui quidem Lagus et eam ob caussam exposuisse Ptolemæum postea videtur, ut narrat Suidas. Contra Justin. XIII. 4. 11. 'e gregario milite,' ab Alexandro tantummodo 'virtutis caussa provectum' refert. Libenter iis assentimus, qui a Philippi familia haud alienum censent. Quod totum etsi Theophilus Antiochen. lib. II. ad maternam prosapiam restrinxit, tamen nihil vetat, ut simul in Pausaniæ et Curtii placitis acquiescamus. Estque hinc forte, quod Theocritus Idyll. XVII. Alexandrum Magnum et Ptolemæum generis conditores Herculem et Hyllum habuisse scripsit. Tametsi ipse Ptolemæus Lago patre se genitum credi malnerit; unde et posteri Lagidarum nomen retinnere. Reineccius in regno Ægyptio Lagidarum. Hinc apud Propert. III. 10. 40. 'Una Philippeo sanguine adusta nota' dicitur Cleopatra. Lagum vero non valde nobilem fuisse, argumento possit esse quod Plutarch. de Ira Cohibenda cap. 16. narrat: Ptolemæus grammaticum ob inscitiam subsannans, interrogabat, quis Pelei fuisset pater: respondit ille, Tu prius dic, quis Lagi fuerit pater: id dicterium obscuritatem generis regi exprobrabat.' *Freinsh.*

Pellice ejus ortum] Licet *Lagi* vulgo ferretur filius, unde 'Nilus Lagæus' apud Martialem. *Locceu.*

§ 23 *Et pacis artibus*] Est hoc forte, sed mihi sincerum non videtur. Uti ne Ptolemæum pacis artibus quam belli præstantiorem dicat? utraque laude pariter ornare, sed et pari voluisse putem: eoque scribam, *nec militiæ quam pacis artibus major et clarior.* A virtute militari commendavit primum: pacis artes mox subdit, civilem cultum, liberalitatem, facilitatem aditus, et quæ consequuntur hæc his consimilia. Tamen haud obstinate relucter, et prævaleat sane, quod vulgatur; in quo magis ad exprimendum contrarium istum sensum faciat, si legatur, *sed pacis artibus.* Acidalius. *Et pacis artibus*] Acidalius mallet, *sed pacis artibus*, aut *nec militiæ quam pacis art.* ego vulgatam satis fero. Par fere encomium P. Licinii apud Liv. XXX. 1. 3. Syllæ apud Sallust. Jugurth. XCVI. 1. Æ-

Digitized by Google

lian. XII. 16. Alexandrum Ptolemæo scribit invidisse, fuisseque offensum illius τῷ δεξιῷ, quod de dexteritate ingenii sollertiaque potius, quam aut de prosperitate ejus, aut comitate, interpreter. Vide etiam quæ notat Gruterus ad illa Livii I. 34. 13. de Tarquinio Prisco: 'Fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficisque, quos poterat, sibi conciliando, adjuvabat.' *Freinsh.*

Adituque facili] Ita habent membranæ: verum malim ego vulgatam lectionem sequi, quæ erat, *adituque facilis*. Modius.

§ 24 *Suorum*] Forte, *eorum*. Sebisius. Illud rectius. *Freinsh.*

§ 25 *Quam regis*] Scio quid velint dicere. Sed si recte examines, nihil opus esse deprehendes. Credo fuisse *regi*. Cum eo Macedonas certasse in Ptolemæum cura. Cum autem exponat regis sollicitudinem pro Ptolemæo, satis etiam intelligitur, quanta reliquorum fuerit. *Freinsh.*

§ 26 *Per quietem vidisse se exponit speciem draconis*] Ut Strabo vere judicat, non draco, sed aliquis rei herbariæ peritus regi indicavit, inde fabula illa adulationis gratia adjecta. Εἰκὸς δέ τινα μηνῦσαι τῶν εἰδότων· τὸ δὲ μυθῶδες προσετέθη κολακείας χάριν. Et Cicero de Divinat. lib. II. salse: 'An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu, nonnumquam forte temere concurrerent? Alexandro loqui draco visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum; sed utrum sit, non est mirabile. Non enim audivit ille draconem loquentem, sed visus est audire, et quidem quo major sit, cum radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somnianti.' De antidotis autem hujus veneni Nicander in Alexipharmacis, et Dioscorides VI. 20. *Loccenius.* Idem Cicero de Divinat. lib. II. Strabo lib. XV. Justin. XII. 10. 3. Oros. III. 19. omnium clarissime Diodor. XVII. 103. *Raderus.* Apud Ciceronem aliquot similia somnia memorantur, et de eorum natura disputatur. Eumdem Alexandrum imaginatum esse, Cassandrum poculum venenatum sibi miscentem tradit Val. Max. I. 7. 2. extr. multa similia apud Patricium de Regno v. 8. Vide imprimis caput 46. Tertulliani de Anima; ubi inter alia: 'Revelantur et honores et ingenia per quietem, præstantur et medelæ,' &c. *Freinsh.*

§ 28 *Pathaliam*] Ab urbe Pathala sic dictam, ubi sepultus est Nearchus classis præfectus, teste Philostrato III. 15. de Vita Apollonii. *Loccenius.* *Pataliam*] Quæ insulam, Indi ostiis inclusam, incolit. Urbs insulæ primaria fuit *Patala*, sive *Pattala*. Arrian. lib. VI. sita sub divortio hujus amnis. *Cellar.*

§ 30 *Defluxit ad insulam*] Dictam 'Cillutam' [immo 'Cilluta' pluraliter] ut Arrian. VI. 3. 27. habet; ut Plutarch. cap. 115. 'Scillustin' vel 'Psiltucin.' *Loccenius.* Ego putabam 'Cilluta' nomen esse insulæ, quam infra IX. 9. 8. designat. Compara auctores: videbis Cilluta ne unius quidem diei itinere ab Oceano abfuisse; cum hæc, ex descriptione Curtii, quatridui circiter itinere abfuerit. Non vacat Arriani narrationem cum hac prolixius conferre, nec ostendere, quomodo ab ejus mente, præsertim ubi de Leonnato loquitur, aberrarint interpretes. Monitus lector ipse dispiciat. *Freinsh.* Alia insula medio amni sita describitur, cap. 9. n. 8. Utra sit 'Cilluta' Arriani non liquet. *Cellar.*

CAP. IX. § 1 *Cupido incessit*] Inconcinna structura, *visendi, adeundi*, et mox, *permittere*. Nisi alia desint, (forte ista, *ut non vereretur sine regiovis peritis, &c.*) ausim tentare, *ut flumini ign. c. s. &c. permitteret;* vel potius, *perv. cupido visendi Oc. ad. t. mundi, ingessit, sine reg. per. fl. ign. &c. permittere*. Acidalius. Potius cre-

Digitized by Google

dam excidisse nonnulla verba, aut fortassis unum in fine sensus. Nam Mss. quidam omittunt *incessit;* quod sane vix tolerari etiam potest: eo igitur abjecto, videatur leg. *pervicax cupido visendi, &c. permittere coëgit*, aut quid simile. *Freinsh.* *Pervicax cupido incessit*] Forte, *pervicax cupidinis visendi, &c.* et tunc *permittere*, pro *permittit:* sic 'recti pervicax,' et 'iræ pervicax,' apud Tacitum. *Heinsius.*

§ 4 *Finem laboris*] Et hanc quoque posteriorem vocem ex scriptis codicibus adjeci, quum vulgo nulla esset. *Modius.*

Ne naturam] Tacitus Agric. XXXIII. 9. 'In ipso terrarum ac naturæ fine.' Ad quæ Virdungus ita notat: 'Ridiculum, quasi illuc usque tantum Natura: sed hæ sunt veterum hallucinationes, nescientium terram esse conditam, 'in Orbem Undique surgentem pariter pariterque cadentem,' Manil. Astronom. Leges, si lubet, multa hujusmodi ineptiarum et anilium deliriorum apud Senecam Suas. I. Ipse etiam Alexander apud Curtium κρονίων ὄζει, quum suis ingerit, 'ne Naturam quidem longius posse procedere,'' &c. Vide similia supra ad VII. 8. XII. verbo, 'tanti numinis.' Ex eodem fonte sunt et isthæc Taciti Agric. XII. 6. 'Extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras.' Item Germ. XLV. 2. 'Illuc usque tantum natura.' Liv. XXVIII. 39. 14. 'Terrarum ultimus finis Oceanus.' *Freinsh.*

Incognita nisi immortalibus] An uni codici eique recentiori fides habenda sit, nescio, advertit tamen animum meum lectio Voss. 2. quæ omittit vocem *nisi*, et si Curtii stilum Alexandri genio adcommodatum consideres, hæc ἀλήθεια in eum optime convenire videtur, jactantem nunc ad milites, eisque persuadere conantem, penetrasse ipsos jam ultra, easque mox lustraturos terras, quas nec Liber Pater, nec Hercules expeditionibus suis, quibus immortalitatem erant adsecuti, adiissent unquam. Nec consideranda adeo, quæ de triumpho ad exemplum Liberi Patris narrantur infra in fine c. 10. quum hæc oratio ad militum animos acrius excitandos, non ex vero, aut accurato examine perpendenda sit. Sic IV. 4. 10. 'Sæpiusque adeundo ceteris incognitas terras.' *Snak.*

§ 5 *Emisit in ripam*] *Amisit* editiones. *Modius.*

§ 6 *Abessent mari*] Iterum editiones, *quam procul abesset mare.* Modius.

Mare destinari] In isto etiam verbo sæpe hic et alibi turbæ. Passim enim confundi videmus *designari*, et *destinari*. Hic alterum nolim substitui: tuear, quod vulgatum est: itemque hoc libro cap. 7. 25. 'Conjectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit;' nam de illo IV. 8. 6. valde etiam ambigo: 'Fama est, quum rex urbis futuræ muros polenta, ut Macedonum mos est, designasset, avium greges advolasse, et polentam esse pastas.' Sic enim quidem Modius: at ego rejicere alterum non ausim, qui video tam multis locis tam frequenter usurpatum, ut amasse id præ altero Curtius, et velut in deliciis habuisse videatur. *Acidalius.*

§ 8 *Aliam insulam*] De quo IX. 8. 30. opinati sumus. *Freinsh.*

Æstu reverberabatur] Ita de consilio membranarum Colomiensium recte scripsi, cum in Sigebergensibus minus bene, *verberabatur;* vulgo etiam inepte *remorabatur* legeretur. *Modius.* A membranis est hoc, *reverberabatur*, si Modio credimus, cujus fidei nihil usquam diffido. At germanum idem, non Modio, non membranis credo, quibus sæpe non possum credulitatem meam commodare, etsi alii pæne videntur addixisse. Quid is dicit, qui curaum verberari aut reverberari dicit? Hercule non

Digitized by Google

intelligo: si navem dicoret, utcumque caperem, et ferrem, quamquam et sic ægre. Mihi vero emendanda vox videtur, *referebatur*, et ut sententia magis appareat, etiam scribo *lentius*, non *lenius;* hoc enim inde perperam natum, quia præcedit, 'leni adhuc æstu confundente dispares undas:' ait, lentius evectos, quia cursus æstu maris crebrescente retro actus sit, hoc enim est hic referri: ita locuti Plaut. Asinar. I. 3. 6. 'Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.' Seneca Thyeste: 'Sic incitatam remige et vento ratem Æstus resistens remigi et vento refert.' Ovid. Epist. Cydippes vs. 41. 'Ipsa velut navis jactor, quam certus in altum Propellit Boreas; æstus et unda refert.' *Acidalius.* Nec dissimiliter Tacitus II. 23. 4. 'æstus eodem quo ventus ferebat.' Verum cum Mss. editique omnes in illud consentiant, retinendum arbitror; præsertim si *cursum* hic capias, non navis, sed fluminis; quod fugisse videtur Acidalium. Cursus fluminis reverberabatur, ut mox seq. numero. Hac notione apud Virg. Ecl. VIII. 4. 'suos requierunt flumina cursus.' *Freinsh.* Leg. *reverberabatur.* Noster IV. 3. 6. 'Crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxavere.' Columell. IV. 13. 'Ne incrementa vitis duritia sua reverberet tellus.' *Heins.*

§ 9 *Oceanus exæstuans*] 'In litore Cambaiæ,' inquiunt Conimbricenses in Meteoris tract. VIII. 4. et seq. 'quæ est in faucibus Indi, mare binis horis triginta circiter lencas accessu obtegit: binis totidem recessu detegit. Itaque tanta rapiditate agitur, ut homines ingruentem e pelago undam vix cursu evadant. Ne vero incautos æstus arripiat, cymbali sonitu admonentur. Nec naves ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum usum defossas, in quibus mari abeunte consistunt. Postremo nec eodem diei tempore ubique æstus incipit ac desinit; quandoquidem singulis diebus una fere hora mare tardius ascendit.' Quærunt deinde naturæ interpretes, quæ sit res quæ tantos maris æstus cieat, ubi alii Mundum aiunt esse animal, et in Oceani profundis nares habere, per quas emissa anima vel hausta, inflet maria, et resorbeat: alii arbitrantur sub Oceano, vel circa, quosdam genios versari, qui invitent et recipiant mare: alii crediderunt a fluminibus, ex altis montibus præcipitantibus, mare impelli: alii terræ situi aut motibus, [Galilæum in Syst. Copernicano vide,] alii Soli, alii aliis caussis æstus adscripsere. Sed tota prope sapientum, et veterum et recentium, natio rationes æstus Lunæ impressionibus assignant. Hanc sententiam etiam laudat et sequitur Conimbricensis Academia. *Raderus.* Vide etiam Aristot. in Problem. sect. 23. Meteor. lib. II. summa 1. Ptolem. II. 12. Plutarch. de Placitis Philosophorum. Senec. Natural. Quæst. II. 28. Plin. II. 97. quos ad VI. 4. 19. citaverat Raderus. Item Stuckium in Peripl. Mar. Erythr. III. 14. Stewechium ad Veget. V. 12. et Rhelicanum in Cæs. Bell. Gall. III. 12. qui omnes vulgatam opinionem tuentur. *Freinsh.*

§ 10 *Ignota vulgo*] Imo ipsi Alexandro: nec in principe talium notitiam magnopere necessariam esse probat Alb. Gentil. de Legat. cap. 3. Utilem tamen interdum esse, si absque majoris momenti rerum jactura possit comparari, vel hoc exemplo claret. *Freinsh.*

Et iræ Deum] Leg. *ut iræ Deum.* Heinsius.

Intumescens mare] Editi libri, *intumescere mare.* Modius. Si *intumescens* præmisit, cur non subdit et 'descendens?' An 'descendere' omittendum? minime vero. Rescribe e vulgatis, *monstraque et iræ deum i. e. videbantur. Identidem intumescere ma-*

Digitized by Google

re, et in campos paullo ante siccos descendere superfusum. Distinctione adjuvimus: et norunt vel pueri, qua forma capiendi hi, quos dicunt, modi infinitivi. *Acidalius. In campos paullo ante siccos descendere*] Vix integram hanc existimo lectionem. Descendit enim, quod ex superiori loco venit ad inferiorem. At mare tendebat ad superiora, ideoque intumuisse dicit. Vera lectio est opinione mea, *paullo ante siccos escendere:* verbum *escendere* usitatum optimis scriptoribus hoc sensu. *Scheff.*

§ 12 *Festinatio tarda*] Liv. XXII. 39. 13. 'Festinatio improvida est et cæca.' Quæ porro subjicit, iis similia sunt ista Taciti II. 23. 2. 'Miles pavidus, et casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat.' Livii XXII. 19. 10. 'Ruentibus in naves simul remigibus militibusque, fugientium magis a terra, quam in pugnam euntium modo. Vix dum omnes conscenderant, quum alii resolvunt oras, aut ancoram vellunt; alii, ne quid teneat, ancoralia incidunt; raptimque omnia præpropere agendo, militum apparatu nautica ministeria impediuntur; trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur.' Thucydidis II. 16. 9. 'Naves in angustum coactæ locum, a vento pariter et multitudine sua inter sé quassatæ, tumultum præbuerunt. Navis enim cum nave collidebatur, et a se invicem contis detrudebantur, cum clamore et convicio nautarum, dum pro se quisque ne sua navis quassaretur, prohibere conatur, in quo strepitu et tumultu neque mandata gubernatorum, nec adhortantium voces audire poterant, neque remos in loco procelloso movere, præsertim homines rei nauticæ imperiti.' Quibus in locis quid simile sit Curtiano, quid dissimile, ipse perspicies. Addam etiam elegantem locum Polybii VI. 42. 'Semper enim pop. Atheniens. navibus domino carentibus est similis: in quibus quoties aut propter metum hostium, aut ob sævientis tempestatis periculum, vectoribus voluntas incessit in unum consentiendi, et gubernatori parendi; suo quisque officio eximie funguntur omnes: ubi vero, resumptis animis, rectores aspernari cœperint, et aliis alia autumantibus, sententiis inter se dissidere; tum enimvero quum pars navigationem cupiat persequi, pars instet acriter gubernatori, ut naves aliquo ejiciat; aliis rudentes explicantibus, aliis manu etiam injecta contrahere jubentibus; dum inter se rixantur cuncti, et seditionem movent, tum procul spectantibus fœdam existit spectaculum; tum ipsis qui in eadem jactantur navi, periculosissimus est hic status.' *Freinsh.*

Pellebant] Sic edidi; non quomodo vulgo est, *appellebant*, quod ratio non postularet. *Modius.* Quæ (malum!) ratio postulavit, ut *pellebant* ederetur, non quomodo vulgo est, *appellebant?* Mens certe Curtii ista: in siccum aut vadum appulsa navigia, ut conscendere expositi possent, non in altum propulsa: sed reliqua manifeste etiam ubique vitiosa, quæ traductione unius verbi corrigimus in hunc modum: *hi dum considerent, remos aptari prohibebant.* Acidalius. Sic etiam edidit Raderus. Acidalio assentior facile in ceteris; at, pro *considerant, considerent* rescribendum non existimo: putabat is, hunc esse sensum, prohibuisse remos aptare, nec curasse, dum modo possent considere. At non ea mens Scriptoris. Hoc vult, eo ipso, quia ante tempus considerant, injectum impedimentum nautis aptandi remos. Solebant enim prime aptari remi, at post demum eis aptatis fieri conscensio, et occupatio sedium, quam quisque vectorum caperé debeat. qua de re jam actum est a me in libris de Mil. Navali, et agetur amplius in Curis Secundis, si quando Ty-

Digitized by Google

pographum idoneum invehient. *Scheffer.*

§ 13 *Claudæ navigia*] Totam hanc Alexandri navigationis periculosissimæ descriptionem adumbratam esse ex figuratis verbis Taciti Ann. II. ubi Germanicus ejusque miles per Amisiam Oceanum invectus similiter periclitatur, censet Vir Doctissimus J. J. Pontanus in Sylloge Epist. quas edidit Cl. Antecessor A. Matthæus Epist. 60. *Snak.*

Non receperant] Expeditior erat sensus in simplici *ceperant*, pro quo tamen et compositum sæpe usurpari, nec significatui quidquam addere præpositionem additam, et alii pridem, et nos pueri non ita pridem ostendimus. Inconsulte ruentium agmina capere naves haud poterant, ita multitudo has, ut alias paucitas, morabatur. *Acidalius.* Si non receperunt, quæ ergo inter has et priores naves oppositio? nam et illæ non exspectabant, quæ simul esse debebant; et quomodo intelligendum, quod sequitur, etiam 'multitudo festinantes morabatur?' Ego vix dubito, quin Curtio sit scriptum, *alia navium inconsulte ruentes omnes receperant*; vitium ex eo natum, quod illud *omnes* compendiose scriptum esset per ōn cum lineola in capite, quod imperiti librarii reddiderunt per *non*. Scheff.

§ 14 *Nusquam*] Alii *numquam*; verum pusillum hoc, ut multa alia. *Modius.*

§ 16 *Abstergerique invicem*] Membranæ non habent hoc verbum, sed pro eo legunt, *impingique invicem remi*. Modius. Librarius membranarum Modii non intellexit vocem *abstergeri*, quæ est abrumpi vel decurtari, παρακόπτεσθαι. A. Hirtius de Bello Alexandr. 'Nullius remi detergerentur.' Vide et Gifanii indicem Lucretianum in voce 'Abstergeri.' *Loccenius.*

Alia aliorum] Forte, *alia aliis navigia urgueri ceperunt*. Heinsius.

§ 18 *Ehare properant*] Mihi dubium non erat, quin ita scribendum esset, etsi vulgati habebant, *enare ceperunt*; præsertim cum statim supra sit, *et alii aliorum navigia urgere ceperunt*. Modius.

§ 20 *Reciprocare cepit mare*] Antiqui codices, *reciprocari*. Modius. *Reciprocare*] Refluere, redire unde venerat. Florus II. 8. 9. 'Euboeam insulam reciprocantibus aquis Euripus abscidit.' Tellierius legit *reciprocari*. Livius XXVIII. 30. de navi passive, 'Credens quinqueremem rapido in freto deprehensam in adversum æstum reciprocari non posse.' *Cellar.*

Reciprocare cepit mare] Adscribam insignem locum Arriani Peripl. Erythr. III. 15. 'Juxta Barygazam derepente ipsum profundum, ac quædam continentis partes apparent siccæ et aridæ, quæ paulo ante navigabantur. Ipsa quoque flumina hoc universi maris æstu atque inundatione vehementissima sursum contra naturalem suum cursum feruntur ac rapiuntur. Quam sane ob causam ii, qui sunt hujus ignari, primumque ad emporium illud appellunt, magno periculo in navibus, vel subducendis, vel educendis conflictantur. Quoniam enim anchoræ propter inundationis nihil quidquam remittentis vim atque impetum navibus retinendis minime pares esse possunt; idcirco ipsæ naves vi repentina in obliquum sive transversum, rapido præcipitique fluxu cursuque abreptæ, atque ad paludes alliæ franguntur, minores vero evertuntur. Nonnullæ etiam, ubi inundationis tempore ad fossas deflexerint, nisi statim trajiciant, æstu subito implentur atque obruuntur.' Quod de fossis ait, intelliges ex his verbis ejusdem loci paulo supra: 'Flectunt cursum statim ab ipso fluvii ostio per paludes navibus illis ante commemoratis, deinde remulco eas trahunt per certas quasdam et ordinatas mansiones; et accedente quidem æstu solvunt, recedente autem, in portas

Digitized by Google

quosdam et in Cythrinos se recipiunt. Sunt autem Cythrini loca quædam fluvii profundiora.' Hinc forte intelligendus idem de Expedit. Alex. VI. 3. 25. ξυμφεύγουσιν αὖ ἐς διώρυχα, *in fossam quandam confugiunt*. Idem Indic. IV. 2. 'Fossa quinque stadiorum perducta, naves traduxerunt æstu marino accedente.' Sed cur 'accedente?' Diversæ videntur fuisse fossæ: aliæ in transversam ripam actæ portuum instar, ut ibi ab accedente æstu naves tutiores forent; aliæ in altum depressæ, ut eo recedente non destituerentur in sicco: de quibus et Conimbricenses supra ad IX. 9. 9. 'Nec naves ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum usum defossas, in quibus mari abeunte consistunt.' De eodem æstu quædam etiam excerpamus ex Plinio XIII. 25. 'Qui navigavere in Indos (lege Indo) Alexandri milites, &c. tradidere, &c. Eodem tractu insularum silvas operit æstus, quamquam altiores platanis populisque altissimis, &c. Harum minores totas integit mare: maximarum cacumina exstant, ad quæ naves religantur; et cum recessit æstus, ad radices.' *Freinsh.*

Præcipitantur] Forte, *præcipitant*. Heinsius.

Sarcinis, armis] Duas has voces, membranarum fide fretus, Curtio, cum alioquin in editis ejus exemplaribus non essent, restitui. *Modius.*

§ 21 *In naves subsistere*] Scio illud *in* adjunctum habere non raro accusativum etiam, cum rem significat in loco. Puto tamen Nostrum scripsisse, *nec in nave subsistere*, illudque *s* in fine vocis *naves* transsumtum esse ex initiali vocis sequentis. *Scheff.*

Videre ipsos credebant] Addunt membranæ Sigebergenses vocem *possent*, sed frustra addunt: nemo illis credit. *Modius.*

§ 23 *Præsideret*] Iterum membranæ omnes, *persederet*. Modius.

Exæstuare] *Æstuare* vulgo. *Modius.*

Procederent] Imo, *retrocederent*, si de equitibus capis hæc; illud tamen rectum, si de classe et navibus. Sed quia de his sequitur, illud ad equites videbatur referendum. *Freinsh.* *Procederent*] Procurrerent a mari terram versus, sive retrocederent: sunt, qui etiam legi malint *retrocederent*. Cellar.

§ 26 *Ejusdem elementi*] Membranæ aliæ hic, *motus*, aliæ *mentis* habebant, nimirum, rectum est, quod expressimus. *Modius.*

Mirabundi requirebant] Fabulosa sunt, quæ de perturbatione et metu Macedonum tumide narrantur. Nam res erat Græcis jam dudum nota, ut ex Herodoto aliisque scriptoribus, qui ante Alexandrum vixerunt, liquet; præterea a Persis, qui ad Oceanum usque incolebant, erantque in exercitu Alexandri, poterant moneri Macedones. Huc etiam accedit, quod æstus in mari Indico exiguus sit, nec tantos tumultus creare possit. Facile equidem crediderim reciprocum Oceani æstum Macedonibus admirationi fuisse, sed tantas turbas fecisse, quantas describit Curtius, quæ jam dixi me non patiuntur credere. At si rem ex vero narrasset, inutilis fuisset omnis ille rhetoricus fucus, quo eam incrustavit, et bella occasio prætermissa ostentandi, in descriptione inanis metus, ingenii. Nemo enim legisset pisces mari destitutos, per siccum solum ambulantes: 'Belluæ quoque,' inquit Noster, 'fluctibus destitutæ terribiles vagabantur.' Ita Cl. Clericus Judic. III. 9. Non adeo absurda videbuntur, si in bonam partem accipias, et ita interpretere, quasi quum Beluæ fluctibus satis profundi maris destitutæ vagabantur majori impetu repetentes altius salum, adeo ut mole et dorso conspicui exstarent jam terribiles Macedonibus. Addatur locus X. 1. 12. sed is sanus omnino non videtur. *Snak.*

§ 27 *Processit in mare*] Arrian. VI.

Digitized by Google

8. 28. 'Ipse Indi amnis ostia prætergressus in vasto pelago navigavit, exploraturus (ut ipse quidem dicebat) an aliqua regio vicina mari appareret; meo vero judicio præcipue, ut in Oceano, qui ultra Indos est, navigasse diceretur.' Idem innuit Curtius, in quo sic scribo: *processit in mare, tandem voti sui compos; præsidibusque maris et locorum Diis, &c.* distinctio enervaverat sensum; nam illa, *voti sui compos*, cum sequentibus jungebantur. Quod sæpe fit egregiorum sensuum insigni damno. Succurrit exemplum in Livio, quem auctorem quantum emendatiorem dare possem, saltem his notis aliud agendo correcta loca fidem facient. Apud eum igitur VI. 15. 15. scribe: 'Cur quod in sinu vestro est, excuti jubetis potius, quam ponitis; nisi aliqua fraus subest? Quo magis argui præstigias jubetis vestras, eo plus vereor, ne abstuleritis observantibus etiam occulti.' *Freinsh.*

Sacrificio facto] Tauros Neptuno cæsos in mare projecit cum aureis poculis et libamentis. Arrian. lib. VI. Diod. XVII. 104. *Cellar.*

CAP. X. § 1 *Incognita natura*] Impressi codices, *ignota natura*. Modius.

§ 2 *Puteos*] Justin. XII. 10. *Freinsh.*

Urbes plerasque] Et in his una Barce nomine, ut Trogus scribit. *Sabellicus.* Justinum XII. 10. 6. vide. Forsitan et Xylenepolis Plin. VI. 23. 10. Cui forte hinc aliqua lux commodari possit. 'Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum, nec spatia: primumque Xylenepolis ab Alexandro condita, unde cœperunt exordium, juxta quod flumen, aut ubi fuerit, non satis explanatur.' Credibile enim est fuisse juxta Indum; nam inde cœpit illorum navigatio. Arrianus Indic. IV. 1. 'Primo itaque die quum e portu solvissent, per fluvium Indum ad amplum quemdam alveum appulerunt,' &c. Necesse igitur est, ut ad Indum sita fuerit Xylenepolis, et quidem trecenta circiter stadia a mari, hoc est, in ipsa regione, ubi has urbes conditas narrat Curtius. Interim nota mansionum spatia notari ab Arriano, quem id accepisse credibile est ex Nearchi et Onesicriti commentariis, in quibus tamen ea comparere negat Plinius. Sed ad Curtium revertimur, quid est, quod ait *urbes plerasque condidit?* An *plerasque* urbium quas uspiam condidit? nugæ: at earum quæ umquam in ea regione fuerunt? quis ex his verbis hunc exsculpet sensum? Arrian. VI. 4. narrat nobis, in Pattalis arcem ædificasse, portusque et navalia, itidem ad lacum quemdam haud procul ostiis Indi, alia navalia, portusque: ibi etiam præsidium reliquisse: qui, ni fallor, ipse locus est, ubi Xylenepolis sita esse debuit; sicut ex horum collatione auctorum ipse deprehendes. De quo fortasse Agatharcides Excerpt. apud Photium cap. 51. sentit: In his (insulis Fortunatis) 'mercatorias accolarum naves stationem habere videas, plerasque inde profectas, ubi juxta Indum amnem navale instituit Alexander.' Crediderim ergo pro *urbes plerasque*, legendum *urbes portusque*. Freinsh. Quod in textum recepit Tellierius. *Snak.*

§ 3 *Nearcho atque Onesicrito*] Nearchus præfectus erat totius classis, Onesicritus gubernatorum, ut Arrian. Indic. I. 8. et Plutarch. cap. 115. docent. *Raderus.* De iisdem dictum inter scriptores Alexandrinæ historiæ. Plin. VI. 22. 2. Onesicritum 'classis' Alexandri 'præfectum' vocat; et II. 73. 5. 'ducem.' Scilicet ipse sibi in scriptis suis honorem eum tribuit; sed falsi ab aliis arguitur. Nearchum in Patalis sepultum tradit Philostratus III. 15. ubi et 'classem Alexandri convenisse tradit.' Quod haud multum aberrat a vero, et aliquomodo pro vero haberi potest. Certius tamen arbitror, quod modo de Xylenepoli disputavimus. Hoc ad tempus

Digitized by Google

pertinere credo, quod in Eumene cap. 8. narrat Plutarchus; ubi typographico vitio, pro, 'cum classe ad Oceanum parabat mittere,' legimus 'clam ad Oceanum.' *Freinsh.* Nimis hæc abrupte sequuntur ad superiora. Vereor itaque, ne exciderit conjunctio *at* ante *Nearcho*, deleta quippe ob similitudinem literarum ultimarum vocis proxime præcedentis. *Scheff.*

Vel Euphrate] Nam et is in Oceanum se exonerat. *Raderus.*

§ 5 *Arabitarum*] Alii, *Aburitarum*, quod non tantum Strabo, Diodor. Arrian. Plin. quamquam leviter dissentientes, falsum ostendunt, sed ipse Curtius mox: 'flumen Arabum incolæ appellant;' a quo denominatos istos Arabitas certissimum est ex Arriano Indic. IV. 8. ubi 'Arabium' vocatur. *Freinsh.*

Gedrosiorum] Ita lege, non *Cedrosiorum*; est ubique Γ apud Græcos. (vide tamen Diodor. XVII. 104.) Gedrosiam describit Marcianus Heracleotes Ponticus in suo Periplo I. 'Gedrosia,' inquit, 'a Septentrione Drangiana et Arachosia circumscribitur, ab Occasu usque ad mare Carmaniam habet, ab Oriente parte Indiæ, quoad Indum flumen pertinet, usque ad Arachosiæ jam dictæ terminos definitur. A Meridie Indico Oceano clauditur.' *Raderus.*

§ 6 *Ad flumen Arabum*] Straboni est Arbis; Ptolomæo Araps; Arabion Arriano; Plinio Arbites. Ptolomæus urbem in Gedrosiis Arbim, populum Aberitas maritimum facit. *Raderus.*

Noritas] Oritas Arrianus appellat, et reor apud Curtium rescribendum *Oritas*, vel *Horitas*, mutato *N* in *H*. quemadmodum Coloniensis Allobrogum editio habet. Sed melius sine adspiratione, quemadmodum est apud Arrianum, Strabonem, Periegetem. Siculus tamen nec Noritas, nec Horitas, nec Oritas, sed Neoritas vocitat, quem contracta syllaba videtur imitatus Curtius. Sed in Oritas tres principes veterum Græcorum conjurant, ut merito illa lectio sit aliis præferenda. Strabo lib. XV. quoque Oritas vocat, cujus locus huc facit: 'Postea,' inquit, 'sunt Oritæ, gens liberæ conditionis, quarum paraplus MDCCC. est,' id est, LVI. milliariorum Germanicorum cum quadrante: de *Oritis* plura Periegetes, qui et Aribas recte cum his conjungit, et ad illum Eustathius. *Raderus. Horitas*] Aliis Noritæ sunt, apud Diodor. XVII. 105. Νωρίται. Plutarcho cap. 116. *Oreitæ*, ut et Arriano VI. 4. 7. Straboni, et Philostrato III. 15. Stephano in Alexandria Νοφραι. *Noritas* et Sabellicus vocat. Verum Dionysius vs. 1096. 'Ωρίται quomodo scribendum ait Eustathius, ad discrimen τῶν 'Ωρειτῶν Euboici populi, ut dubium non sit *Noritas* nihil huc pertinere. Ejus tamen vitii fontem deprehendisse videor, simul cum vero et antiquo hujus gentis nomine. *Horitas* dictos arbitror: id antique scriptum, ΗΩΡΙΤΑΙ, ut Η saltem esset ἀτόνως, et adspiratio, non litera, cujus rei exempla apud Scaligerum in Eusebium. Alii ergo istud Η cujus usum non intelligebant, facile in proximæ figuræ literam Ν mutare potuerunt. *Freinsh.*

§ 7 *Tria simul agmina*] Testatur hoc Geographus: 'Copiis trifariam divisis, ipse cum exercitus parte per Gedrosiam profectus est, a mari quingentis stadiis ut plurimum iter faciens, ut simul et classi oram commodam pararet; sæpe etiam mari appropinquavit, tametsi id inopes difficilesque et asperas actas habebat.' *Raderus.* Sæpissime autem sic divisisse exercitum, vel in uno Curtio multa habemus documenta. Idque observat Marcellin. XXI. 15. 'Consilio sollerti prævidit: et agminibus distributis, &c. qui diffusi per varia opinionem numeri præberent immensi, formidineque cuncta complerent.

Digitized by Google

Id enim et Alexander Magnus, et deinde alii plures, negotio ita poscente, periti fecere ductores.' *Freinshemius.*

Populabantur Indos] Hoc *Indos* suspectum mihi est, quia sequitur, 'maritimos Ptolemæus urebat.' Nam si referas hoc ad Indos, non video, quomodo subsistat, quod paullo post subjicitur, 'Hinc pervenit ad maritimos Indos.' Credo igitur scripsisse Nostrum *populabantur eos*, atque retulisse ad Horitas; librarium vero, vel alium, explicationis caussa, quia non intelligebat rectius, adjecisse *Indos;* tandem hoc pro altero sumtum esse in textum. *Scheff.*

Leonnatus urebant] Omnino hic legendum *urgebant*, ut IX. 5. 16. qui locus est παράλληλος. vide ad lib. IV. 11. 21. non desunt gemina aliorum auctorum exempla, maxime Virgilii, quæ omnem mihi dubitationem eximunt. Verum cumulare talia nolo, nisi forte solus audiendus est Cicero ad Fam. IX. 1. 'Tot,' inquiens, 'tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam sperare debeat.' Idem de Off. II. 14. 'Qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur.' Ciceronis mentio me alius mendæ admonet, quam in Orat. pro Ligar. c. 7. feliciter sustulit Freigius: 'Scio igitur,' inquit, 'Tuberonem domi manere voluisse, sed ita quidam urgebant.' Male vulgo legitur 'agebant.' *Heumann. Parerg. Crit.* p. 105. Lambinus jam correxerat ita Ciceronem, sed cur non 'aiebat,' ut habent editt. optimæ? *Snak.*

Urbem condidit] Quam verisimile est fuisse Alexandriam Arianæ, cujus mentio apud Strabon. lib. XI. quæ fortasse est 'Alexandria condita a Leonnato jussu Alexandri in finibus gentis Arianæ, portu salubri.' Sic enim apud Plin. VI. 23. 10. legendum videatur: certe situs non abludit. Nec quidquam vetat eamdem credere, quam Stephanus quintodecimo loco recenset in 'Αλεξάνδρεια, 'in Arachosiis, juxta Indiam.' Arachosii enim modo distinguebantur ab Arianis, modo sub ipsorum appellatione comprehendebantur. Locuples ejus rei testis Plin. VI. 20. et 21. Firmatur hoc negotium eo, quod Arachosios in illam deductam Auctor addit, qui male apud Sabellicum 'Amerchosii' leguntur. Nam quod eos Arachosios a Pontico mari secutos Alexandrum Raderus putat, error est ex corrupto Curtii loco VII. 3. 4. natus, ubi pro *Pontico* mari nos *Indicum* substituisse, minus minusque pœnitet. Nam etiam sequentia, 'Hinc pervenit ad maritimos Indos,' id clare testantur: quippe Ichthyophagis (nam hos intelligit Curtius) Arachosii finitimi. *Freinsh.* Nimis in Septentrionem adsurgunt, qui Alexandriam Arianæ Strabonis aut Stephani in Arachotis intelligunt. Longissimum enim a mari Macedonum iter non fuit. Quid? Plinio teste VI. 23. ergo in maritima ora, non in Ariana aut Arachosiis. In errorem induxit vox 'Arianæ' in vulgatis libris Plinii, pro qua Harduinus ex codicibus reposuit 'Argenus,' nomen portus aut loci finitimi. E quibus cognoscere licet, esse Alexandriam Oritarum sive Horitarum, in loco magni vici, et portu suo celebris, Rambaciæ. Arrian. lib. VI. *Cellar.*

Deductique sunt in eam Arachosii] Dicam verum: nisi hæc scriptura vera est, lubenter fateor hic, mihi meras esse tenebras. Amplius tamen etiam dubitare cogit me monstrosa Sigebergensis codicis et Colinæi lectio, *In hac quoque regione urbem condidit Amarachosios:* videant, quibus sphynx domi est. *Modius.*

Arachosii] Alexandrum a Pontica regione in ultimam Indiam secuti: regredere ad lib. VII. De iisdem lib. IV. *Raderus.*

Digitized by Google

§ 8 *Ad maritimos Indos*] Omnia ex Diodoro XVII. 102. hausisse videtur. De tuguriis etiam Arrian. VI. 4. 16. et Indic. V. 15. 'Jam tuguria ex conchis congestis facta, tecta ex piscium spinis.' De hujus generis tectis e piscium ossibus erectis leges etiam apud Glaum Magnum. Idem Arrian. Indic. IV. 18. 'Erant captivi crassis corporibus, capite et unguibus ferinis: siquidem unguibus loco ferri uti dicebantur, plagasque iis discindentes, ligna etiam molliora iis secabant; ad duriora saxis acutis utebantur: ferrum apud eos non erat. Ferarum, aut grandium piscium pellibus sese vestiebant.' *Raderus.* Arriani verba sunt, Ἕτεροι δὲ οἱ ἄλλοτες τό τε ἄλλο σῶμα δασέες, καὶ τὰς κεφαλὰς, καὶ τοὺς ὄνυχας θηριώδεες· quæ sic interpretor: *Erant autem captivi tum reliquo corpore, tum etiam capite hirti; unguibus autem quasi ferinis.* Sic sane reddidit Curtius, unde acceperit: 'Prominent ungues numquam recisi: comæ hirsutæ et intonsæ sunt.' De iisdem hominibus multa etiam Strabo, Ælianus, et Agatharchides apud Photium cap. 12. &c. Plinius IX. 8. 4. 'Gedrosos qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis belluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadrigenum cubitorum longitudinis reperta.' *Freinsh.* Nemo *Indos* dixit, qui sunt eis Arabum fluvium. Gedrosos, aut Ichthyophagos vocasset verius. *Cellar.*

§ 10 *Tuguria conchis*] Tuguria ita exstruunt. Parietes primo educunt, dein culmen e costis balænarum, unde 18. cubitorum trabes fiunt, superimponunt. Tegularum denique loco squamis balænarum tecta coöperiunt. Arrian. et Diodor. *Loccen.*

Maris struunt] Quidam *instruunt.* Modius.

Majorum quoque belluarum] Balænarum scilicet; nam *belluæ* sunt hic κήτεα. *Loccen.*

§ 11 *Radices palmarum*] Strabo lib. XV. 'Palmarum tamen et fructus, et cerebrum saluti fuit.' At Plin. XIII. 4. ait, 'similes Alexandri palmis viridibus strangulatos fuisse.' Idemque ante Geographus docuerat, 'crudæ palmæ multos suffocabant.' Arrian. VI. 4. 18. imperatum ait indigenis, 'ut palmarum dactylos adferrent.' *Raderus.* De 'palmæ medulla' vide etiam Philostratum in Apollon. II. 11. de 'radicibus' di Asia di Barros II. 8. 3. ubi itidem refert, eum cibum multis Albaquercii militibus lethalem fuisse. Est et apud Ciceron. aliquid in Verrin. *Freinsh.*

Ea sola arbor] Hoc quidem et Maffæus affirmavit, sed Arrian. VI. 4. 12. alia narravit. *Raderus.* Imo non alia: illi enim de Ichthyophagorum regione loqui videntur, Arrianus de Gedrosia, quam aliquanto meliorem fuisse, etiam Strabo retulit. Vide mox ad num. 18. *Freinsh.*

§ 12 *Ne equis quidem*] Jam etiam alia peste vexatos. Nam, ut ait Plin. XII. 8. 3. In Ariana 'frutex pestilens raphani folio, lauri odore, (sic distinguo) equos invitante, pene equitatu orbavit Alexandrum primo introitu: quod et in Gedrosis accidit.' Bis vult accidisse, vereor ut ex vero: cur enim primo periculo edocti, non abstinuissent equos? Suspicor reperisse apud alios, in Ariana id accidisse; apud alios in Gedrosis. Sed illi de eadem re sentire potuerunt: cum Ariana interdum strictius intelligatur; interdum latissime, quod ex ipso paullo ante asseruimus. *Freinsh.*

§ 14 *Præriperent*] Mss. et variæ editiones, *præciperent*, et parum refert, quid statuas, promiscua utriusque significatione; nam ita in optimis auctoribus, alterum alterius occupavit locum: vide Nob. Heinsium ad Val. Flacc. IV. 341. iterum ad IV. 751. adde supra IX. 6. 26. *Snak.*

§ 17 *Parthorum*] Sed hi longius

Digitized by Google

aberant: propiores Arii, Drangæ, Arachosii. *Cellar.*

§ 18 *Fame dumtaxat*] Leg. *a fame dumtaxat.* Heinsius.

Solo fertilis regio] Etiam parva præteriri a nobis non debent, ubi magnæ emendationi locus est: itaque aio, recte hoc sic a nobis esse emendatum, cum antea legeretur, *Omnium rerum sola fertilis regio;* parva quidem variatione, sed tamen, quæ loco corrumpendo satis esset, aut potius nimis magna. *Mod.* Magna vero emendatio, *solo*, pro *sola.* Quin etiam *fertili* scribas. *Acidal.* *Sola fertilis*] An *soli?* Sebisius. Acidalius corrigit, *solo fertili;* quod quamquam edidit Raderus, vix præferendum puto Sebisiano. Ceterum Strabo, et Arrian. VI. 4. 12. non valde fertile solum Gedrosiæ tribuunt; mellus tamen quam vicinis Ichthyophagis. Vulgata lectio sensum haberet contrarium illi, 'non omnis fert omnia tellus;' quem quidem Curtii fuisse non puto. Simile mendum in Justino fuerat II. 4. 12. 'Solæ terminos alternis defendentes,' pro 'soli,' quod mutarunt qui credebant *soli* plurale masculinum esse, nec mulieribus convenire. *Freinsh.* Gedrosiæ late sumtæ pars hæc, quæ Carmaniam spectat, sola fertilis: Orientales partes et Ichthyophagorum terra nimia sterilitate laborant. *Cellar.*

§ 19 *Prospero eventu*] Confirmat hoc Arrian. VII. 1. 24. et Indic. IV. 12. Nam Diodor. XVII. 105. damnum accepisse scribit. *Freinsh.*

Ozinen] Arrian. l. VI. c. 5. 3. 'Ordonem' appellat: 'Alexandro jam Carmaniam ingresso, Craterus ad eum venit, reliquum exercitum et elephantos secum ducens, unaque Ordonem, quem, quod defectionem molitus esset, ceperat.' De Zariaspe satrapa nihil memini apud alios legere, nisi forte sit Baryaxes Medus apud Arrian. VI. 5. 13. affectati regni postulatus, et interfectus. *Raderus.* Videantur dissentire auctores; sed non dissentiunt. Tantum enim abest, ut neget Curtius ab ipso Cratero adductos eos Persas, ut ipse quoque expresse id dicat X. 1. 9. sed intellige primo nuntium misisse; mox ipsum venisse. *Freinsh.*

§ 20 *Sibyrtio*] 'Sisyrtius' est Arriano VI. 5. 1. *Raderus.* Mendum est absque dubio, ut priscum sigma forma parum differens a beta hujus locum occupaverit. Non enim Diodorus tantum, Justin. XIII. 4. 22. et ibi notati Σιβύρτιον vocant; sed ipse Arrian. V. 1. 25. *Freinsh.*

Menon] Hunc supr. VII. 3. 5. innuit primum Arachosiorum, vicinorumque Gedrosorum, ut intelligi datur, prætorem fuisse, ut ab Alexandro subacti sunt. at Arrian. VI. 5. 1. longe aliter, 'Postquam vero in Gadrosorum regiam pervenit, militibus ibi quietem dedit: Apollophanem, quod nihil eorum, quæ imperata ei fuerant, perfecisset, satrapatu deponit, Thoante in ejus locum suffecto; qui quum ex morbo decessisset, Sibyrtius ei successor est datus.' Verum ipse Arrian. Indic. IV. 12. 'Apollophanem in prælio Leonnati cum Oritis cæsum' ait: quæ loca non video quomodo concilientur, nisi dicas postquam satrapia privatus fuit, statim ad Leonnatum se contulisse, sponte an jussu regis. *Freinsh.*

In Carmaniam] Strabo lib. XV. 'Die sexagesimo in Gedrosiorum regiam a finibus veniens, cum exercitum paullulum quiete refecisset, in Carmaniam profectus est.' Nec dissentit Arrianus. *Freinsh.* Quæ a Gedrosia in Persidem vergit. *Cellar.*

§ 21 *Aspastes*] Arrian. VI. 5. 1. de Sibyrtio: 'Carmaniæ satrapa erat, nuper admodum id muneris ab Alexandro consequutus: tum vero Arachotorum et Gadrosorum imperium illi collatum est. Carmaniam vero Tlepolemus Pythophanis filius tenuit.' Idem Indic. VI. 17. 'Collecti

Digitized by Google

undequaque barbari tuta munitaque Carmaniæ loca occupaverant. Nam satrapa eorum jussu Alexandri interfectus fuerat. Tlepolemus autem, qui recens satrapatum inierat, nondum firmum imperium nactus erat.' Quæ non modo cum Curtio, sed nec inter se consentiunt. *Freinsh.*

Rex est] *Rex esset* alii: et exiguum hoc, sed tamen magis arridet, quod excusum est. *Modius.*

§ 22 *Cum Indiæ præfecti*] Colonienses membranæ, *cum inde profectis*; Sigebergenses, *cum inde profecit*; quæ lectiones, unde originem trahant, vix opinor. *Modius.* Totum hoc cum iis, quæ proxima sunt utrimque, ita distingue: *Aspastis erat Satrapes gentis, suspectus res novas voluisse, dum in India rex est: quem occurrentem dissimulata ira comiter allocutus, dum exploraret, quæ delata erant, in eodem honore habuit. Cum Indiæ præfecti, sicut imperatum erat, equorum jumentorumque jugalium, &c.* sic enim addita copula scribes simul. *Acidal.*

Impedimenta] An *ad imp.* restituit equos et jumenta ad impedimenta vehenda, quibus 'deessent quæ sarcinas veherent,' ut dixerat paullo supra num. 12. *Freinsh.* Ad sarcinas vehendas: sicut paullo ante: 'quum deessent, quæ sarcinas veherent.' Vulgo negligunt *ad*, quod recipi cupit Freinshemius, recepitque Tellierius. *Cellar.*

§ 24 *Æmulatus patris Liberi*] Arrian. VI. 5. 7. negat. Diodor. XVII. 106. affirmat: testatur et Plutarch. cap. 116. Bacchi vero seu Liberi patris ex India redeuntis triumphum Siculus IV. 3. paucis hisce verbis spectandum proponit: 'Liberum memorant impiis ubique graviter multatis et benigne habitis ceteris hominibus, ex India in elephanto sublimem Thebas rediisse, et quia totum expeditionis intervallum trienne fuerat, Græcos propterea trieteridas celebrasse asserunt. Primum quoque omnium spoliis tantæ expeditionis onustum, cum triumpho in patriam esse invectum.' *Raderus.* Vide Indicem in 'Glossis.' De Alexandro adde Liv. IX. 18. 3. Plutarch. Orat. I. 15. ubi in magna gloria ponit hoc factum. Secus visum Athenæo XII. 9. ubi ex Ephippo narrat, alios quoque deos æmulatum esse Alexandrum; Ammónem, Dianam, Mercurium, Herculem. Ibidem etiam de Commodo narratur, Herculem dici voluisse, quod et ex scriptoribus vitæ constat. Bacchus autem præcipue ad imitandum placuit multis: Mithridatem, Antigonum, C. Marium, M. Antonium in scenam producit Schottus Observ. Hist. III. 3. Ubi ex Val. Max. III. 6. 6. et Plinio XXXIII. 11. 14. notat Marium post victoriam Cimbricam cantharis potasse, quod in inclito suo per Asiam triumpho Liber eo poculi genere fuisset usus. Ut mirum sit in hoc triumpho Plutarchum, cum varia pocula nominaret, cantharos omisisse. Memorabile autem imprimis est, quod in Avito, sive potius Vario, Xiphilinus narrat: 'Genius aliquis, quum se Alexandrum Macedonem esse diceret, haberetque formam ejus, atque omnem ipsius ferret apparatum, profectus ex iis locis, quæ ad Istrum sunt (ubi quemadmodum extiterit, mihi quidem non constat) Asiam atque Thraciam pertransiit bacchantium more, cum quadringentis hominibus: qui thyrsis ornati erant nervisque, faciebantque injuriam nemini. Huic, ut uno ore asseruerunt omnes, qui tum fuerunt in Thracia, diversoria cetereæque res necessariæ publice suppeditatæ sunt, nec ei contradicere quisquam est ausus aut resistere, non prætor, non miles, non procurator, non præsides provinciarum, sed interdiu tanquam in pompa, ut edixerat, Byzantium venit: post inde profectus, appulit ad regionem Chalcedonensium, ubi de nocte cruento quodam sacerdote, ebrutoque equo lig-

Digitized by Google

neo evanuit.' Insignis locus, sed et insigni mendo conspurcatus, ibi, *thyrsis ornati erant nerviseque, θύρσους τε καὶ νεβρίδας ἐνεσκευασμένους.* Sed *νεβρὶς nervus* esse non videtur; aut docentur exemplis; et si maxime foret, quid ad rem? Scribe *θύρσους τε καὶ νεβρίδας, thyrsis et hinnulorum pellibus.* Hic enim bacchantium habitus fuit ipsisque Bacchi. Dionysius vs. 996. 'At vero ille hinnuli pellem (*νεβρίδα*) in humeros extendit, Ebrius autem vino implexos quassavit thyrsos.' Ubi Eustathius: *νεβρίδα, ὃ ἐστι δέρμα νεβροῦ, ἤτοι νεογνοῦ ἐλάφου, τολύποικτον, κ. τ. λ.* Papinius Silv. I. 2. 226. Baccho cum thyrsis attribuit 'flavam maculoso nebrida tergo.' Et Achillem Baccho comparans Achill. I. 6. 8. 'Ut vero a tereti demisit nebrida collo.' Sic et Polyæn. I. 1. 1. Bacchi comitibus *νεβρίδας* tribuit: et alii passim. Admirandi luxus pompam Bacchicam, institutam Alexandria imperante Ptolemæo, prolixe describit Athenæus v. 7. De Bacchi triumpho vide et Pontan. Progymnasm. IV. 29. Porro locum Curtii, sublatis duabus nothis vocibus, 'statuit imitari,' sic constituo: *æmulatus non gloriam solum, &c. sed etiam famam (sive, &c. luxus) animo s. h. f. elato, vicos p. q. i. e. floribus coronisque sterni jubet;* ut verbum *jubet* referatur ad participium *æmulatus.* Freinsh.

Sed etiam famam] Non video, quæ sit differentia inter *gloriam* et *famam*, aut quid ista velint, *æmulatus est non solum gloriam, sed etiam famam statuit imitari?* quid, inquam, sit *imitari famam?* suspicor scripsisse Nostrum, *sed etiam insaniam.* Notum est, hos Bacchi ludos 'furores' dici. Nec difficile fuit, hoc vocabulum sic corrumpi, sublatis primis literis *in* per præcedens *m* in fine dictionis præcedentis: cum ex *saniam*, quod supererat, fabricare semidoctus scriba nil potuerit melius, quam *famam.* Scheff.

Bacchantium lusus] Polyænus I. 1. 1. haud absurde omnia Bacchi orgia Strategemata fuisse adserit. *Freinsh.*

§ 25 *Floribus coronisque*] Dictum ad V. 1. 20. Ælian. Var. Hist. IX. 8. 9. *Freinsh.*

Alia candidis velis] Quid si legas, *ornari candidis velis, aliaque veste pretiosa?* Vestis nomen late patens, etiam vela ista candida, quæ intellige ex Indica bysso confecta, comprehendit. *Freinsh.* Nihil hic censeo mutandum, cum ne tabernacula quidem ad quorum modum vehicula ista instructa fuerint ejus generis, sed alia ex veste alba, alia ex colorata. *Scheffer.*

§ 26 *Coronisque*] Præsertim ex hedera. Plin. XVI. 34. 1. ex Theophrasto scribit 'Alexandrum ob raritatem (hederæ in illis partibus) ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris.' *Freinsh.*

Tibicinum cantus] Ne dubita pro *tubicinum* sic scribere. Hoc enim ad luxum comperatam erat instrumentum; illud a bellicis rebus haud alienum. Polycletus apud Athenæum XII. 9. scribit 'tibicinas semper et tibicines secutos eum in exercitu,' *αὐλητρίδας καὶ αὐλητάς.* Etiam in hoc triumpho apud Arrian. VI. 5. 7. legitur *καταυλούμενος.* Plutarch. cap. 116. 'Circumsonabant omnia loca fistulis, tibiis,' &c. *Freinsh.*

Item in vehiculis] Nescio, an non scripserit, *tum in vehiculis.* Nihil certe alias, quod præcedenti *Primi* commode respondeat. *Scheff.*

Ipsum convivaque currus] Huc facit illud quod refert Athenæus ex Carystio Pergameno: *Εἰς τοσοῦτον δ' Ἀλέξανδρος ἐμέθυεν, ὡς φησι Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν Ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, ὡς καὶ ἐπὶ ἁρμάτος κωμάζειν. ἐποίουν δὲ τοῦτο, φησὶ, καὶ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, Adeo vero nonnunquam temulentus Alexander fuit, quod Pergamenus Carystius ait in historicis commentariis, ut ad currum junctis asinis conscenderet, quod et Persarum reges*

Digitized by Google

fecisse dicit. Quæ postrema verba in versione omissa sunt. Itaque et in hoc luxum Asiaticum imitatus est. Livius lib. IX. 'Longe alius Italus quam Indiæ, per quam temulento agmine comessabundus incessit, visus illi habitus esset.' *Locum.*

§ 27 *Parata præda*] Emendatio hujus loci a carissimo mihi Palmerio est. Vulgo erat, *Parta præda, si quis victis saltem adversus commessantes animus fuisset:* tricæ. *Modius.* De verbis recte acutissimus Palmerius: de distinctione insuper habuit, quam curasse Modius debebat. Ita enim certe sententia requirit, cujus non parum interest; aut si hujus parum, multum certe verborum ipsorum, quæ fluunt, nec consistunt, nisi commode legitimis interpunctis teneantur. *Hoc modo per dies VII. bacchabundum agmen incessit, parata præda; si quid victis saltem adversus comessantes animi fuisset. Mille hercule viri, modo et sobrii VII. dierum crapula graves in suo triumpho capere potuerunt.* Acidalius. *Parta præda*] An *parata?* quomodo et editi quidam: sic sup. IV. 14. 11. Tacit. H. I. 6. 4. 'parata audenti materia:' quia tamen illud eumdem prope sensum reddit, loco movere non sustinuimus: præsertim cum et auctoritate nitatur maximi poëtæ Virgil. Eclog. III. 68. 'Parta meæ Veneri sunt munera:' maximique Historici Sallust. Jugurth. X. 4. utroque verbo sine discrimine utitur: 'Neque auro parare queas, officio et fide pariuntur.' *Freinsh.*

Septem dierum] Totidem et alii, ut Diodor. XVII. 106. *Freinsh.*

§ 28 *Quæ rebus famam*] Sallustius Catil. VIII. 1. 'Sed profecto fortuna in omni re dominatur, ea res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque.' *Pomp.*

§ 30 *Nec luxuriæ crudelitas*] Multis hoc relationibus auctorum ostendi possit: et Graterus ad Sueton. Caligul. cap. 11. jam id demonstrasse ait, pluribus exemplis, ad Ann. VI. Taciti cap. 5. extr. Quæ annotationes cum aliis doctissimi et diligentissimi viri ineditis vel perierunt militari licentia; vel sub alienis dominis exspectant, quid porro fati sibi maneat. Ultima hujus libri voce pro *obstat*, credo fuisse *obstabat.* Tacit. XV. 35. T. 'Ejus munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a scelestibus cessabatur. Iisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur,' &c. *Freinsh.*

LIBER X.

LIB. X.] Ventum aliquando est ad extremum librum, ad quem persæpera multa et præcipita enisis in ipso sunt etiam non plana et invia quædam, quæ cum bono Mercurio facile pervademus. Nec diu hic luctabimur, quando pauca sunt, quæ nos quidem viderimus, nec multo sane plura crediderim inesse, quibus ab ingenio possit auxilium afferri. Nam lacunas explere, et deperdita membra restaurare, Οὐκ Ἀσκληπιάδαις τοῦτό γ' ἔδοκε θεός. Fecimus tamen semel hic nos, imo nec fecimus: quia non erat locus mutilus, quem integravimus, sed falso pro mutilo insignitus. Demsimus igitur inustam saltem notam, et ab imposito stigmate vindicavimus: quod recte atque ordine factum apparebit, cum erimus eo pro-

Digitized by Google

gressi: καὶ τόδε μὲν δὴ προοίμιον, ὡς ἔφη τις τοῦ νόμου. *Acidalius.*

Cap. I. § 1 *Cleander, Sitalces, Heracon*] Duces copiarum, quæ cum Parmenione in Media relictæ erant. Arrian. lib. VI. *Cellar.*

Quinque millia] Supple, *cum his erant*, aut simile, hæ reliquiæ erant exercitus, qui sub Parmenione fuerat: major ejus pars jam dudum ad regem, quum in Arachosiis esset, advenerat. lib. VII. c. 3. 4. *Cellar.*

§ 5 *Servo suo pellicem*] Quum majorem indignioremque injuriam ne excogitare quidem posset. Graphice describit Justin. XVI. 5. 2. in Clearchi Heracliensis tyrannide: 'Ne quid mali adflictis honestissimis domibus deesset, uxores filiasque eorum nubere servis suis, proposita recusantibus morte, compellit,' &c. additque, multas huic dedecori mortem antetulisse. *Freinsh.*

§ 6 *Tacitum*] Mallem *tacite*, ut respondeat superiori *palam*. Scheffer. *Tacite*] Latenter regis gratiam iis conservare poterat. *Cellar.*

Prodesse reis] Quemadmodum Catum liberavit severiori sententia Tiberius apud Tacit. IV. 31. 7. similis operæ sibi præstitæ memor. *Freinsh.*

Læti recidisse] Vide Tacit. VI. 3. 5. VI. 4. 1. VI. 10. 3. 'Quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse.' *Freinsh.* Hoc *νόημα* non placet Cl. Clerico, Judic. VIII. 13. et illud ex logicis rationibus, ex quibus 'universales' voces in 'singulares mutari debeant aut omitti,' corrigit; ut debuerit scripsisse Noster, si hoc doctore usus fuisset, *læti recidisse iram in iræ ministros, et potentiam scelere quæsitam illis non fuisse diuturnam.* Si vox *ulla* in Freinshemii, et quæ eam secutæ sunt editiones, non esset expressa literis, uti vocant, majusculis, forsitan non adeo offendisset hunc Criticum nobilem, nunc ad pueros ablegatur. Esto: nimis crebris efferatur sententiis Curtius: hoc loco τὸ *ulla* non nam absonum fuisset, si haberet aliud antecedens verbum, ad quod referretur, quam ad *læti*; at sæpe Latinis supplenda sunt sequentia intellecto aptiori, quod omittitur, aut minus commodo involvitur ut hoc loco 'agnoscentes,' 'videntes,' et simile: de qua ἔλλειψει, sed Grammatica, vid. ad Sanct. Minerv. Perizon. IV. 8. *Potentia* autem hoc loco, est gratia, et auctoritas, qua apud regem valebant. Ut sic etiam 'potens' Latine eleganter sumitur pro gratioso et felici. Terent. Eunuch. II. 3. 61. 'Quis is tam potens cum tanto munere?' Catull. Epigr. 1. 'sis in amore potens.' Vide Heinsium ad Ovid. Met. IV. 325. et plura docebit Cl. Burmann. ad Val. Flacc. Argon. III. 48. *Snak.*

§ 7 *Maximum crimen*] Mercerus ad illa Tacit. II. 50. 2. 'Cæsarique connexa adulterio teneretur,' ostendit familiare principibus esse, ut omnia perperam facta ad crimen majestatis trahant. Quamquam hoc loco verissima fuerit vox Alexandri: consentiunt enim scriptores, famam mortis ejus ex periculo apud Mallos Oxydracas spiritus fecisse præfectis ejus, ut potestate sua, tamquam rationem non reddituri, pro libitu abuterentur. *Freinsh.*

§ 8 *Hos quidem vinxit*] Et, quod apud Curtium deest, Arriano VI. 5. 13. teste, occidit. Fallitur enim editor Curtii Allobrox, qui ad oram annotavit: 'Dat veniam scelerum auctoribus humana censura; sed vexat et opprimit scelerum ministros.' Non dedit venlam Cleandro, Sitalci, Agathoni, Eraconi Alexander, sed omnes interfecit. *Rader.* Firmant id reliqui scriptores, licet occisos non nominent. Justin. XII. 10. 8. 'Multæ devictæ gentes præfectos suos accusaverunt; quos sine respectu amicitiæ, Alexander in conspectu legatorum necari jussit.' Diodor. XVII. 106. 'Cum multos satraparum et du-

Digitized by Google

cum per vim et injuriam potestate abusos cognovisset, meritas illis pœnas irrogavit.' Plutarch. cap. 118. 'Sumpsit de ducibus qui deliquerant supplicium.' *Freinsh.*

§ 10 *Onesicritus*] Hunc navis regiæ gubernatorem inter Philosophos Cynicos refert Diogenes Laërtius, et quiddam cum Xenophonte ait habere simile. Ille enim cum Cyro, hic cum Alexandro militavit. Ille Cyri Παιδείαν, hic Alexandri prosequitur laudes. Hujus hodie tantum fragmenta exstant quædam, quæ a Plinio, Strabone, Plutarcho, Athenæo, et aliis citantur. *Popma. Nearchus et Ones.*] Plin. VI. 23. 16. 'Festos dies ibi (apud Susa) agentem Alexandrum invenerunt septimo mense, postquam digressus ab iis fuerat Patalis, tertio navigationis.' Qui Diodor. XVII. 106. cetera concors, urbem maritimam nomine 'Salmuntem' vocat. Reliqui, et præsertim Arrian. in Indicis, quem prolixe hæc omnia exponentem per te leges, ut solet fieri, varie dissentiunt. Qui tamen conciliari nonnihil possunt ex eo, quod bis ad Alexandrum pervenit Nearchus: semel in Gedrosis, iterum Susis. *Freinsh.*

§ 11 *Insulam*] De hac Plin. VI. 21. 3. 'Extra ostium Indi Chryse et Argyre fertiles metallis, ut credo: nam quod aliqui tradidere aureum argenteumque ils solum esse, haud facile crediderim.' Periegetes vs. 589. plura. Mela III. 7. 'Ad Tamum insula est Chryse, ad Gangem Argyre, altera aurei soli (ita veteres tradidere) altera argentei.' *Raderus.* De variis locis, ubi aurum reperiatur, agit Georg. Agricola de Metallis lib. II. a cujus principio locum hunc Curtii citans accepit de ostio Euphratis: in quo eum falli, satis apparet ex notatis. *Freinsh.*

Ostio amnis subjectam] Quid est, *subjectam ostio?* an quæ jacet sub ostio? at quid est, insula jacens sub ostio fluminis? et num potest aliqua jacere? vide num legatur rectius *ostio amnis objecta*, id est, posita ante ostium. Magis sane rei veritati hoc convenit, quia fuit 'extra ostium,' ut Plinius testatur. *Scheff.* Amnis Indi, ex quo apud Patalam urbem ab rege discesserant, Plin. VI. 23. nomen insulæ Chryse dicitur, eidem Plinio VI. 21. dicitur, et Melæ III. 7. quamquam nihil de ea hodie notum est. *Cellarius.* Nescio quid torqueat Schefferum in voce *subjecta*, nisi cogitaverit de *victa*, nam subjicere est offerre, subjecta est se offerens. Cicero pro Archia cap. 10. 'Sulla, cum ei libellum malus poëta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset:' et sæpe hæc composita promiscue adhibentur; quorum exempla obvia. *Snak.*

Inopem equorum] Testatur hæc Maffeius in IV. Hist. Indic. 'In stabulo regio (Goæ primum ab Lusitanis occupatæ) reperti militares equi permulti, quos e Perside advectos (nam India ejusmodi armentis caret) Malabarici, et Canarini, et Narsingæ reges immenso parant pretio.' *Raderus.* Quod negat Indiam equos habere, non solum aliis auctoribus contradicit, sed et Nostro VIII. 14. 2. IX. 2. 3. et passim. *Freinsh.*

Singulos eos comperierunt] Sic voce auctiora legenda hæc existimo, cum vulgo sit, *singulos equos, ab iis, qui, &c.* primum enim comperta nuntiabant Nearchus et Onesicritus, post credita, et hinc est, quod etiam mox subjicit noster Rufus, 'Cetera incolis crediderant: inter quæ,' &c. *Modius.* Unde *comperarunt* hic insertum? ex ingenio, an membranis? vellem, ut alia Modius, hoc quoque professus esset. Atqui unde unde, si ab Auctore etiam fuit, equidem in principio ille statim, non in medio collocasset. Proinde aut eo revoco, aut dele rursum, quod optimum fortasse factum. Plenus etiam ita sensus. Nam omnia hæc intelligere ul-

Digitized by Google

tro debemus ipsos in re præsenti comperisse, cetera, quæ deinceps ab aliis audisse. *Acidalius.* Hunc locum glossemate liberandum decet Cl. P. Burmann. ad Vell. Paterc. II. 10. delens postremam *singulis*, et locum constituens, *singulos equos ab iis, &c. talentis emi*: optime. *Snak.*

§ 12 *Plenum beluarum mare*] De his Strabo lib. XV. Diodor. XVII. 106. Plin. VI. 28. 13. paucis: 'Circa has (insulas) hydri marini vicenum cubitorum adnatantes, terruere classem.' Solinus cap. 55. 'Indica maria balænas habent ultra spacia quatuor jugerum,' &c. Consulendus hic Arrian. Indic. cap. 5. De belluis hisce et harum iconibus Rondeletius; et alii. Plurima Gesnerus lib. IV. lit. B et C in Balænis et Cetis. *Rader.* Etiam apud Senec. Suasor. 1. exaggeratur 'fœda beluarum magnitudo.' *Freinsh.*

Truci cantu deterritus] Sebisius malit *tubæ cantu*; et quodammodo juvant Arrian. Indic. V. 18. 'Quantum capita ferre poterant, acclamasse; tubisque clanxisse:' et Strabo lib. XV. 'tubis beluas exterruit.' Verum tamen nihil incommodi habet vulgata lectio; sed eo melior est, quod non tubam tantum, sed alium quoque clamorem non excludit; quo præter tubem usos Macedonas, ex scriptoribus constat. Quamquam ne clamori quidem cesserint, sed fragori navium obviam venientium. Plin. IX. 3. 2. 'Sed in mari beluæ circa solstitia maxime visuntur. Tunc illi ruunt turbines, tunc imbres, tunc dejectæ montium jugis procellæ ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt (hoc est quod *æstu secundo eas ferri* dixit Curtius) et alias tanta thynnorum multitudine, ut Magni Alexandri classis haud alio modo, quam hostium acie obvia contrariem agmen adversa fronte direxerit: aliter sparsis non erat evadere: non voce, non sonitu, non ictu, sed fragore terrentur, nec nisi ruina turbantur.' Thynnis tribuit Plinius, si tamen vitio caret locus; quod alii rectius physeteribus. *Freinsh.*

Deterritas sequi classem] Hoc sine Græcis vix intelligas. Quorum Strabo, 'Tubis beluas exterruit. Illæ undas subeuntes, navale certamen a puppi minabantur: verum subito cessavere.' Arrian. Ind. V. 18. 'Cete exterrita in profundum sese abdidisse: neque multo post ad puppes emersisse.' *Freinsh.* Forte delend. *sequi classem*, vel *insectatas classem*. Heinsius.

§ 13 *Rubrum mare, &c.*] Mare rubrum, quod Græci *Erythræum* vocant, ab Erythræo rege appellari, seu Erythro Persei et Andromedæ filio, qui primus rates invexit in hoc mari. Plinius et Curtius lib. VIII. Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. Alii a solis repercussione talem reddi colorem existimant, alii ab arena terraque, quam rubram esse affirmant nonnulli, alii a tali aquæ ipsius natura. At ego de colore undarum rubri maris Curtium recte scripsisse arbitror. Brodæus Miscel. III. 40. affirmat. Mare hoc belluis marinis infestum, in quo maximas belluas nasci testatur et Cicero, et Dionysius in sua Periegesi, et Mela de Situ Orbis, nascuntur enim, ut Plinius refert, quaternum jugerum balænæ, quaternorum cubitorum locustæ, et pisces 200. cubitorum. *Popma.*

§ 14 *A continenti insulam, &c.*] Hæc insula 'Ogyris' dicta est, quæ distat a continenti 125. m. p. circuit 112. m. p. auctor est Plinius VI. 28. Nearchus et Orthagoras apud Strabon. lib. XVI. tradunt Tyrinam insulam in alto mari versus Austrum jacere duobus millibus stadiorum a Carmania distantem, in qua Erythræ sepulcrum ostenditur, atque hunc in iis locis reg-

Digitized by Google

nasse, et de se mari nomen reliquisse. De navigatione autem Nearchi et Onesicriti Plinius VI. 23. 24. Arrian. in Indicis. *Pompa.*

Palmetis frequentibus] *Palmis* editiones, et quidam scripti libri. *Modius.*

Erythræ monumentum] De loci istius nomine non parum discrepat inter auctores. 'Oaractam' vocat Arrian. Indic. VI. 18. 'Ogyris' dicitur Plinio VI. 28. Melæ III. 8. Stephano, et Dionysio τῷ Περιηγητῇ vs. 607. Eratostheni apud Strabon. lib. XVI. 'Tyrina;' Nearcho apud eumdem 'Doracta:' denique Ptolemæo (Οὐορόχθα) *Vorochtha* vel *Borochtha:* unde fortasse mendosum illud 'Doracta.' Nec de certo compertoque loci positu quidquam habent, quod plane liqueat. Nam Ogyrin sive Tyrinam alii paullo longius intra sinum Persicum collocant: alii eam inde duobus stadiorum millibus in altum mare, Oceanum scilicet, Austrum versus submovent, Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης, uti canit Dionysius, *extra Carmaniæ promontorium:* quo, tamquam obice altero, sinus Persicus clauditur. Fullerus Miscell. Sacror. IV. 20. *Freinsh.*

§ 15 *Adjiciebant*] Incolæ [immo ipsi, Nearchus et Onesicritus] adjiciebant, seu referebant inter alia: de hac Insula, in quam lixæ et mercatores trajecerunt, exacte Arrianus Indic. V. 20. et 'Nosalam' appellatam, Solique sacram fuisse docet, sed fabulosa esse, quæ de illa narrentur. *Raderus.* Quod eo loco de Nereide quadam addit Arrianus, fidem facit, eamdem insulam hic intelligi, quæ Philostrato III. 16. Σόληρα vocatur: itidemque centum a continente stadiis abesse dicitur. *Freinsh.*

Nec deinde visa] Fingebant enim unam Nereidum in hac insula habitare, eamque cum omnibus, qui eo appellerent, congredi, post coitum in pisces transformatos in mare projicere. Arrian. Rer. Ind. p. 190. insula autem illa dicta Nosala. *Loccen.*

§ 16 *Terram legere*] Juxta litus navigare. Virg. Æn. III. 292. 'Litoraque Epiri legimus.' 'legimus,' id est, 'præterimus,' ut Servius ad vs. 127. ejusdem libri interpretatur. *Cellar.*

Ad Euphratis] Secutus sum, quo vocabant membranæ: vulgati libri habebant *ad Euphratem.* Modius. In membranis fuit *Euphratis:* addendum fuit igitur etiam *os*, quæ vocula videatur in illius extrema syllaba latere. *Acidalius.* Recte Acidalius *Euphratis os.* Heins.

§ 17 *Animo infinita complectens*] De his Alexandri molitionibus paullo fusius Arrian. lib. VII. initio. Plutarch. cap. 117. paucissimis: 'Instituit Arabiam et Africam ambire, atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere.' *Raderus.* Apud Diodor. XVIII. 4. hæc aliaque multa ardua atque magnifica in commentariis ejus reperta enarrantur. Belle Lucan. X. 36. 'Oceano classes inferre parabat Exteriore mari: non illi flamma, nec undæ, Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon. Isset in occasus, mundi devexa secutus, Ambissetque polos, Nilumque a fonte bibisset: Occurrit suprema dies; nataraque solum Hunc potuit finem vesano ponere regi.' Ita Cæsar apud Plutarch. cap. 82. 'instituebat Parthos bello petere. His subjugatis per Hyrcaniam secundum mare Caspium et Caucasum ambire Pontum, atque ita Scythiam invadere, incursatisque quæ Germaniæ circumjecta sunt, ac Germania ipsa, per Galliam regredi in Italiam, atque hunc committere imperii Romani Oceano undique circumscripti orbem.' Similis Pyrrhi vesania apud Plutarch. cap. 29. *Freinsh.*

Maritima regione] Arabia. Quam 'nec Persarum, nec Macedonum postea reges, quamvis potentissimi, subigere valuerunt.' Diodor. II. 1. Vide præcipue Arrian. qui unus plura intelligendo huic libro conferet, quam

Digitized by Google

omnes alii. Eustathius ad Dionys. vs. 995. notat Alexandrum ibi sedem imperii constituere decrevisse. Verum eam non perdomuit, quidquid dicant de thurifera regione, qui apophthegma ejus adnotarunt, Leonidæ magnum thuris modum mittentis, ut ea regione subacta. Plutarch. Apophth. cap. 86. *Freinsh.*

Carthagini infensus] Supra IV. 4. 8. Nec ignorabant aut negligebant astutissimi mortalium; sed 'cum animadvertissent Alexandri ita magnas opes, ut Africæ quoque immineret, unum ex civibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, jusserunt simulato exilio ire ad regem, omnique studio in amicitiam ejus pervenire: qua is potitus, consilia ejus nota civibus suis faciebat.' Frontin. I. 2. 8. Justin. XXI. 6. 1. Confer Augustin. tom. II. pag. 772. C. 778. D. et Cedrenum pag. 385. *Freinsh.*

Cursum Gadis dirigere] Quin et eo venisse, etiam in Britanniam et Orcadas, scripsit Cedrenus, reprehensus eo nomine a Camdeno in Britannia cap. de Britannorum moribus. *Freinsh.* *Gadis*] Ita libri antiquæ formæ, id est, *Gades* vel *Gadeis*. De situ et origine urbis Noster IV. 4. 20. *Cellar.*

Columnas Herculis] Mira de his columnis, sed incerta: nam alii pro columnis promontoria ponunt, alii montes, alii statuas Herculis, alii turres, alii columnas æreas octo cubitorum: alii freti claustra, alii Gades, alii etiam quippiam ltra Gades situm. Nonnulli pro columnis habent Calpen, et Abilam, qui est mons ex adverso Calpæ in Africa, quem Eratosthenes ait situm esse in Metagoniis Numidica gente. Strabo lib. III. de Gadibus et columnis copiosissime disputat, quem lector ipse, si placuerit, videbit: locus enim est prolixior, quam ut huc transferatur. Interim Melam II. 6. Solin. cap. 26. Philostrat. XI. 97. Nostrum Marianam de rebus Hisp. Periegetem, et ad illum Eustathium, Pindarum in Pythiis, Isthmiis et Nemeis inspice. Nam quæ a Strabone et Eustathio ex Pindaro laudantur, hodie non apparent. *Raderus.* Non temere autem de 'columnis Herculis' mentionem injicit, sed designans, quod jam aliquoties dixit, Alexandrum 'cupivisse expeditione ultra terminos Bacchi et Herculis progredi:' ut de hoc ipso ejus consilio judicat Plutarchus de Fort. Rom. cap. 26. *Freinsh.*

§ 18 *Italiæque oram*] Plutarch. ibidem: 'Ego vero etiam Alexandri Magni mortem in parte felicitatis Romanæ pono, nisi magnis successibus et rebus clarissime gestis, insuperabili confidentia et elatione animi, qui stellæ instar ab ortu Solis in occasum transiliebat, ac jam in Italiam fulgorem armorum jaciebat,' &c. Liv. autem IX. 17. 10. sentit, si in Italiam transmisisset Alexander, Romanos non fuisse superaturum. *Freinsh.*

§ 19 *Devectaque ad urbem Syriæ*] Ad hæc notat V. C. Clericus Judicii de Curtio cap. VIII. 'Non dicam, mandari potius hoc debuisse Syriæ Prætori, in cujus præfectura situs erat mons Libanus.' Verum id quidem, et fecisset ita Alexander haud dubie, si nullas habuisset causas aliter agendi, quas varias habuisse potuit. Etenim potuit Syriæ Prætor aliis tunc rebus jussu Alexandri fuisse occupatus; potuit etiam fuga sibi consuluisse, ut multi tunc fecerunt Prætores, qui, dum Alexander in Indiam aberat, provinciis libidinose, avare, crudeliter præfuerant, et ideo redeunte illo, maxime quum quidam ex istis Prætoribus propterea jam essent puniti, sibi metuentes in fugam se dederant, testantibus Diodoro, Plutarcho, Arriano. Certe Curtius, qui causam istius rei, quam apud Græcos non inveniebat, de suo addere et confingere noluit, non ignoravit Libanum esse Syriæ, siqui-

Digitized by Google

dem materiam ex eo monte in Urbem Syriæ, Thapsacum, ad Euphraten devectam dicit. Sed et jam antea Libanum in Syria, et Tyri obsidione commemoraverat. Gravius vero intonare pergit V. C. 'Sed quis non videt ineptire nostrum Rhetorem, qui Septiremes in Euphrate instruit, ut ex Syria petat Africam?' Addit in margine, 'Qui sciunt, quid sit Septiremis, Euphraten tantas naves ferre potuisse, non facile concedent.' Sed et dein ait, 'eas non fuisse aptas Euphratis et Tigridis alveis.' Necesse est, ut Vir Doctus vel enormis magnitudinis putet fuisse illas naves, vel tenues plane fluvios, Euphraten et Tigrin; quum Nero fossam in Italia ab Averno Ostiam usque deprimere tentaverit, 'qua contrariæ quinqueremes commearent' apud Sueton. cap. 31. Immanem ergo oportet futuram fuisse hanc fossam, qua duæ quinqueremes altera alteram possent præterire, si singulas septiremes non caperet Euphrates. Quid de navi Thalamego dicam, qua Ægyptii reges in Nilo navigarunt, cujus latitudo fuit XXX. cubitorum, at altitudo ferme XL.? Vide Athenæum lib. v. p. 204. et 205. copiose eam describentem. Major est, fateor, Euphrate Nilus, sed et longe major Septiremi Thalamegus ista, quippe cujus ambitus erat plethrorum quinque. Sed quid moramur? Tiberis ferre potuit navem Septiremi plusquam altero tanto, si non plane majorem, certe pluribus remorum ordinibus instructam. Æmilius enim, victo Perseo, ultimo Macedonum rege, 'regia nave ingentis magnitudinis, quam XVI. versus remorum agebant, adverso Tiberi ad Urbem est subvectus,' apud Livium XLV. 35. vel, ut Plutarchus, Ἀνήκλει τὸν Θίβριν ποταμὸν ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἑκκαιδεκήρους. Si ergo Tiberis Romam usque ferre potuit navem, quæ 'sexdecim ordinibus remorum agebatur,' an Euphrates, maxime inter Thapsacum et Babylonem, ubi est amplissimus, et tot alios jam recepit fluvios, non admitteret 'septiremem,' seu septem ordinibus instructam? Adeo Tiberi tenuiorem faciemus Euphraten, qui omnium in Asia fluviorum ad meridiem post Indicos est maximus? Diserte Strabo lib. XVI. p. 739. cum Euphraten et Tigrin 'maximos' dixisset fluvios, subjicit: *Μετὰ τοὺς Ἰνδικοὺς οὗτοι λέγονται δευτερεύειν κατὰ τὰ νότια μέρη τῆς Ἀσίας, Post Indicos hi dicuntur esse secundi in australibus Asiæ partibus.* Quanta ergo illa est affirmandi confidentia, vel audacia potius! Quin, si maxime 'Euphratis alveo non essent aptæ septiremes,' vel sic nihil hic foret difficultatis. Etenim Vir Cl. ita prono et cæco rapitur studio ad reprehendenda quævis in Veteribus, ut eorum verba non consideret, nec videat satis, quid dicant. Certe enim ita loquitur, quasi putet Curtium voluisse, has septiremes factas, ut iis ultro citroque in Euphrate potissimum navigaretur, et ita altera alteram aliquando præternavigaret. At nihil horum dicit aut significat Curtius, vel alius quisquam. Navium istarum nullus erat in Euphrate futurus usus, quippe cujus omnia utrimque jamdudum erant perdomita. Demanda restabant maritima Asiæ, et maxime Arabiæ; ea his navibus petebantur, atque ideo *materia in Libano cæsa deveki* debebat *Thapsacum:* ibi tantum 'carinæ ingentium navium poni,' non ergo integræ et omnibus suis remis ac armamentis instructæ naves; illæque inde *deduci Babylonem*, ut Curtius, seu *καταπομπεύεσθαι τῷ ποταμῷ, deveki fluvio*, ut Strabo p. 741. *καταπλεῖσαι εἰς Βαβυλῶνα, navigare Babylonem*, ut Arrianus lib. VII. p. m. 485. Vides, Lector, nullam prorsus in his Curtii verbis hærere ineptiam, nedum 'aliquid rerum naturæ repugnans.' Verum ineptum id elicit V. C. etiam ex eo, quod Cur-

Digitized by Google

tius 'Septiremes in Euphrate instruxerit, ut ex Syria petat Africam; et crediderit ex Euphrate posse brevissima via Carthaginem navigari.' At quanta hæc est iniquitas, vel malignitas? Etenim Curtius exposuit primo consilia Alexandri, 'infinita animo complexi,' quorum primum erat, 'omnem ad Orientem maritimam regionem perdomare;' dein demum 'ex Syria Africam petere et Carthaginem;' inde porro 'Numidiam peragrare, cursum Gades dirigere, Hispanias adire,' &c. Hæc omnia postquam simul exposuisset, subjicit imperium Alexandri in rem proxime faciendam: *Igitur Mesopotamiæ Prætoribus imperat*, ut Septiremes illas, vel earum carinas potius exstruant, et Babylonem deducant. Quo quæso pertinere hoc potest, nisi ad primum istorum consiliorum, ad perdomanda Orientis maritima? quod primum omnium facturus erat Alexander, et his quidem navibus, ut non Curtius modo, sed et Strabo p. 741. Plutarchus Alex. p. 702. et Arrianus lib. VII. p. 485. 486. tradunt. Res adeo est manifesta, ut ipse V. C. eam viderit, sed quasi occlusis consulto oculis videre noluerit. Operæ pretium est, ut ipsius verba ordine exhibeamus, nostris cum notis: 'At eam classem,' inquit, 'paratam fuisse in Arabas, (immo et *εἰς ἅπασαν τὴν παραλίαν*, ut ait Plutarchus, æque ac Curtius 'in omnem maritimam ad Orientem,') docet Arrianus, (et Strabo.) Verum hoc fortasse vult Curtius hisce verbis, 'Omni ad Orientem maritima regione perdomita,' quibus verbis designari potest Arabia.' (Verissime id voluit Curtius, et ita invenit apud Græcos; nam Arabia restabat fere sola ex omni ad Orientem maritima regione, certe præcipua erat ex iis, quæ in Asia ad mare supererant perdomanda. Atque adeo satis liquido verum hic vidit Vir Cl.) 'Verum digna res erat, quæ pluribus exponeretur, ut omnis ambiguitas tolleretur.' (En, quo recidat etiam alterum illud 'insigne exemplum' gravissimæ accusationis, quod Curtius etiam repugnantia rerum naturæ scripserit!) 'Alioqui ea peccavit' (non ergo peccavit, quum 'voluerit' utique idem, quod Arrianus, atque alii Græci, qui Arabiam hic nominarunt, nisi forte in eo, quod non satis copiose ex sententia Viri Cl. rem exposuerit, aut nominatim Arabiam non expresserit. Quorsum ergo, quæ sequitur, iniqua accusatio?) 'Curtius in Geographiam, quæ facile persuadent, eum credidisse, ex Euphrate posse brevissima via Carthaginem navigari.' (Patet satis ex superioribus, vidisse Virum Cl. quod verum erat, sed studuisse id in speciem absurdi detorquere: immo vero noluisse eum videre, quod videbat, et maluisse, quo jure, qua injuria, exagitare Curtium, id patebit jam ex iis quæ prioribus subjicit.) 'Certe hoc eum voluisse suadet magnitudo navium, quarum hic meminit; majoribus enim non solebant vulgo navigare mare mediterraneum, nec aptæ erant Euphratis et Tigridis alveis.' Postrema enim hæc, quæ continent quasi probationem erroris Curtiani, abunde refutavi in superioribus. Quid Curtius 'certe voluerit,' id liquet ex re ipsa, ex consensu aliorum Auctorum, denique ex confessione Viri Cl. At ita liquet etiam clarissimum in modum, 'duplex' hoc 'insigne exemplum' nihil habere ejus, quod habere debebat, quodque magno hiatu erat promissum, hoc est, nihil habere absurdi, nihil alieni a vero aut verisimili, nihil rerum naturæ repugnans. Cui ergo rei rectius, si verum volumus, 'insigne' illud comparabimus, nisi parturienti monti, unde nullus, ne minimus quidem, prodierit mus? *Perizonius Curt. Vindic.* p. 106. seqq.

Thapsacum] Ita legendum vidit ex Strabone lib. X. et Arriano II. 3. 7.

Digitized by Google

Glareanus. Nec ullam dubitationem reliuquit Plutarch. c. 117. Sed et Sabellicus idem sensit; quamquam ibi forte transpositis literis *Thaspacum* legatur. *Freinsh.*

Ingentium carinas] Fl. Leid. *et ingentarumque.* Sic Bongarsii quoque et Danielis codices, nec dubito pari modo lectum in Modianis. *Leg. quingentarumque.* 'Quingentarum navium classis Darii' Corn. Nep. Miltiad. cap. 4. *Heinsius.*

Septiremes] *Quadriremes*, libri antiqui: quod hinc natum est, quia notæ hæ VII. septenarii numeri ita interdum perscriptæ inveniuntur, ut quaternarium hoc modo IIII. referre videantur. *Modius.* Ultimam vocem, *esse*, expungit Rutgersius Var. Lect. III. 4. *Snak.*

Esse] Forte abundat *esse.* Heinsius.

Cypriorum regibus] Ammian. XIV. 27. 'Tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, a fundamento ipso carinæ, ad supremos usque carbasos ædificet onerariam navem, omnibusque armamentis instructam mari committat.' *Freinsh.* Plures hujus insulæ tum temporis reges erant, ut ad IV. 3. 11. probavimus. *Cellar.*

§ 20 *Philippum præfectum*] Reor eumdem olim Thessalorum equitatui præfuisse ad Arbela Balacro natum, de quo etiam Diodor. XVII. 57. *Radenus.* Quem erroris convincit Arrian. V. 2. 2. 'Philippo Machatæ F. præside illius regionis constituto.' *Freinshemius.*

§ 22 *Pasargadas*] Hanc gentem Cyrus Persarum rex in honore habuit, quod ibi Astyagem Medorum regem ultimo prælio superavit, ut Strabo lib. XV. Geogr. refert. *Popma. Pasargadas*] 'Sagara' legere Sabellicus, et Cælius L. A. XV. 9. corrupto usi exemplari, ut apparet. *Freinsh.* Ad v. 6. 10. diximus. *Cellar.*

§ 23 *A Cyro quondam Persarum rege*] Orsines a Cyro prisco, qui Assyriæ et Mediæ regna primus in Persas victoria sua transtulit, genus suum ducebat. Hunc Cyrum, cui nullus unquam Persarum se dignum, qui illi compararetur, existimavit, Herodotus *Μέγαν βασιλέα*, id est, *regem magnum* vocat, a quo reges Persarum reges magnos appellari se voluerunt, qui regum reges dicti. *Popma.*

§ 24 *Talentum quatuor millia*] Vix credibiles opes unius Satrapæ: mox n. 34. Bagoas rem exaggerans, ut suspicari licet, ait 'tria millia talentum condita esse cum Cyro.' Vultque illa ab Orsine sublata; atque hinc hominem prædivitem factum. Quod consideranti utique videbitur falso aucta 4000. talentorum summa; præsertim cum adjiciat multa alia dona pretiosissima, veroque simile sit, non omnia largitum esse, sed sibi quædam retinuisse. Regias igitur opes possederit, quod vix concedas; et si concedas, utique non pertendas eo fuisse deventurum, ut munificentia Alexandrum supergrederetur. At hujus mille talenta Taxili dono data, quanta non admiratione modo, sed etiam invidia prosecuti sunt amici! Vide supra VIII. 12. 17. *Freinsh.*

§ 25 *Bagoæ spadoni*] Dicæarchus apud Athenæum de sacrificio in Ilio, ita Alexandrum hunc Bagoam amavisse scribit, ut eum oscularetur. Atque cum spectatores exclamarent cum applausu, statim obtemperans se rursus flectens osculatus est. *Popma.*

Obsequio corporis] Quam sceleste deperiret propudium illud hominis, ex Dicæarcho apud Athenæum XIII. 8. et Plutarcho cap. 116. constat. Non omnino dissimilis est vesania L. Quintii, qui itidem in scorti sui gratiam nobilem barbarum occidit. Auctor Liv. XXXIX. 42. 9. et Plutarch. Catone Maj. cap. 32. Sed quid ibi

Digitized by Google

animadverto monstri? De Catone censore lego, 'Allegit in senatum collegam et amicum L. Valerium Flaccum.' Quid? ergo Flaccus censor erat, senator non erat? Ne dubitas scribere, 'Principem senatus legit,' &c. et in textu, *προέγραψε μὲν οὖν ὁ Κάτων τῷ συγκλήτῳ τὸν συνάρχοντα*, κ. τ. λ. fuerat *προσέγραψε*, una literula temere inculcata eas excitavit turbas. Correctionis hujus quem meliorem dabo prædem vademque ipso Plutarcho in Æmilio cap. 65. *Τῆς δὲ βουλῆς προέγραψε μὲν Μάρκον Αἰμίλιον Λέπιδον, ἤδη τετράκις καρπούμενον ταύτην τὴν προεδρίαν* ubi simul explicatam vides eam phrasin? *Freinsh.*

§ 26 *Quam Alexandro*] Coloniensis scriptus codex, *æque Alexandro cordi esset*, nihil agunt. *Modius.* Mss. Fl. *equam*, Modii *æque.* leg. *perquam Alexandro cordi esse.* Heinsius.

Non scorta se, &c.] Generosum profecto est hoc responsum Orsinis, et dignum etiam Macedone; sed ita loqui non potuit homo Persa, qui sciebat Darium alii Bagoæ regnum debuisse, et cum memorato consuesse. Quibus persuadere posset Curtius, nobilem Persam, et ad amplissimos honores evectum, id ignorasse, quod multi Græci, quos citat Freinshemius Suppl. II. 1. 1. scripserunt, ipseque adeo Curtius literis prodidit? Ita enim loquentem inducit Alexandrum VI. 3. 12. 'Darius in sedem Cyri, beneficio Bagoæ, hominis castrati, admissus.' cap. 4. 10. in literis Nabarzanis legimus, 'Darium, cum occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset.' Postea cap. 5. 28. inter dona, quibus Nabarzanes Alexandrum placare conatus est, dicitur fuisse 'Bagoas specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiæ, cui et Darius fuerat adsuetus, et mox Alexander adsuevit.' Fuerat etiam Teridates puer Eunuchus Artaxerxi in deliciis, ut docet Ælian. Var. Hist. XII. 1. in Aspasiæ historia. Nemo jam non videt, Curtium finxisse responsum rei ipsi contrarium, dum vult homini e posteris Cyri digna tanta nobilitate verba commodare, aut summum alium non prudentiorem exscripsisse. Hæc Cl. Clericus Jud. VIII. 18. Vir Acutissimus tradit, ex componendis ejusmodi Orationibus id vitii quoque oriri, ut, 'si contingat, Scriptorem non satis esse peritum rerum, temporum, aut locorum, non mendacia modo, sed et repugnantia naturæ rerum proferantur.' Cujus rei si quis 'velit exemplum,' ex bono Curtio 'duplex et quidem insigne' dabit. Prius est de Orsine, Pasargadarum satrape, qui Alexandro cum amplissimis muneribus occurrit; neque ipsum tantum, sed et ejus amicos omnes supra ipsorum vota coluit; verum Bagoæ spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis devinxerat sibi, nullum honorem habuit; admonitusque a quibusdam, quam Alexandro ille cordi esset, respondit, 'Amicos regis, non scorta, se colere: nec moris esse Persis, mares ducere, qui stupro effeminarentur,' apud Curtium X. 1. Scilicet hoc est 'responsum rei ipsi contrarium,' seu 'rerum naturæ repugnans,' quod 'Curtium finxisse' censet Vir Cl. vel 'ex alio non prudentiore exscripsisse.' At quo argumento? Nempe ait, 'ita loqui non potuit homo Persa, qui sciebat, Darium, ultimum Persarum Regem, alii Bagoæ regnum debuisse, et cum memorato consuesse. Orsines autem, nobilis Persa, et ad amplissimos honores evectus, id ignorare non potuit.' Vis ergo argumenti hæc est. Fuit Bagoas quispiam in aula Persica, Eunuchus quidem, sed simul militum dux, homo sceleratus et bellicosus, qui quum sub Ocho contra Ægyptios belligerante copias duxisset, amicitia cum Mentore, egregio et belli gerendi peritissimo Persa-

Digitized by Google

rum duce, constituta, potentissimus evasit, et ita tandem ipsum Ochum veneno sustulit, filiumque ejus natu minimum Arsanem ad regnum produxit, oppressis hujus fratribus natu majoribus; sed quum neque hunc satis morigerum experiretur, eum quoque occidit, et sic Dario Codomanno regnum concillavit: denique, quum et hnic venenum postea parasset, ab eo fuit eodem illo veneno occisus, ut refert hæc omnia Diodorus Siculus libro XVII. Ergo jam naturæ rerum repugnat, ut nobilis Persa, apud Macedonas, neque ita palam, aut apud quosvis promiscue, sed apud quosdam, quos suis muneribus devinctos sibi jam favere putabat, contemptim diceret, 'Amicos regis se colere, non scorta.' Atqui sub illo ipso Ocho, quum Bagoas iste, a rege ad Pelusium præsidio obtinendum missus, fidem Græcis a Lacrate Thebano, qui itidem sub hoc rege militabat, datam non servaret, ab illo vi repulsus et profligatus est; Lacrates autem a Bagoa accusatus, a Rege est absolutus et laudatus, teste Diodoro lib. XVI. Adeo etiam ille Lacrates Bagoam hunc, sive amicum, sive scortum regis, impune sprevit. En aliud argumentum. Bagoas ille, qui Alexandro in deliciis erat, fuerat idem Dario: ergo nullus nobilis Persa, in Pasargadis habitans, ab aula remotus, potuit esse tantæ vel severitatis, vel ferociæ, et imprudentiæ, ut apud homines alterius gentis, confidens insuper meritis suis et muneribus, jactaret temere suam suæque gentis severitatem, diceretque, sive vero, sive falso, diceret tamen, 'Amicos regis, non scorta, se colere, nec moris esse Persis, mares ducere, qui stupro effeminarentur.' Quid ergo? An in naturam hominum non cadit, vel immodica quædam severitas, vel magnifica ejus ostentatio, vel stolida et imprudens ferocia? An naturæ rerum repugnat, ut quis ex. gr. Nobilis Gallus ex Normannia, vel Aquitania, in sermonibus imprudenter et severe vitia aulæ increpet, aut amicas regum? At vero ipsum Carolum Borbonium in aula agentem, ferunt, coram rege Francisco, cum quo parum feliciter ludebat pila, quum ideo ab illius amica, Stemparum Principe, ludentes ex fenestra spectante, subinde irrideretur, indignatione ergo, sed imprudentissima, correptum, jussisse 'meretricem compescere linguam,' eamque imprudentiam alapa ab rege accepta luisse, et hanc inter caussas alienati a Francisco Borbonii, ac ad Carolum Imp. transeuntis fuisse. Quid de Bironii adversus suum regem Henricum IV. non imprudentia, sed insolentia et ferocia stolidissima dicam, quæ in nervum et supplicium tandem erupit? Sed et jam antea an. 1597. quum Rex ille amoribus deditus venisset cum amica ad obsidionem Ambiani, legimus 'regem coactum brevi hoc scandalum dimittere ex oculis militum, non tantum propter eorum susurros, qui ad illius usque aures perveniebant, sed etiam propter Bironii objurgationes, qui non cogitabat, nihil esse periculosius, quam supremi Principis amores increpare,' ut ait Mezeræus. Quid jam? An et ille 'mentitur, et naturæ rerum repugnantia fingit?' Perquam illustre etiam exemplum est crudelis et Turcici Imperatoris, Victoris et Juvenis, Mahometis illius, qui Constantinopolin occupavit, et qui fratres suos jam occiderat. Et tamen ille, quum deperiret Græcam concubinam, Irenen, resque esset inter Turcos usitatissima concubinas habere et amare, an veriti sunt Prætoriani milites in sermonibus et susurris suam eo nomine testari indignationem, aut an timuit Bassa præcipuus libere prorsus ea de re agere cum suo Sultano? Impune illi quidem tulerunt sermones hosce et increpationes, quarum maxima

Digitized by Google

pars, ut solet, in concubinarum illarum contumeliam redundavit haud dubie. At longe plura dari possent exempla eorum, quibus ista libertas vel severitas infelicissime cessit, non minus, quam Orsini. An ergo 'ita loqui non potuerunt' Borbonius, Bironius, et Bassa Iste, quippe qui neque ipsi 'ignorare poterant' amicarum apud Reges et Principes suos potentiam? An rejiciet igitur Vir Cl. etiam illa exempla, ut conficta? Non putem, quia recentiora sunt et a recentioribus tradita, quibus paullo plus indulget, quam veteribus. Nam prout apud plerosque homines, duo quum idem faciunt, id tamen non est idem; sic apud hosce Censores, pleraque veterum pro absurdissimis habentur, quæ tamen in suæ Gentis et Ætatis Scriptoribus admittunt illi et probant. Sed falsum est, dicet forsan, quod 'Persis non fuerit moris, mares ducere, qui stupro effeminentur.' Sit ita. An numquam ergo falsa magnifice apud alios jactantur? An numquam illi, qui alias præ se gentes despicinnt, et pro barbaris habent, (ut olim fecerunt Græci et Romani, at proximis sæculis Itali primum, dein Galli) suam supra verum et verisimile extollunt? At unde liquet esse falsum? Videamus iterum Logices illius præcepta, quæ 'Grammatici,' ut ait, 'ignorant.' Nempe Bagoas fuit in deliciis apud regem Persarum: ergo 'falsum' est, et 'naturæ rerum repugnat,' Persas reliquos, et in iis severiores potissimum, non habuisse tales pro maribus; 'falsum,' dixisse quemquam Persam, moris non esse suæ genti, tales ducere mares. Quasi quis ita logicas rationes subduceret: Romæ etiam inter nobilissimos fuere non pauci, qui in adolescentia leguntur pudicitiam suam aliis prostravisse: ergo falsum est, et naturæ rerum repugnat, Romanos id flagitium increpuisse; falsum est, quod Suetonius ait, unum tale Nicomedis contubernium 'grave' fuisse 'et perenne' Cæsari 'opprobrium, et ad omnium convicia expositum:' Dolabellam in judicio eum ideo appellasse 'Pellicem Reginæ:' Bibulum, collegam ejus, in Edictis Consularibus proscripsisse eum, 'Bithynicam Reginam:' Curionem Patrem dixisse eum 'Stabulum Nicomedis:' immo in Senatu, quum Cæsar dixisset, insultaturum se deinceps inimicorum capitibus, respondisse quemdam per contumeliam, 'Non facile hoc ulli feminæ fore.' Nam ea certe nihil differunt ab responso Persæ istius. Vides ita, Lector, quæ et qualia sint hæc argumenta et ratiocinia. Certe iis si Grammaticus, vel etiam Veterum quispiam, esset usus, diceretur ille continuo, 'nullas habere certas veri aut falsi, probandi aut improbandi, notas, præcepta Logices ignorare, ratiocinari miserabili modo,' quæ Grammaticis a Viro Cl. ingesta sunt. Vides etiam, quam iniquo inflammati studio rapiantur illi Veterum Censores ad exagitanda in iis quævis. Denique vides, quo recidat 'insigne' hoc 'exemplum,' unde liqueat Curtium 'rerum imperitum non mendacia modo, sed et repugnantia naturæ rerum protulisse.' Et tamen dimittit hoc exemplum, V. C. dicendo, 'Nemo jam non videt, Curtium finxisse responsum rei ipsi contrarium.' *Perizon. Curt. Vindic.* p. 96. et seqq. *Scorta*] Nihil clarius hoc loco, quo probetur *scortum* apud Latinos etiam sumi de mare instar feminæ viris subjecto, ut adserult Cl. Burmann. ad Quinctil. Declam. III. 3. et multis explanavit Cl. Dukerus ad Florum II. 18. 10. *Snak.*

Exercuit] Longe mihi videretur elegantius, si legeretur *exeruit*. Scheff. Forte, *exercuit viri.* Heinsius.

§ 27 *Levissimos*] Forte, *vilissimos*; sed 'levis auctor' est etiam IV. 3. 22. 'levior fama' IV. 4. 2. *Heinsius.*

Criminibus astruxit] Non puto 'a-

Digitized by Google

struere' usquam reperiri pro subornare, vel submittere; et si reperiatur, hic tamen scribi rectius existimo *instruxit*. Crimina composuit, et eos docuit, quæ deferrent, quo tempore ipse demum jussisset. *Acidalius. Adstruxit*] Negat Acidalius verbum 'adstruere' reperiri pro subornare, submittere: vel si inveniatur, rectius tamen scribi *instruxit* existimat. Ego etiam libentius ad crimina verbum struendi retulerim, si exemplaria patiantur: *Nam per gentes e. l. falsis criminibus structis* (*monitos tum d. e. d. q. ipse jussisset*) *interim, &c.* sed nihil assevero. *Freinsh.* Forte, *instruxit*, et sic Acidalius; vel lege *astu* aut *astute instruxit*. Heinsius.

§ 29 *Stupro et dedecoris patientia*] Sic X. 3. 10. 'Obsequium et patientia imperii.' *Snak.*

§ 30 *Sepulchrum Cyri*] De Sepulchro Cyri, quidque in eo repertum et lectum sit, præter Curtium docent Strabo lib. XV. Arrian. VI. 5. 13. Plutarch. cap. 118. quos citat et confert Brissonius lib. I. Forte ex hoc facto nata fabula, Kainan magni regis prioris mundi sepulchrum Alexandro M. in India monstratum fuisse: quod ex Juchasin refert Schickardus in Tarich pag. 25. *Freinsh.*

§ 31 *Auro argentoque repletum*] Morem fuisse apud varias gentes tumulis inferendi thesauros ostendit Rosinus Antiq. Rom. VI. 31. *Freinsh. Argentoque repletum*] Fl. et Bongarsii codd. *argentoque conditum repletum*. Lege, *argentoque condito repletum*; vel, *conditorium*. Plin. Ep. VI. 10. 'Tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere.' 'Conditivum' Seneca. *Heinsius.* Senec. locus est in Epist. 61. sed vide eumdem Heinsium ad Petron. Sat. cap. 111. et Weitzium ibid. cap. 112. *Snak.*

§ 32 *Corona aurea*] Sic etiam, 'Achillis monumentum coronavit, et Hephæstion Patrocli.' Ælian. Hist. Var. XII. 7. Eumdem postea honorem ipse consecutus ab Augusto: adi Sueton. in vita 18. 1. et Caracallo apud Herodian. IV. 15. *Freinsh.* Elegantem disputationem de corona aurea, quam sæpe cum corona laurea confuderunt eruditi, collectam et expensam dedit Cl. Burmannus ad Vell. II. 40. 4. *Snak.*

Amiculo] Vide Ferrarium de Re Vestiaria III. 19. Adde Indicem. *Idem.*

Solium in quo corpus jacebat] Solium, id est, loculum, sarcophagum, τύελον Arrianus et Strabo vocant. Florus IV. 11. de morte Cleopatræ, 'Maximos induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.' Plin. XXXV. 12. 'Defunctos sese multi fictilibus solis condi maluerunt,' ubi perperam vulgares libri 'doliis,' contra Mss. fidem, uti Harduinus, et ante eum Salmasius ad Solin. p. 847. (qua occasione de sepultura Græcorum et Persarum agit) aliique observarunt. Sueton. Neron. cap. 50. 'In eo monumento solium porphyretici marmoris.' *Cellar.*

§ 35 *Quod impune habere*] Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύγει. Lampridius in Alex. Severo cap. 18. Idem sensus in his Livianis I. 17. 9. 'Offerendum ultro rati, quod amissuri erant.' Et VI. 17. 9. 'Refracturosque carcerem minabantur: quum remisso, id quod erepturi erant, ex SCto Manlius vinculis liberatur.' Pulchra ars et interdum utilis, quæ servare non possis, donasse potius videri, quam perdidisse. Himerius apud Photium ubi Demosthenem inducit de revocando Æschine consultantem, 'Cum utrumque acerbum sit, et edictum sponte solvere, et hæc sustinere præter voluntatem ex mandato; minus malum existimavi sponte solvere, quam invite tolerare.' *Freinsh.*

Digitized by Google

§ 36 *In iram*] Sigebergenses membranæ, *concitaverat jam animum ira.* Modius.

§ 37 *Supplicio insontis*] Dissentit plane a Curtio Arrianus, qui l. VI. refert, Orsinem Persidis præfectum, quod fana spoliasset, multosque Persarum injuste peremisset, damnatum, et in crucem actum, Peucesto in locum ejus suffecto. *Popma. Supplicio insontis*] Arrian. VI. 5. 20. non excusat Orsinis innocentiam. Plutarch. cap. 118. a Macedone quodam apertum ait sepulchrum: 'Hinc,' inquit, 'cum Cyri conditorium apertum comperisset, interfecit auctorem, quamvis Pellæus esset non ex obscurissimis, qui id admiserat, Polymachus nomine.' *Raderus.* Apud Strab. culpa confertur in prædones ignotos. *Freinsh.*

Regnasse feminas] Arnisæus de Republ. II. 12. 1. plura dominationum muliebrium exempla adducit. Junge quæ de Amazonibus notata sunt sup. ad VI. 5. 24. Addit 'olim regnasse feminas:' at si Arriano I. 7. 25. credimus, Alexandri tempore 'Usitatum erat in Asia, jam inde a Semiramide, ut et virorum uxores regnarent.' *Freinsh.*

Regnare castratum] Imo secundum Plinium XIII. 4. nihil novi. Palmæ 'regibus tantum Persidis servabantur Babylone natæ uno in horto Bagou; ita enim vocant spadones, qui apud eos etiam regnavere.' Intelligit, opinor, eum, qui Dario regnum dedit supra VI. 3. 12. *Freinsh.*

§ 39 *Præceps ad repræsentanda*] Confer locum VI. 11. et J. F. Gronovium de pecunia Veteri I. 6. *Snak.*

Idem ad] Mallem legere *item ad et.* Scheffer. *Idem*] Forte, *item.* Heinsius.

§ 40 *Satis cautus*] De Conone Nepos cap. 5. 'Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa esset fortuna.' *Cellar.*

Sic scilicet res secundæ valent commutare naturam, et raro quisquam erga bona sua satis cautus est] Mirum hæc omnia a membranis Sigebergensibus abesse. *Modius.* In re pæne simili similis omnino loquendi modus lib. VIII. 'Regis minus jam cupiditatibus suis imperantis inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas.' *Acidal.* Vide Gruter. Discurs. in Tacit. cap. 5. *Freinsh.*

§ 41 *Regna reduxerat*] Ita habet optimus et antiquissimus codex scriptus Coloniensis: vulgo alioqui, et in quibusdam etiam manu exaratis erat, *regnare dixerat;* quod ita exponit Glareanus, ut eum ipsum, cum illa scriberet, risum non tenuisse existimem. *Modius.* Curtianum hoc non est, Modianum est, qui tamen auctorem Coloniensem Ms. laudat. Vulgus librorum habet *regnare dixerat.* Inde ego, *regnare didicerat.* Acerba irrisio est, in contrarium accipienda: summæ antea moderationis rex, et vere rex, victor tandem rex esse didicerat: quasi id vero regium, non ex æquo et jure agere, sed pro sua et aliorum libidine grassari. Probabis hoc, an illud magis? nam ecce, dum commentamur, incidit *regnari didicerat.* Hostibus victis ipse victus regnabatur. Quomodo? subjungit, 'ut adversus libidinem animi arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam:' ut fatear, ipse mihi non satisfacio in hac festinatione. *Acidalius.* Modius e chirographo Coloniensi rescripsit *regna reduxerat;* nec *regna reduxerat,* ut importunum, hic placet, nec prisca scriptura, *regna redixerat,* quod nihil est dicere. Acidalii prima conjectura, et scriptura omissa prorsus altera arridet, quam ego certe sinceram et germanam arbitror. Quæ sequitur conjectura, *regnari didicerat,* non videtur ex genio Curtii, quem utcumque novi. *Raderus. Regna reduxerat*] Vulgati ante Modium, *reg-*

Digitized by Google

nare dixerat. Acidalius corrigit *regnare didicerat:* ut sit acerba irrisio, in contrarium accipienda. Summæ antea moderationis rex, et vere rex, victor tandem rex esse didicerat, quasi id vero regium, non ex æquo et jure agere, sed pro sua aut aliorum libidine grassari. Addit deinde aliam conjecturam *regnari didicerat;* quasi diceret hostibus victis ipsum victum regnatumque fuisse, *ut ad scorti arbitrium aliis regna daret, aliis adimeret vitam.* At hanc correctionem respuit Raderus; illam sinceram et germanam scripturam arbitratur. Ego potius miror Acidalium, quo fuit acumine, non vidisse legendum, *hostibus victis regna reddiderat.* Notum de Poro: sed et aliorum exempla suggeret Arrianus. *Freinsh. Regna reduxerat*] Acidalius, *regnare didicerat,* quod improbat jure Freinshemius; quod autem putat, videre potuisse, quod legendum sit, *regna reddiderat,* id nescio an mereatur applausum: quando vox *reddiderat* nimis longe abit a *reduxerat:* quid, si legamus *regna restruxerat?* Quid, si *regna et auxerat?* notum de regno Pori ex superioribus. *Scheff. Regna reduxerat*] Leg. *regna adauxerat;* nam sic VIII. 14. 45. de Poro 'mox donavit ampliore regno quam tenuit.' Claudian. 'Reddita captivo spatiosior India Poro.' Noster iterum X. 5. 28. 'Clementia in devictos, tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dono data.' *Heinsius.*

§ 42 *Ad altimum*] Mss. habent *ad altimum trajectum.* Forte, *ad ult. ita abjectus;* ut 'abjecti et infracti' VI. 2. 21. *Heinsius.*

Usque adeo ut] Leg. *ut iniqui idem transversus libidine animi.* Heinsius.

§ 43 *A Cœno*] Has duas voces, et mox alteras illas, *in Asia,* membranarum jussu, in sedes suas postliminio reduxi. *Modius.*

Literas accipit] Vulgo: *literas a Cœno accipit;* a quo Cœno? nonne Cœnum IX. 3. 21. extulimus? Dicam quod sentio. Hæc Curtii verba *Iisdem fere diebus, &c.* usque ad illa *Igitur XXX. navibus Sunium, &c.* esse loco mota, et ad initium sexti libri, quod ibi desideratur, revocanda. Sub illud enim tempus hæc a Zopyrione gesta Justinus XII. 1. 4. docet. Itaque pro *Cœno,* hic lego *Antipatro,* et pro *India,* (*dum ipse Indiam subigit,*) *Asia* recipienda: quæ vox in aliis codicibus hic desideratur apud Curtium, scribiturque tantum de *rebus in Europa gestis,* ut *Asia* pro *India* sit reponenda. Hæc certa meo animo conjectura est. *Raderus.* Mihi præter insignem violentiam nihil habere videtur certi. Ut enim patiamur ex Cœno Antipatrum, ex India Asiam, ex decimo libro sextum fieri; unicum, quo omnia ista quomodocumque niti videntur, argumentum valde lubricum est. Quippe Justinus multa alio tempore gesta refert, ac Curtius: verbi gratia, cum primum Persidem subigeret, instituisse eum cum alia Justinus XII. 4. 9. narrat, tum, ut 'pupilli stipendia patrum traherent;' at secundum Curtium X. 4. 8. diu postea id evenit. Ergo secutus Mss. Editorumque nonnullos importuna duo verba *a Cœno* eliminavi: quo facto tota ratio loci hujus constare potest. *Freinsh.*

§ 44 *Tempestatibus*] Scytharum armis, non tempestatibus oppressum esse Justin. XII. 1. memorat. *Cellar.*

§ 45 *Ne Græcia quidem*] Hic forte ea intercidernnt, quæ Curtius retulit de Harpalo, Thesaurario Babyloniæ, quam ille nefarie administraverit, et postea de Alexandri ex India reditu certior factus, desperata venia, Athenas confugerit. Unde Alexander Atheniensibus indignatus, quod eum recepissent, adoriri illos parabat, nisi postea Harpalum ejecissent. Vide

Digitized by Google

Dinarchum contra Demosth. Plutarch. in Dinarcho et Demosth. Scaligerum ad Euseb. p. 117. et mox Popmam. *Loccen.*

SEUTHES REX:

Ex Seguini Nummis Selectis, p. 31.

Cap. II. § 1 *Sunium transmittunt*] Quod hic ad verba Curtii attinet, an ad superiora adhuc, et Græcorum tumultum et defectionem pertineant: an vero ad Harpalum Athenas properantem. Ego quantum conjectura assequor, de Græcis Athenas petentibus, et fortasse exsulibus, quos exceptis sicariis et civili sanguine aspersis, et aliis hoc genus facinorosis, patriæ restitui Alexander perceperat, et sua quemque urbe recipi, quos tamen Athenienses ex omnibus Græcis contemto regis edicto, numquam admiserunt. Ante ergo illa verba, quæ sequuntur, *His cognitis rex*, iterum lacunæ signum ponendum: desunt enim omnia, quæ ad nuptias Susianas, et Harpalum et Hephæstionem pertinent. *Raderus. Sunium transmittunt*] Accipio de mercenariis Harpali. De exsulibus quidem Græcis haud accipiendum vel cæcus videat. *Freinsh.* Harpalus et mercenarii milites, qui ex Asia profugerant, vel ad Tænarum Laconicæ promontorium, Diodoro teste XVII. 108. vel ad Sunium Atticæ, classem suam statuerant, unde Harpalus cum paucis comitibus, et grandi pecuniæ summa Athenas profectus est contra regem cives sollicitaturus. *Cellar.*

§ 3 *Dum clam agitat, literæ*] Sic scripsi, cum vulgo insulse esset, *quod consilium dum agitat, clam ei literæ, &c.* Modius. *Dum agitat clam*] Rectius sic distinguitur, quam in aliis, *Quod cons. dum agitat, clam literæ ei reddantur;* quid enim attinebat clam literas reddi Alexandro, et quidem ejusmodi literas? Sed nec illud placet: qui non possim credere, Alexandrum in ea magnitudine fortunæ atque gloriæ clam fuisse habiturum, quem hostem peteret; etiamsi maxime potuisset: si tamen texit, omnibus aliis præfero scripturam B. 1. *Quod consilium clam agitanti literæ reddantur.* Freinsh.

Harpalum intrasse quidem Athenas] Diogen. Laërt. in Vita Demetrii hujus historiæ sic meminit: Ἄρξασθαι δ' αὐτὸν τῆς πολιτείας φησὶ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς ὁμωνύμοις, ὅτε φεύγων Ἀλέξανδρον εἰς Ἀθήνας ἦκεν Ἅρπαλος. Is cum multa insolenter et superbe gessisset, Alexandrum fugiens, cum magna vi pecuniæ Atticam ex Asia appulit, ubi concionalium hirundinum certatim operas suas ei venditantium magnus fuit conventus: quibus mo-

Digitized by Google

dicam ille ex multis objecit escam, ut in Phocione refert Plutarchus. Demosthenes etiam viginti talenta, et calicem ab eo accepit, ut Athenienses in Alexandrum concitaret. De Harpalo, cujus intemperantiam Theopompus in Epistola quadam ad Alexandrum mirifice carpit, vide Athenæum VI. 5. et VIII. et Plutarch. in Vita Demosth. *Popma.*

Principum animos] Oratorum maxime, etiam ipsius Demosthenis, ut supra VII. 4. 9. ex Plutarcho diximus; non autem Phocionis, cujus virtus inexpugnabilis auro erat. Plutarch. in Phocione p. 751. et Demosth. p. 857. *Cellar.*

Interceptum] Membranæ, *a quibus non receptum, trucidatum a quodam auctore interemtum per insidias:* de qua lectione dicetur a me alias. *Modius.*

A quodam viatore] 'A Thimbrone, uno ex amicis,' Diodor. XVII. 108. 'a servis suis,' Pausanias lib. II. qui quidem addit: 'Sunt tamen, qui dicant, Pausaniæ Macedonis dolo interisse.' Quomodo autem hic exponemus *viatorem?* nonne rectius in Mss. *auctore?* qui forte ad veram scripturam nos ducent, *a quibus interceptum Thymbrone quodam auctore per insidias.* Vide Photii Biblioth. pag. 218. f. *Freinsh. A quodam Thimbrone*] Vulgo, *a quodam viatore.* Mss. *a quodam auctore:* utrumque ineptum. Diodor. XVII. 108. tradit, quum ex Græcia in Cretam recessisset a Thimbrone amico suo peremtum esse. *Cellar.*

§ 4 *Exules præter eos*] Plutarchus Apophth. Lacon. cap. 59. addit eximios etiam Thebanos fuisse: unde Eudamidæ Laconis dictum exstat: 'Cum Olympiis præconio jus fecisset omnibus exsulibus, in suam cuique patriam redeundi, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit, præconium, sed vobis, o Thebani, gloriosum: solos enim vos metuit Alexander.' *Raderus.* Factum id per Nicanorem quemdam. Demosth. pag. 183. f. *Freinsh.* Πλὴν τῶν ἱεροσύλων καὶ φονέων, *præter sacrilegos et homicidas.* Diod. XVII. 109. *Cellar.*

§ 5 *Solvendarum legum*] Iterum membranæ *solidarum legum*, haud dubie male. *Modius.*

§ 6 *Athenienses*] Ex hac occasione nata est Himerii oratio apud Photium, 'in qua Demosthenem inducit de revocando Æschine consultantem; vulgato rumore Alexandrum exsules revocaturum:' in cujus fine ista, ὁ τὰς ἀπ' Ἰνδῶν φήμας ὡς ὅπλα καὶ μάχας φοβούμενος, interpretor: *rumores ab Indis usque huc perlatos, tamquam arma pugnasque* præsentes *metuens.* Freinsh.

Sed etiam publicæ vindices libertatis] Si nimis libera alicui hæc emendatio videbitur, cum meminerit vulgo legi, *Soli Athenienses non suæ modo sed etiam Reipublicæ vindices, colluvionem hominum, quia ægre ferebant, non regis imperio, sed legibus moribusque patriis regi adsueti prohibuere. Igitur exsules finibus ejiciunt, omnia potius tolerantur, quam, &c.* si hæc, inquam, non ita aliqui constituenda censebunt, quemadmodum excudi jussi, eos ego hoc igitur modo, quia in membranis post *colluvionem* inseritur vox *ordinem*, omnia legere velim: *Soli Athenienses, non suæ modo, sed etiam publicæ rei vindices, colluvionem hominum, quia ordinem ægre ferebant, non regis imperio sed legibus moribusque patriæ regi adsueti prohibuere finibus: omnia potius toleraturi, quam, &c.* ut ita dixerit Curtius, *ægre ferre ordinem*, ut alii 'redigi in ordinem.' *Modius.* Tellierius ex codd. Mss. fide, ut ait, *qui ordinem ægre ferebant*, quod interpretatur, ægre patiebantur se in ordinem redigi. Dictionem firmatum it ex Quinctiliano I. 4. 'Multa verba non totum declinationis ordinem ferunt.' *Cellar.* Leg. *Conluvionem et sordem hominum;* vel, *colluvionem sordidam hominum.* Heinsius. Forte transposita: legendumque, *conl. qua in ordinem cogi* nunc

Digitized by Google

ægre ferebant. Snak.

Conluvionem] Hanc semper aversati sunt, unde et se ipsos αὐτόχθονας jactabant. Lege Xenoph. in lib. de Athen. Rep. Isocrat. in Panathen. *Loccenius.*

§ 7 *Purgamenta*] Quos Curtius purgamenta urbium vocat, Cicero pro Flacco 'fæcem' civitatum, Græci καθάρματα appellant, unde scite apud Lært. VIII. 5. 8. Diogenes, *cum clamasset aliquando; heus homines! convenissentque plurimi, baculo illos agebat, dicens, homines non purgamenta vocavi.* Φωνήσας ποτὲ, Ἰὼ ἄνθρωποι, συνελθόντων, καθίκετο βακτηρίᾳ, εἰπὼν, ἀνθρώπους ἐκάλεσα, οὐ καθάρματα. *Popma.*

§ 8 *Senioribus militum*] Ostendet hic locus recte me conjecisse sup. VII. 3. 23. pro 'seniorum' legend. 'servorum.' Septem enim millibus Macedonum quomodo carere potuisset, ut uni coloniæ tot adsignaret? Vides hic post omnia fere bella profligata ex toto exercitu dimitti seniores, et tamen ex Diodoro XVII. 109. et XVIII. 4. constat, eos decem millium numerum non excessisse: aut si Justin. XII. 12. 7. sequimur, undecim. Ne dicam, laturos molestissime fuisse, si post tot labores in coloniis barbaricis detinerentur, patriæ cupidissimi. *Freinsh.*

Colonis replesset] Appian. Bell. Civ. I. apud Romanos 'coloniæ tamquam præsidia partis bello provinciis imponebantur.' Britanni apud Tacit. Agric. XVI. 1. coloniam Romanam appellant 'sedem servitutis.' Unde opportuno situ tres urbes 'Philippum non contumeliosius, quam verius, compedes Græciæ appellasse' Livius XXXII. 37. 2. refert. *Freinsh.*

§ 9 *Excerneret*] Vulgo, *secerneret.* Modius. *Excerneret*] Deligeret: apud Columellam hoc verbum 'excernere' leges, de frumento farina et paleis, hic ergo Metaphora est, aliæ tamen editiones *secerneret* habent. *Raderus.* Barthius tamen probat *excerneret* Advers. II. 12. *Cellar.*

Contractum erat, dissolvere tamen ipse decreverat] Forte legendum: *contractum; dissolvere tamen id suo ære decrev.* Heinsius.

§ 10 *Prolatando*] *Protelando*, membranæ Sigebergenses. *differendo*, Brugenses. *Modius.*

Professioni æris pudorem] Quæ intelligas ex his Senecæ de Benef. II. 7. 'Tiberius Cæsar rogatus a Nepote M. Allio prætorio, ut æri alieno succurreret: edere illum sibi nomina creditorum jussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare.' Ubi dubites annon legendum sit 'Mallio:' nota ea familia ex Fulv. Ursino, Glandorpio, et Inscript. Vett. sed verius puto, 'rogatus a Nepote Mario,' ex Tac. II. 48. 3. *Freinsh.*

Decem millia talentorum] Non convenit inter scriptores de summa, quæ in ære alieno exercitus dissolvendo expensa est. Plutarchus Curtium secutus tradit decem fere millia talentum, pro his, qui ære alieno obstricti erant, Alexandrum exsolvisse; Justinus lib. XII. viginti tria millia. At Arrianus auctor est, hanc largitionem XX. millia talentum fuisse: λέγεται δὲ γενέσθαι ἡ δόσις αὕτη τῇ στρατιᾷ ἐς τάλαντα δισμύρια. *Popma. Decem millia talent.*] Justin. XII. 11. 3. 'XX. millia.' Diodor. XVII. 109. cum Curtio: 'Multosque ære alieno obstrictos esse edoctus, id totum uno die X. millibus talentum paullo minus dissolvit.' Quod Diodorus paullo minus addit, hoc Plutarch. cap. 120. et Curtius expresse, e decem millibus talentum, tantum CXXX. post exsoluta nomina superfuisse testatur. Arrian. VII. 2. 28. dimissis tantum in viaticum tot ait talenta donata, singulis nempe singula. Ergo cum decem millia, ut Diodorus numerat, undecim, ut Justinus, essent in patriam remissi, et singulis talentum esset oblatum, idem numerus talentorum cum Curtio et Diodoro et Plutarcho est

Digitized by Google

expressus. Sed hic Plutarchus addit singulare quiddam de quodam Antigene Lusco falsa creditorum nomina professo, ut majorem inde vim pecuniæ auferret. *Raderus.* De Arriani consensu fallitur. Ille enim VII. 1. 23. diserte scribit, largitionem hanc dissolutorum munerum 'XX. M. talentum fuisse tradi.' Alia est largitio, de qua loco a Radero citato narrat. *Freinsh.* Radero Popmam omnia suggessisse apparet, etiam errorem. *Snak.*

§ 11 *Professi sunt*] Nescio quid sibi quærant editi libri, cum scribunt, *Tum demum fide facta professio est;* quis enim esse potest horum verborum sensus? *Modius.* Fuerit imo idem, qui alterius lectionis sensus, si *facta* geminetur, *Tum demum facta fide facta professio est.* Nam ipsa vox nisi geminetur, bis eam intelligi, quod Glareanus censuit, ineptum est. *Acidalius.*

§ 12 *Remitti domos*] Alii, *mitti domos.* Modius.

Canitiem capitum ostentantes] Atqui seniores dimiserat: utique non omnes, sed mutilatos et ad bellum inutiles, et sic Justinum accipe XII. 11. *Raderus. Canitiemque capitum*] Nondum enim dimissi erant seniores; sed id cum maxime agebatur, ut dimitterentur. Ipsum Auctorem inspice. *Freinsh.* Præcipue n. 16. *Snak.*

§ 15 *Ille, quid hæc, inquit, repens consternatio, et tam procax atque effusa licentia denuntiat*] Sic in carmine libero, quod Tibullo adscribunt, 'Quid hoc rei est? quid ira nuntiat Deum?' Ubi male alius, 'nunc ciet,' pro 'nuntiat.' Sed in Curtio quod statim sequitur: *Eloqui timeo: palam certe rupistis imperium, et precario rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendique aut intuendi vos jus reliquistis;* non moveam quidquam temere: sed an non elegantius parvula distinctio fecerit? ad hoc inquam exemplum, *Eloqui timeo, palam certe.. Rupistis imperium, et precario rex sum.* Mihi placeat hæsitantis et verecundantis affectus iste: nec tamen, ut dixi, velim receptam lectionem mutare. Palam enim imperium ruperant, qui 'tumultuoso clamore et militari violentia volentem loqui inhibebant, palam professi nusquam inde nisi in patriam vestigium esse moturos.' At 'timendi' verbum, ut nos hic volebamus, alibi quoque Curtio in pudoris intellectu. IV. 10. 27. 'Num quod maxime suspicor, et loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi?' Ceterum non me præterit, in editione Modii *metuo* esse: *timeo* tamen ego retineo, quod est in omnibus vulgatis, et temere mutatum ab illo censeo. *Acidalius.*

Denuntiat] Forte, *denuntiet.* Heinsius.

§ 16 *Mecum deportare*] Præ se ferebat enim reditum in patriam agitare, dubium an ex animo: sunt enim complures qui in Asia sedem imperii fuisse constituturum arbitrantur. Illud autem palam testabatur: pertinetque eo quod Plutarchus de Liber. Educand. cap. 34. refert, 'Græcis mandasse, ut purpureas sibi vestes pararent, quippe domum reversum e bello sacrificium de parta e barbaris victoria peracturum.' Quod tamen diversim narrat Athenæus XII. 9. Verum ut dixi, Asiam potius habebat in animo, sive Arabiam regni sedem habiturus, ut tradit Eustathius ad Dionys. versum 995. ex Strabonis extremo sextodecimo: sive potius Babylonem, ut asserit idem Strabo lib. XV. *Freinsh.*

Adclamantes] Seu potius *occlamantes.* Acidalius. *Occlamantes* cum Acidalio malo. *Raderus.* Male Acidalius *occlamantes:* vide nos ad Vellei. II. 4. *Heinsius.*

§ 17 *Discedunt*] Membranæ *descendunt.* Modius. *Discedunt*] Mss. *descendunt*, probante Bongarsio. Cujus manum qui descripsit, hoc loco non

Digitized by Google

potuit assequi. Video autem Ἀνάβασιν Xenophontis allegari: credo quod inde nomen illi historiæ sit, *Ascensus*, quia mediterranea loca altiora sunt mari. Unde profectio ad mare κατάβασις *descensus* vocatur, a mari ἀνάβασις. Dictum aliquid hac de re supra. *Freinsh.*

§ 18 *Uno ore*] 'Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent; tanta æqualitate et constantia, ut regi crederes.' Tacit. I. 33. 7. *Freinsh.*

Omnes queri] Poterat abesse verbum *queri* relicto *Omnes* solo: ut apud scriptores Hist. Augustæ. Pollio in Valeriano cap. 1. 'Quæ quum essent sæplus dicta, addiderunt, omnes: atque ita discessum est.' *Freinsh.*

§ 19 *Non hercle potest, ut adducar*] Corruperant hæc imperiti nebulones, qui de suo verbum *fieri* intruserant. *Modius.*

§ 20 *Profugiunt dominos*] Singularis constructio et loquendi formula cum quarto casu, quam tamen ut Curtio particularem jam annotavit Cœlius Curio in Thes. *Snak.*

§ 21 *Furiosæ consternationis*] Quamvis hac voce numquam usus legatur Cicero, est tamen bene Latina, et Livio, Sallustio aliisque scriptoribus primæ classis usurpata. Sed hoc observandum in illa: Consternationem hic non animi dejectionem valere, sed contumacem seditionem et tumultum: quo intellectu Val. Max. dixit IX. 7. quod est de seditionibus: 'Creditorum quoque consternatio adversum Sempronii Asellionis prætoris urbani caput intolerabili modo exarsit: quem quia caussam debitorum susceperat, concitari a L. Cassio tribuno plebis pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum, inque tabernulo latitantem, prætextatum discerpserunt.' Alias tamen etiam pro desperatione et perturbatione usurpatur, ut 'consternatus animo.' Valla v. 9. Consternere est corporis, consternari autem animi, cum mens turbata est, de statu mota, et quasi humi strata, ideoque sæpe conjungi animum videmus, ut 'consternatus animo.' Sallustius tamen primo historiarum, 'Equi,' inquit, 'sine rectoribus exterriti aut sauci consternantur:' cum sit usitatius consternuntur. Imo meo animo rectius dixit Sallustius 'consternantur,' hoc est, ita perturbantur, ut regi vix amplius possint, et qua data via ruant. Itaque hoc loco accipe pro tumultu, perturbatione et contumaci seditione, non dejectione aut desperatione animi: propterea adjecit 'furiosæ consternationis,' et paullo ante 'repens consternatio,' hoc est, procax et effusa licentia. *Raderus.*

Damno] Improbo, abjicio, ut Noster sæpe, et sic Justin. XIX. 2. 9. 'Intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata.' *Snak.*

Esse destitistis] Alii *desistis*, aut *desiistis*. Forte expuncto verbo substantivo, legendum, *me destituistis.* Sup. IX. 2. 32. 'desertus, destitutus sum, hostibus proditus.' *Freinsh.* Mallet Freinshemius, *jam enim me destituistis.* Mihi potior Acidalii videtur emendatio, *jam enim esse destitistis.* Certe alias non respondet sequentibus. Opponuntur quippe milites, et non milites, sed ingrati. Ad quod posterius ostendendum opus erat, non ut vocaret eos desertores, sed non milites, et qui milites esse desiissent. *Scheff.* Erasmus et Tellierius *destistis.* Freinshemius expuncto substantivo verbo legendum putat *me destituistis;* sed etiam 'destitit' cum infinito frequens Nostro est. III. 6. 15. V. 9. 17. VIII. 3. 6. X. 8. 1. *Cellar.*

Ingratissimis oportet] Impressi libri, *nec ut cum militibus meis* (*jam*

Digitized by Google

enim esse desistis) sed cum ingratissimis (ut oportet) agere decrevi: ineptissime. *Modius.* Ineptissima Modio vulgata: mihi neque hæc multo aptiora, utrumque ego interpolo: *Omnem hercle spem, quam ex vobis conceperam, damno, nec ut cum militibus meis (jam enim esse desistis) sed ut cum ingratis civibus porro agere decrevi.* Vide mihi ductus literarum et erroris occasionem, et emendationis agnosces rationem: paullo post: *neminem teneo: liberate oculos meos ingratissimi cives.* Acidalius. *Cum ingratissimis operis*] Non ultra vobiscum, inquit, quasi cum militibus aut ingenuis agere mihi decretum est, neque præmia dare aut munera; sed ut vilibus mercenariis, appendere debitam modo diurnamque vestram mercedem. 'Operarum' scilicet vox ignominiam habet, quadratque in eos, qui viles et lucello tantum inhiantes. Χόστοιχον est huic istud Cic. pro Sextio cap. 17. 'Erat mihi contentio non cum victore exercitu, sed cum operis conductis, et ad diripiendam urbem concitatis.' *Rubenius. Electa* pag. 39. f. Antea corrupte legebatur, *cum ingratissimis oportet.* Freinsh. Nihil muta: non bene Rubenius et Freinshemius. *Heinsius.*

§ 22 *Secundis rebus*] Quod Alexander de militibus, idem de Alexandro Curtius paullo ante sic ait: 'Sic scilicet res secundæ valent commutare naturam, et raro quisquam erga sua bona satis cautus est.' Et lib. VIII. 'Minus jam cupiditatibus imperantis, inter obsequia fortunæ, contra quam non satis canta mortalitas est.' *Popma.*

Circumfluunt] *Superfluunt vos*, vulgo. *Modius.*

Secundam regere fortunam] Forte, *adversa quam secunda degere fortuna;* vel, *vos adversa quam secunda regere fortuna.* Heinsius.

§ 23 *Illyriorum*] Diodor. XVI. 2. 'Bello fractus ab Illyriis Amyntas vectigalia pendere victoribus cogebatur. Hi filium ejus natu minimum Philippum, obsidis loco acceptum, Thebanis adservandum tradiderunt.' Justinus VII. 5. 1. 'Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede, et Philippo fratre dato obside redemit.' Ac de ipso Philippo VII. 6. 4. 'Bella alia interposita pactione componit, alia redimit.' *Raderus.* Diodorus in Excerpt. Vales. pag. 338. Φίλιππος δουλεύουσαν Ἰλλυριοῖς τὴν ἡγεμονίαν παραλαβών. *Freinsh.*

Asiæ et tot] Iterum editiones, *Asia et tot;* perinde est. *Modius.*

Sordent] Repete VIII. 8. 16. et totum fere caput. *Snak.*

Ex cratibus scuta] Qualia paupertas et indigentia rerum necessariarum facit. Lipsium de Mil. Rom. III. 2. vide: cui addes Frontin. I. 7. 6. et Flor. III. 20. 6. de Spartaco. *Freinsh.*

§ 24 *Quingenta talenta*] Vide Plutarch. cap. 23. et de Fort. Alex. I. 3. 'ubi ducenta talenta' produntur. Sed Arrianus VII. 2. 15. consentit Curtio. *Freinsh.*

Talentorum esset, meorum mox] Sic hunc locum de membranarum fide emendavi: editi libri habebant, *quam LX. talentorum sit meorum operum, &c.* male. *Modius.*

Quibus tamen absit invidia] Ut ordine capias, invidiæ deprecationem parenthesi include: *quibus tamen (absit invidia) imperium, &c.* nam absolute efferenda ista, et τὸ *quibus* ad *fundamenta* referendum, ut fundamentis iis imperium se dicat imposuisse. Hiulca et sententia alias, et structura. *Acidalius.*

Partis] Forte, *parti.* Heinsius. Et sic Voss. cod. 2. *Snak.*

§ 25 *Asiæne pertæsum ... est pares fecit*] Ne et hic seducaris, expunge interrogationis alteram in medio notam, quæ supervacua, et turbat etiam sensum. Non junges enim *quæ gloria*, neque casu accipies utrumque.

Digitized by Google

nominandi, sed hoc auferendi, illud nominandi quidem, sed ut ad *Asiæ* referatur. *Acidalius.*

Nempe ex Asiatica præda] Magnum malum illis, qui hæc hoc modo corruperant, *ni æs alienum luissem. Nempe in Asiatica præda, nec pudet, &c.* flagitiosissime. *Modius.* Bene ista Modius. Quia tamen ubique *in* non *ex*? an non putes retineri potuisse? Sic scilicet hoc dictum fuerit, ut apud Sen. Epist. XIX. 13. 'In aspero et probo accipere:' et apud alios cum idem hoc, tum alia ad eam faciem plura. *Acidalius.* Nam Modius fecerat, *ex As. præda*, quæ res induxit alios ut totum hoc pro glossemate haberent; sed non est: ostendit enim injuria fastidire Asiam, quibus inde tot tantaque fuissent commoda. Habetque illa vocula *nempe* insignem vim inculcandi cum quadam exprobratione personæ caussæve, de qua agitur, meritum. Apud Liv. XXXIV. 5. 10. Valerius abrogari legem Oppiam suadens, pro matronis: 'Jam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronæ consensu omnium in publicum contulerunt.' *Freinsh.*

§ 26 *Etiam spei vestræ*] Non præsentia modo dilapidarunt, sed ne spem quidem, quæ omnis in armis, plura acquirendi sibi reliquerunt, ipsa arma pignori tradentes. Mirum autem hoc sub Alexandro licuisse. Sane Romanis moribus, ipsaque evidenti ratione, id vetitum. l. III. § 13. de R. M. 'Miles, qui in bello arma amisit, vel alienavit, capite punitur.' Ubi verbum 'alienandi,' quod et in l. XIV. § 1. eo repetitur, etiam ad pignoris nexum extendi docet l. ult. Cod. de Reb. Alien. non alien. *Freinshemius.*

§ 27 *Pellicum concubinis*] Invidiosissima Catachresis; nam quinam sint 'concubini' ex Ganymedis, fedissimarum deliciarum gratia in cœlum rapti, turpissima fabula notum satis: et sic in 'Catamito' explicat Festus Pompeius, et Servius ad Virg. Ecl. VIII. 30. sic Quinctil. Declam. II. 6. 'singularis res est fortis concubinus:' et eodem sensu Catullo repetitur in Epithal. Mallii. Sed hic de sequiore sexu singulari exemplo, et videtur adludere ad contubernales, qui in militia mutua fide et ope videntur conjuncti, et quasi cognati, quum hi indignissimis scortis obnoxii ab omni militari disciplina flagitiosa voluptate ita inquinaverint honesta, et ignava libidine adeo degeneraverint, ut sint tamquam prostibula, dedecorum patientiæ contra naturam subjicienda, atque ut non modo inter pellices agant, quæ ante devictos Persas in Macedonum castris non tolerabantur; sed et illis monstrosa infamia succubent. Nisi velis ἀναλογικῶς explicare, quasi qui concumbant cum pellicibus, et libidinibus addicti severiorem militiæ disciplinam negligant, et hinc nihil præter otium et onerosi belli vacationem spectent mulierosi, contumeliosis deliciis fracti, et ad ignaviam deformati. *Snak.*

In quod impenditur] Eleganter hoc explevi addita syllaba *in*, intelligit autem Curtius scorta. *Modius.* *Impenditur*] Sc. venter. *Sebisius.* Nempe pellices solæ superant ex tanta præda, in quas ipsæ opes impensæ sunt. Ita Tellierius: aliis *venter* est, in quem impensa sunt, ita Sebisius et Pitiscus. Vulgo *in* posthabent. *Cellar.*

Cum Persis] Nempe de quibus Diodor. XVII. 108. ipse Curtius X. 3. 10. *Freinsh.*

§ 28 *Redeuntes*] Hæc amare dicuntur cum sequentibus, quare male faciunt, qui notam interrogationis ubique interserunt. *Modius.*

§ 29 *Quantum sine rege*] Polyæn. IV. 3. 7. 'Mandavit, ut armati Macedones seorsim a ceteris starent: e regione vero Persæ. Qui cum disces-

Digitized by Google

sissent, Deligite, inquit, Macedones, ducem quem volueritis: Ego vero Persis utar militibus: si viceritis, faciam omnia quæ volueritis; sin victi fueritis, experti vos nihil per vosmet ipsos posse quidem, quietem agite.' *Freinsh.*

§ 30 *Desiluit deinde*] Alexandri factum hoc non tam animi magnitudini, quamquam et huic, quam prudentiæ adscribo: nec enim aliud supererat vindicandæ majestati, quam neque suadendo neque minando periclitantem conservare poterat, ut ita necessario ad ultimum ei præsidium deveniendum, et velut de summa rerum cum militibus suis decernendum fuerit. Hoc ergo, aut similia, non unus ille fecit, sed Cæsar, et Alexander Severus, et Augustus Quirites appellando suos milites, unoque verbo omnes, non sine quadam ignominia, exauctorando, eamdem plane jecerunt aleam. Quin et minorum ducum constantia pancorum pœna sæpe tumultuantium agminum repressit audaciam. Vide Tacit. I. 38. 'Puniri enim quandoque possunt, qui cohiberi non possunt.' Idem Hist. IV. 27. *T. Freinsh.*

In medium armentorum agmen] Per contemtum Curtius in medium armentorum agmen regem se immisisse dixit: Nam quid aliud sunt vecordes et disciplinæ militaris immemores milites, quam armentorum agmen, quod furioso impetu, et effusa licentia fertur? *Popma. Armatorum*] Quædam editt. *armentorum;* et hanc lectionem probat Popma, sed non satis recte: lege *armatorum*, quod et confirmat Justin. XII. 11. 8. 'E tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit, et nemine prohibente tredecim correptos manu sua ipse ad supplicia duxit.' *Loccen.*

Notans quoque] Editiones, *notatos quoque.* Modius. Sola hæc editio, *notans;* aliæ, *notatos*, quod profecto melius; sed verum, opinor, est *notatisque*, id est, cum vel quoniam notasset eos sibi inter ipsam orationem. *Acidalius.* Quod recepit Raderus. *Snak.*

CAP. III. § 1 *Nihilo ausos graviora*] Sic scribe. De cetero, sublata hic a Modio deinceps recte, quæ pro Curtianis diu se gesserant, etiam post indicium Glareani: nec abest, quin pauca quædam auctoris absint et desint. *Acidalius.* Hic nihil videtur deesse; nam si jungas sequentia verba prioribus, optime sententia constabit. *Loccenius.* Hic asteriscus insertus monet, aliquid in Curtio deesse, quod vel nihil, vel certe perexiguum est, una vel altera voce, ut et Acidalius sensit, desiderata. Quamquam ego putem omnia constare, nam sensus et intellectus totius periodi perfectus est, et cohærent omnia. *Raderus.* Sed et Aldus illa omisit. Nos ad vitandam confusionem alias orituram non rejecimus, sed, ut aliis locis supra, inclusimus uncis. *Freinsh.*

§ 3 *Sive regii nominis, &c.*] Confer hæc illis III. 6. 17. 'Namque haud facile dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum hujus utique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagraverint.' *Acidalius.*

§ 4 *Quo singuli*] Hoc probum, præ illo *quod*, quod hactenus obtinuit vulgo. *Modius.*

Obedienter ac pie] De Macedonibus sermo est; at de Persis acceperat Brisson. *Freinsh.*

§ 10 *Hoc ego*] *Hoc ergo* Coloniensis liber scriptus. *Modius. Hoc ergo non*] Negans particula *non* ejicienda; quam pugnare in sententiam Alexandri miror ab aliis non animadversum. Jam olim, inquit, ita sensi, sed nunc primum aperio; manifestum nimis hoc, et quod ultro se prodit, huc usque tamen (qui nisi clausis oculis?) præteritum. *Acidalius.* Ante erat, *hoc ego non nunc;* Acidalius negantem particulam ejecit, et miratur id ab

Digitized by Google

aliis non animadversum; sed ego non minus miror ab Acidalio eamdem particulam a me supra restitutam, a qua totius capitis sententia pendebat IX. 4. 17. non fuisse animadversam, nec repositam, cum contra jus omne et fas a Curtii contextu esset proscripta: 'Non quidem Gangem amnem, et quæ ultra essent, coactos transmittere, non tamen finisse bellum.' *Raderus.*

Nunc primum profiteor] Alii, *non nunc primum*; sed negationem illam ejiciendam alibi monueram: et jam video monuisse sic Acidalium, qui jure miratur aliis id non animadversum. Est autem profecta illa corruptio ab iis, qui *sed* absque *non* reperiri nefas existimarent: nec sentirent eam esse formam, qua Cic. ad Attic. XII. 24. 'Occidimus,' inquit, 'occidimus, Attice, jam pridem nos quidem, sed nunc fatemur.' Nec longe abit Demetrius apud Liv. XL. 15. 8. 'Non hodie me primum frater accusat; sed hodie primum aperte.' Cyrus apud Xenoph. Cyropæd. lib. I. 'Cooptavi vos equidem, amici, non quod nunc primum vos probaverim, sed quod viderim vos inde usque a pueris ea, quæ civitas nostra honesta censet, studiose facere.' *Freinsh.*

Dilectum] Iterum eædem membranæ, *dilectos*. Modius. *Delectum*] *Dilectum* eodem sensu prisci dicebant, quos subinde Lipsius æmulatur; sed 'delectus' dicitur usitatius, quod 'dilectus' ambigue dicatur. *Raderus. Delectum juniorum*] Triginta Persarum millia Macedonicis armis disciplinaque institui jussit. Vide Plutarch. cap. 88. Diodor. XVII. 108. Arrian. VII. 1. 25. Justin. XII. 12. 4. *Freinsh.* De voce 'dilectus,' et 'delectus,' vide Stewechium ad Prolog. Vegetii, et p. 20. *Snak.*

Obsequium et patientia imperii] Satis hoc ostendit Brisson de Regn. Persarum lib. II. p. 24. *Freinsh.*

Præstantior est] Ms. *præstantiore.* Forte *præstantiora.* Heinsius.

§ 11 *Oxathris*] Lege *Oxyatris*, ut lib. VIII. monui. *Loccenius.*

§ 12 *Darii filiam*] Diodor. XVII. 107. 'Susam profectus Statiram Darii filiam natu majorem sibi matrimonio junxit; minorem vero Drypetim Hephæstioni uxorem tradidit: amicorum etiam nobilissimis novi conjugii auctor fuit, et generosissimas Persarum virgines in matrimonium collocavit.' Adde Justin. XII. 10. 9. Plutarch. cap. 120. M. Paul. Venetus I. 31. contractas eas nuptias scribit in civitate Balac, quam veterum Susa fuisse, ex eo conjicit Reineccius. Cratero tum temporis Amestrin, Oxathræ fratris Darii filiam, in matrimonium dedit; Diodor. XX. 109. quam Amastrinem vocat Arrian. VII. 1. 19. ubi de his nuptiis plura. Vide et Ælian. VIII. 7. cum Athenæo XII. 9. Diodor. XVIII. 4. *Freinsh.*

§ 13 *Genitos vos esse mihi*] Erant juvenes ex illis etiam a Macedonibus ex victis et Persidibus jam pridem suscepti; nam ex ultimis non potuit fieri, cum necdum annus intercesserit. Diodorum adi Olym. 113. anno 3. p. 576. *Rader. Genitos*] Quia mixti in unam velut gentem coaluimus; gerite vos pro popularibus civibusque meis potius, quam pro extraneis, illorumque numero mihi haberi credite. Nihil huc pertinent liberi Macedonum ex captivis geniti, quos frustra nituntur huc trahere. *Freinsh.*

Eumdem ducunt colorem] Translate pro referunt notam, indolem, aut formam rei. Senec. Epist. 108. 'Novimus quosdam, qui multis apud Philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint.' Idem in lib. de Tranq. An. 'Quæ veras vires parant, exspectant annos, donec paullatim colorem diuturnitatis ducant.' Seneca Tragic. Herc. Fur. vs. 345. 'Ducet e genere inclyto Novitas colorem nostra.' Quinctilian. Orat. Inst. X. 1. 'Optimis adsuescendum

Digitized by Google

est; et multa magis, quam multorum, lectione firmanda mens, et ducendus est color.' Videntur laudati Auctores hoc Maronis Ecl. IX. ante oculos habuisse: 'Duceret apricis in collibus uva colorem.' *Loccenius.*

Persarum] Ita melius, quam ut vulgo, *Persas.* Modius.

§ 14 *Victuri sunt*] Post hæc verba non male inseruntur hic, quæ Justinus et Arrianus de corporis custodia, et officiis distributis inter Persas et reliquos Barbaros (Macedonibus remotis) habent. Susceptî enim Persæ a rege loco amicorum, et agmen illud barbarorum Macedonico nomine Persicum agema vocatum. Quod Macedones ægre ferentes, exteros scilicet sibi indigenis tamquam indignis præferri, cum summa doloris significatione ad januam regiæ venerunt, et arma sua tamquam libellos supplices ante januam projecerunt, veniamque delictorum petentes ultro in supplicium obtulerunt, qui obstinate oblocuti erant regi. Quibus peractis, senior quidam inter reliquos procedens talem habet orationem ad Alexandrum, 'Quousque,' &c. *Loccen.*

§ 15 *Hac oratione habita*] Recte hæc et sequentia, ad ea, 'Quousque animo tuo,' &c. omittit Raderus. Est enim manifestum supplementum, quod tamen etiam cum auctore nostro pugnat: ille enim supra num. 4. ostendit ante concionem hanc interfectos fuisse seditiosos, aut potius contumaces illos: hoc supplementum vero affirmat postea demum id accidisse. *Freinsh.*

Hac oratione, &c.] Neque hæc in vetustis libris adparent: Freinshemio ideo etiam suspecta sunt, quod supplicium sub finem cap. 2. in hunc locum videtur rejicere. Sed aliud omnino supplicium est a superiori tredecim militum, quos sub noctem rex duci jusserat: ut ex principio sequentis orationis conjicitur. *Cellar.*

Cap. IV. § 1 *Mergi in amnem*] Quod hic 'externi moris supplicium,' idem apud Liv. I. 51. 12. 'novum genus lethi vocatur,' de Turno Herdonio, 'Ut indicta caussa, novo genere lethi, dejectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne injecta, saxisque congestis, mergeretur.' Apud Germanos olim 'ignavos, et imbelles, et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergebant,' Tacit. Germ. 12. 2. Unde fortassis manavit hodieque receptus mos, meretrices in amnes mergendi, quem tantopere mirabantur in Concilio Basil. Italici proceres. Sic et Amulius Romulum Remumque spurios in 'profluentem abjici' jussit. Flor. I. 1. 2. Ad ignaviam vero sic punitam alludere videantur Hippomedontis verba apud Statium IX. 506. relata supra ad III. 5. 5. 'non in acie saltem.' *Freinsh.*

§ 3 *Nec hoc quidem*] Membranæ, *et hoc quidem*, verum pessime. *Modius.*

Corpora iræ, trucidaret] Ita habent omnes omnino scripti libri, adeo ut an ita legendum sit amplius dubitari non posse videatur. *Modius. Trucidaret*] Alia lacuna. Quantum ex serie historiæ conjicere licet, relatum hic est a Curtio, quo modo Alexander milites ad januam querulos intromiserit, gratiam delictorum fecerit, et honorifice donatos in patriam dimiserit; dein quomodo Hephæstionem vita functum magnifice terræ mandarit; Calani Indi funus vel voluntarium vivicomburium prosecutus sit; denique Babylonem fatalem sibi urbem concesserit, et operam daturus ibi variarum gentium legatis supremum diem obierit: innuunt hoc sequentia, 'Intuentibus,' &c. nam sic ordine persequitur narrando, quæ mortem ejus præcesserunt. *Loccenius.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM.

4. Postquam vero cognitum est, Persis ducatus datos, Barbaros in varios ordines distributos, atque Macedonica iis imposita nomina, se vero ignominiose penitus rejectos esse, non jam amplius conceptum animis dolorem perferre potuerunt. 5. Sed concursu in regiam facto, interiori duntaxat retenta tunica, arma ante januam, pœnitentiæ signum, projecerunt, ac præ foribus stantes, intromitti se, sibique ignosci suppliciter atque flentes orabant, utque rex suppliciis suis potius saturet se quam contumeliis: ipsos nisi venia impetrata non discessuros. 6. Quæ cum Alexandro nuntiata essent, apertis regiæ foribus ad ipsos est egressus. Postquam vero ipsorum ejulatum atque pœnitentiam, necnon miserandum atque afflictum habitum vidisset, diu quoque collacrymatus est. Eaque modestia, ut ipsis ignosceret, obtinuerunt. 7. Eis deinde nunc modeste incusatis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exauctoravit, magnificentissimeque donatos dimisit. Scribens quoque ad Antipatrum, Macedoniæ præfectum, eis ad spectanda certamina priores in theatro sedes assignari, coronatosque sedere jussit. 8. Defunctorum quoque liberos pupillos paterna contra-

§ 4 *Postquam vero cognitum est*] Omnia hinc ad finem usque capitis inserta sunt ab alio quodam, qui lacunam hanc sic explevit: absunt ab antiquioribus exemplaribus, et Radero. Nos, quia historiæ nonnihil lucis addunt, reliquimus; alio tamen charactere, ne deinceps fallant viros doctos etiam pro Curtianis. *Freinsh.*

Persis ducatus datos] Sic apud Tacit. I. 41. 5. seditiosos milites 'nihil æque flexit quam invidia in Treviros:' quorum fidem suæ præferri indignabantur. *Idem.* Pro Curtianis hæc habuit Cl. J. Is. Pontanus, et ex Suetonio confirmavit in Epist. ad Cl. J. Vossium, quæ est 89. ex Sylloge quam edidit Cl. A. Matthæus. *Snak.*

§ 7 *Priores in theatro sedes*] Quo exemplo 'Augustus etiam milites a plebe discretos habuit,' apud Sueton. 44. 3. Scaliger Poëtic. I. 21. Adde Tacit. VI. 3. 1. *Freinsh.*

Coronatosque sedere] Προεδρίαν ἐν ἀγῶσι vocat Strabo pr. l. XIV. Paschalius de Coron. 8. 4. ostendit in triumphis non ipsum tantum Imp. sed et milites coronatos fuisse. *Idem.*

§ 8 *Defunctorum liberos*] Atheniensibus lex erat, ut liberi eorum, qui pro patria cecidissent, publice educarentur. Cujus meminerunt Plato extremo Menexeno, Thucydides II. 8. 62. et Aristides Panathenaico. Qua in re dignum visum cap. 56. centur. 2. Subcisiv. Camerarii, quod pene totum exscriberem: 'Præ ceteris autem Veneti longissimi temporis recepta observatione, non tam grati, quam liberales et munifici ita erga patres sunt, ut etiam in liberos eorum ea liberalitas propagetur, qui vel in toga vel sago patriæ utilem operam præstiterunt. Non solum

Digitized by Google

here stipendia voluit, Cratero iis præposito, quem etiam Antipatri loco Macedonibus, Thessalis, Thracibusque præesse jussit, Antipatrumque cum supplemento tironum in Crateri locum vocavit. 9. Jam pridem quidem Alexandro literæ et ab Olympiade matre

enim stipendia et salaria parentum defunctorum filiis superstitibus veluti hæreditario jure conferuntur, sed etiam filiæ nubiles ex fisco honorifice ditantur, ut studium et cupiditas inserviendi, et etiam moriendi pro patria et rep. spe recompensationis, ceu stimulis, exacuatur. Hoc etiam regibus Castiliæ consuetum fuit; ita enim Franciscus Ximenius, Cardinalis et prorex Hispaniæ, scribit ad Carolum v. Cæsarem, quum filium alicujus de regno bene meriti in præfecturam parentis defuncti substituisset: inter alia Regum nostrorum, eam semper consuetudinem memorabilem fuisse constat, ut quæ inclitis factis beneficia parentes meruissent, ea quoque, illis decedentibus, ad eorum filios transferrentur, præsertim si dum regi servirent, morerentur. Nam ita homines alacriores ad munera commissa fidelius obeunda redduntur, si suæ quoque virtutis præmia ad liberos esse transferenda intellexerint, quos naturali quodam affectu quam maxime ornatos et provectos cupiunt. Idipsum observavit ante plusculos annos fortissimus et bellicosissimus Rex Poloniæ Stephanus, postquam Livoniam Mosco extorsisset. Ita enim de eo scribit Reinoldus Heidensteinius de bello Moscov. lib. VI. In toto hoc bello id ex lege observatum fuerat, ut si qui in eo perlissent, qui publicas possessiones jure aliquo tenerent, easdem liberis eorum quamvis infantibus, partim etiam puellis, confirmaret.' Hactenus ille. De Saracenorum in Hispania rege Isen idem observat Rodericus Toletanus Hist. Arab. cap. 19. ' Cum suorum aliquis morte propria vitam, aut gladio finiebat, paternum stipendium filio quantumlibet parvulo erogabat, donec ætate perfectus, militiæ adscriberetur.' Hi ergo proprie dicuntur 'epigoni' Justino XII. 4. 11. 'Sic etiam vocabantur eorum posteri, qui cum Adrasto et Polynice Thebas oppugnaverant,' ut notat Diodor. IV. 68. Strabo lib. VII. et Euseb. num. DCCCXXII. Ad horum igitur exemplum 'epigonos' illos vocari voluit Alexander, quasi in perpetuum Macedonica militia stabilita, ut scilicet ætate aut vulneribus fessi raptive, subinde a posteris suis, hoc enim sunt 'epigoni,' exciperentur. Arrianus autem VII. 1. 25. et VII. 2. 8. appellationem eam restringit ad XXX. Persarum millia Macedonicis artibus instituta. Videntur autem et hi et illi, tamquam in unum corpus coalituri, eodem hoc nomine fuisse vocati. Ceterum militum bello cæsorum uxores pecuniæ distributione consolatus est Machaël Rangebe apud Zonaram. Romanæ leges etiam pupillis ejusmodi varia solatia constituerunt. Vide Fabrum Semestr. III. 8. *Freinsh.*

§ 9 *Ab Olympiade*] Quo tempore accidit illud fama celebratissimum, ut nimirum, Hephæstione literas secum inspiciente, anulum, quem digito detrahebat, ori ejus imprimeret. Vide Plutarch. Apophth. cap. 39. et Orat. de Fort. Alex. 2. 17. Criminationes autem matris hæsisse in regis animo, argumento est illud ejus apophthegma: cum enim Antipatrum nonnulli commendarent, quod severam integramque vitam degeret; ait, Antipatri quidem exteriora dealbata sunt; intus vero totus est purpureus. Plutarch. Apophth. cap. 39. *Idem.*

Digitized by Google

et ab Antipatro redditæ erant, ex quibus mutuam inter ipsos simultatem perceperat. Mater Antipatrum adfectati regni insimulabat. 10. Antipater Olympiadem multa præter ipsius decorum gerere scripserat. Itaque evocari se valde iniquo ferens animo, Alexandrum veneno interficere statuit. Peractis his rebus omnibus, Alexander ad Ecbatana Mediæ profectus, regni necessaria disposuit, spectacula denuo e tsollemnes indixit dies. 11. Illis forte diebus Hephæstion, quem Rex unice ac fratris loco diligebat, febricitans moritur. Ex quo Alexander, incredibili adfectus dolore, multa, quæ regiam majestatem minime decerent, admisisse dicitur. 12. Miserum quippe medicum, tamquam in curando neg-

§ 10 *Itaque evocari se*] Præter hanc caussam, alia longe fortior fuit, metus nimirum ex rege, quem aperit ejus vox apud Plutarch. Apophth. cap. 50. 'Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandem credendum erit? sin vero, qui agendum est?' *Idem.*

§ 11 *Hephæstion moritur*] Mortem eam prædixit Pithagoras vates apud Appianum de Bell. Civ. lib. II. Arrian. VII. 3. 36. et Plutarch. cap. 124. Mortuus autem est ad Ecbatana. Ælian. Hist. Var. VII. 8. *Idem.*

Unice diligebat] Ælian. Histor. Var. XII. 7. 'Alexander Achillis monumentum coronavit, Hephæstion Patrocli; significans, se ita carum Alexandro esse, ut Patroclus fuisset Achilli.' Testatur et Probus in Eumene, Alexandrum eum semper 'plurimi fecisse.' *Idem.*

Incredibili adfectus dolore] Sen. Epist. 113. 'Alexander, modo occiso amico (Clito), modo amisso (Hephæstione), jacebat in tenebris; alias scelus, alias desiderium suum mœrens: victor tot regum atque populorum, iræ tristitiæque succubuit.' *Idem.*

Quæ regiam majestatem] Justin. XII. 12. 12. 'contra decus regium' ait fecisse. Adde Plutarch. cap. 123. et ceteros. Id, opinor, voluit Lucianus in Dial. Mortuor. objiciens ex persona Philippi, 'quod Hephæstionem plus quam esset satis amarit.' Nam in luctu quoque modum esse servandum, præsertim imperantibus, præter alios ostendit Patricius de Regno v. 17. 'Non enim eadem decora principibus viris et imperatori populi, quæ modicis domibus aut civitatibus;' ut recte dixit apud Tacit. III. 6. 2. Tiberius. Ideo Gregoras consolans Andronicum Jun. in obitu matris, hortatur eum, ut potius ceteram Alexandri constantiam, quam hanc in lugendo mollitiem imitaretur. *Idem.*

Medicum suspendi] Plin. XXIX. 1. 26. hoc non meminerit. Alt enim, 'Nulla lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ,' &c. Sed fortassis suum tantum ævum respicit. Medici nomen fuisse 'Glaucias,' ex Arriano VII. 3. 11. discimus. Plut. cap. 123. 'Glaucum' vocat. Illud autem *suspendi*, de cruce intellige; collatis quæ reperies sup. ad IX. 8. 16. *Idem.*

§ 12 *Luctum continuavit*] Rectius, *diem atque noctem luctu contin.* Sed de his, quando Curtium non habent auctorem, solliciti non sumus. Ceterum Polyæn. IV. 3. 31. Arrian. VII. 3. 19. et reliqui scribunt, Alexandrum, ad minuendum luctum, Cossæorum terram subegisse. Nimirum 'negotia

Digitized by Google

ligentior fuisset, suspendi jussit. Super amici corpus exanime ejulans procubuit, vixque inde ab amicis abstractus est. Diem atque noctem luctum continuavit. 13. Aliaque nonnulla feruntur, quæ quidem ego minime credo. Illud tamen verum est, quod Alexander Hephæstioni, tamquam Heroi, sacrificari jusserit. In funus atque monumentum ei faciendum plusquam duodecim mil-

pro solatio' fuere, ut est apud Tacit. IV. 13. 1. Adde Platon. Menexeno, Tom. II. pag. 248. C. *Idem.*

§ 13 *Alia nonnulla*] Qualia enumerat Arrian. VII. 3. 9. &c. Ubi post alia cum Plutarcho cap. 123. et Ælian. VII. 8. scribit, inter cetera mœstitiæ signa jussisse, non homines modo, sed 'equos et mulos etiam tonderi;' quod etiam in Masistii morte Persas fecisse narrat Herodot. IX. 24. et Plutarch. Aristide cap. 29. et in Pelopidæ nece Plutarch. in Vita cap. 61. Turcarum equi prosequuntur heroum funera versis instrati sellis. Spandugin. apud Sansovin. dell' Orig. de' Turchi fol. 131. Alexandrum etiam jussisse 'passim incendi Æsculapii fana,' Arrianus ibid. et in Epictetum II. 22. tradit. Exprobrasse casum illum Æsculapio apud legatos Epidauriorum Arrian. VII. 3. 13. narrat. 'Muros Ecbatanorum arcis evertisse,' Ælian. VII. 8. *Idem.*

Sacrificari jusserit] Describit eam rem præter auctores Hist. Alexandrinæ, Lucianus, in 'calumniæ non temere credendum,' non minus elegante, quam copiose: 'Apud Alexandrum gravissimi criminis reus fiebat, qui colere et adorare Hephæstiona nollet: nam posteaquam is vivis excessit, amore victus Alexander effuso animo ad reliquam funeris magnificentiam additum voluit, ut mortuus inter Deos Hephæstion haberetur. Continuo ei templa civitates pleræque dicarunt, delubra condiderunt, aras, sacra, ferias novo deo sanxerunt. Jusjurandum omnium religiosissimum Hephæstionis nomine fuit. Capitale erat, si quis hac parte vel contaretur, vel neglectim coleret. Hic eviratus affectus, hæc vesania, fuit adsentatoribus occasioni accendendi inflammandique regis. Narrabantur insomnia, visæ Hephæstionis umbræ, prædicabantur illius responsa. Denique aræ et sacra dicata sunt familiari et malorum vindici Deo. Proinde cum his Alexander initio mire oblectaretur, tandem ita captus est, ut fidem quoque adhiberet, gloriareturque, quod non modo Diis genitus esset, sed Deos quoque ipse faceret. Quo tempore quantum putamus amicorum Alexandri afflixit Hephæstionis divinitas?' Subjicit deinde de Agathocle Samio memorabile exemplum, ob eam rem valde periclitati. Eamdem insaniam insanivit in Antinoo suo Hadrianus, de quo præter alios multos Theodoretus lib. VIII. de Martyribus ita: 'Hadrianum Imp. Rom. ferunt puerum Antinoum in Deos retulisse, temploque illi exstructo omnibus imperio Rom. subjectis, ut divinis honoribus eum prosequerentur, edixisse.' Tertullian. lib. II. ad Nationes, eam rem acerbe exprobrat gentilibus. *Idem.*

In funus] Quod late describit Diodor. XVII. 115. ubi itidem 12000. talentum constitisse traditur, adsentiente Justino XII. 12. 12. Nam Plutarch. cap. 24. et Arrian. VII. 3. 15. rotundiore myriadis numero, decem tantum millia talentum numerant: quod pretium exacte supputat Georg. Agricola lib. III. de Pretio veterum

Digitized by Google

lia talentorum impensa sunt. 14. Revertenti Babylonem Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babylonem ingrederetur. Profectionem enim ejus per id tempus vitæ periculum ei portendere. 15. Quibus spretis, quo destinaverat ire pergit. Nuntiabatur enim ei, legatos ex diversis terrarum orbis partibus undique Ba-

monetarum, Ungaricorum 5090909. duodenarios tres, duplum unum, simplum unum. *Idem.*

§ 14 *Ne Babyl. ingrederetur*] Ex hac historia nata est apud Senec. Suasoria IV. unde multa peti possunt huc facientia. Meminit et Appianus lib. II. Civilium. *Idem.*

Vitæ periculum portendere] Quam rem variis etiam ominibus testatam ferunt. Inter quæ Nicephor. Gregor. fin. lib. X. scribit, 'triremi conscensa, e capite excidisse regium capitis tegumentum circa medium fluvium, quod unus aliquis a nautis cito accepit natans, et id manu ferre simul et natare non potis, capiti suo imposuit, enatavit, ad regem attulit. Rex ei, quia regium capitis decus servarat, talentum dedit; sed quia capiti suo imposuerat, hominem capite mulctat.' Sed Gregoras fabellam narrat nullo certo auctore, ait Cæs. Bulengerus. Imo Diodor. XVII. 116. idem tradidit; et Arrian. VII. 3. 23. ab omnibus fere Alex. historiæ scriptoribus proditum innuit. Sed et 'cum mœnibus Babylonis propinquasset, corvos inter se dimicantes coram eo concidisse,' Plutarch. Alex. cap. 124. et Zonaras narrant. Somnio quoque præmonitum ferunt, ut a Cassandro caveret; Val. Max. I. 7. 2. ext. vide. Valde suspicor ad hæc tempora pertinere, quod ex Nicandro refert Athenæus XV. 9. 'Apud Coos e statua Alexandri enatam fuisse, quam vocant Ambrosiam;' id enim significare videbatur, ipsum dehinc vitam cum immortalibus acturum. Plura apud ordinarios auctores, quæ quia per se manifesta, raro monemus. Fabulam autem putamus, quæ de arboribus in India fatidicis, commentitia Alexandri Epistola, aliique nugatores garriunt. *Idem.*

§ 15 *Quibus spretis*] Præcipue confirmatus a philosophis, isthæc elevantibus, et contemnenda judicantibus. Diodor. XVII. 112. Sic apud Marcellin. 23. 12. Hetrusci aruspices, qui leonem occisum Juliani mortem portendere significabant, 'calcabantur philosophis refragantibus, quorum reverenda tunc erat auctoritas, errantium subinde, et in parum cognitis perseverantium diu.' *Freinsh.*

Legatos undique] Quod merito felicitatis argumentum esse Paschalius Legati cap. 86. affirmat, et aliquot exemplis illustrat. Ceterum Diodor. XVII. 113. explicat causas harum legationum, ut et Arrian. VII. 3. 21. ubi etiam disquiritur, an et Romani in iis fuerint. Oros. III. 20. (in quo et ridiculo mendo 'Hispanus Maurinus,' pro 'Hisp. et Maurus') ex 'plurima parte Italiæ' venisse tradit: Justin. XII. 13. 1. 'nonnullas quoque ex Italia.' Liv. IX. 18. 5. studio extollendi Romana temere videtur prolapsus, ut diceret, 'Alex. M. ne fama quidem populo R. cognitum fuisse.' Quod tamen persuasit Viro Magno in notis ad Lampridium. Verum 'ex iis, qui de Alexandri rebus gestis scripserunt, Aristus et Asclepiades' legatorum Rom. expressam mentionem fecerunt apud Arrianum. Quibus addi potest Clitarchus apud Plin. III. 5. 30. Hispanos quidem et Gallos Babylonem tum misisse, ait Hist. Miscella VII. 14. ex Orosii VI. 21. loco notabili: ubi cum Alexandri

Digitized by Google

bylonem confluxisse, ejusque adventum expectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctæ gentes, velut destinato sibi Regi, adularentur. 16. Igitur tamquam conventum universi orbis acturus, Babylonem pervenire festinabat. 17. Quo cum venisset, legatos omnes benigne susceptos domum remisit. Iisdem fere diebus convivium apud Thessalum medicum institutum

gloria comparat Augustum, itidem longinquis remotissimarum gentium legationibus aditi. Adde Vitam Ludewici Pii, ex Annal. Pithœi, pag. 366. Ceterum ut ex istis legationibus, ceteraque frequentia Babylonem tum confluentium immensas opes sibi comparaverit Antimenes Rhodius, apud Aristot. lib. II. Οἰκονομικῶν perscriptum habes. *Idem.*

Ut cunctæ gentes] Hæc quoque ex Justino ad verbum desumpta. Excipiuntur tamen Romani, multorum vindiciis: utique vero Arabes, quamquam vicini, quos ideo bello aggredi meditabatur, 'quod soli ex omnibus gentibus legatos ad eum non misissent,' ut tradit Strabo lib. XVI. post pr. et in fine, cum Arriano VII. 4. 6. *Idem.*

§ 17 *Legatos omnes*] Quos quo ordine audiverit, enarrat Diodor. XVII. 113. Athenæus XII. 9. tradit 'in hortis ipsi statutum fuisse aureum solium, et lectos argenteis fultos pedibus, in quibus sedens cum amicis legationibus responsa dabat.' Simile quoddam de ordine audiendi de Carolo Magno Silvius ex Blondo II. 1. 'Conventum in Aquisgrano habuit, in quo ante omnes monachum audivit, qui a Hierosolymorum patriarcha munuscula quædam attulerat: deinde Adzani Hostensis Hispaniarum urbis præfecti nuntium, qui, ipsam dedens urbem, præfectum et Saracenos omnes illam inhabitantes Christianam fidem accepisse renuntiavit. Tertio loco Danielem Michaëlis Siciliæ præfecti legatum,' &c. *Idem.*

Convivium] Alexander Babylone sedem imperii collocare destinaverat, 'videns eam et magnitudine, et rebus ceteris excellere;' ut ait Strabo lib. XV. Ibi ergo dum esset, variis oblectamentis animum recreare, opumque magnitudinem ostentare cœperat. Prætereo 'thronum aureum,' varieque gemmatum effigiatumque, in quo 'titulus sequens et Græcis, et (nequid ad fidem deesset) Latinis literis sculptus inhærebat: 'Ortus et Occasus, Aquilo mihi servit et Auster;' quem ex historia fabulosa fabricavit Guido Bituricensis in libro exemplorum: versu scilicet efficto ad eum, qui in Siculi regis Roberti gladio legebatur: 'Apulus et Calaber, Siculus mihi servit et Afer.' prætereo itidem ejusdem farinæ alia. Illud constat, ex toto fere orbe varii generis artifices ad eum venisse, et ingentia munera promeruisse. Quo tempore et ridiculum illud accidisse puto, quod Maximus Tyrius narrat Dissert. XIX. venisse Babylonem Ionem quemdam, qui 'offulas parvas rotundasque, quas in hunc usum fecerat, tam certo ictu in mucronem acus ex distanti loco dirigebat, ut numquam ab acie ejus aberraret.' Ait venisse παρὰ τὸν μέγαν βασιλέα, *Ad magnum regem.* Id non de Persarum rege, sed Alexandro, accipiendum apparebit ex Quinctiliano II. 20. 5. ubi itidem de hac μεγαλοτεχνίᾳ mentio habetur. Præcipue autem frequenter per eos dies convivatus est, 'centum quotidie minas impendens,' ut apud Athenæum IV. 10. Ephippus scribit. Adde Athen. XII. 9. pag. 537. Tum et instituta 'melomachia,' apud eumdem VII. 1. Conviviis autem otium non

Digitized by Google

est, ad quod Rex quoque cum sodalibus vocatus venit. 18. Ibi nondum Herculis scypho epoto, repente, velut telo confixus, ingemuit. Elatus e convivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret. 19. Amici caussam morbi intemperiem ebrietatis divulgarunt; revera autem insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater enim præparatum venenum Cassandro filio, qui cum fratribus Philippo et Iolla Regi ministrare solebat, dederat, præmonito eo, ne aliis quam Thessalo et fratribus crederet. 20. Philippus itaque et Iollas, potum Regis prægustare soliti, in aqua frigida venenum habentes, eam prægustatæ potioni Regis supermiserunt. Quarto deinde die, cum milites partim mortuum suspicarentur, idque celari crederent, partim ejus desiderium ferre non possent, mœsti sese in regiam contulerunt, ut sibi Regis videndi copia fieret orantes, atque a custodibus ex mandato Regis intromissi sunt.

esse terendum Imperatori, ostendit Facius in Polit. Liviana errore 33. Turpius autem illud fuit, quod 'certamen' etiam 'et præmium proposuit potandi meri.' Plutarch. cap. 119. Quod tamen apud eos, quibus utilis videtur fallacia Christianum vocari, hodieque non rarum esse, merito dolet Latherus de Censu I. 10. 41. Lege et Athenæi X. 10. De Culeno Scotorum rege prodit etiam Boëthius lib. XI. 'Ludos' ejusmodi 'potatorios' instituisse. *Idem.*

Thessalum Medicum] Lege, *Thessalum Medium*, Μήδιος nomen erat homini; Thessalia patria. Indicavimus hunc errorem jam sup. III. 13. 1. eoque in nomine locum Arriani emendavimus. Hausit hæc homo, quisquis fuit, ex Justino XII. 13. 7. ubi mendum hoc pridem sustulit Leopard. Emend. XVII. 10. m. Larissæum autem fuisse, ut in Arriano correximus, etiam Strabo auctor est lib. XI. 'Ab Armeno nomen habere Armeniam affirmant Cyrsilus Pharsalius, et Medius Larissæus, qui cum Alexandro militarunt.' Eum inprimis fuisse solitum cum Alexandro compotare, Plutarch. de Animi Tranquill. cap. 22. memorat, et de Sanitate Tuenda cap. 8. ubi itidem in quibusdam exemplaribus editur *Medicus*. Etiam Zonaras in hoc nomine corrigendus, qui Μηδίαν vocat. Summum adulatorem fuisse testatur Plutarch. de Adul. et Amici Discr. cap. 51. cum quo familiariter ceteroqui versatus, in ultima sibi valetudine tesseris quoque lusit. Idem de Fort. Alex. II. 14. Μήδειον appellat Athenæus X. 9. ubi et convivium hoc describitur. *Freinsh.*

§ 18 *Herculis scypho*] De quo plura Dempsterus in Rosini Antiquit. V. 30. ex variis auctoribus. Quibus addé Lipsium ad Senecæ Epist. LXXXIII. 32. 'Alexandrum intemperantia bibendi et ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.' Et Tiraquell. ad Alex. ab Alex. III. 10. Athenæus X. 9. tradit, poculum, quod ultimum ebibit Alexander, duos congios cepisse. *Idem.*

§ 20 *Prægustatæ potioni*] Sic apud Tacit. XIII. 16. 3. 'Innoxia adhuc (ac præcalida) et libata gustu potio traditur Britannico: dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua

Digitized by Google

adfunditur venenum.' *Idem.*

Cap. v. § 2 *Dignum talibus viris regem*] Intererat sensus non omitti signum interrogationis, quod omnino addi debere certum ex Justino XII. 15. 5. Ita apud Vell. Paterc. II. 14. 3. Livius Drusius 'cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mœrentiumque frequentiam, effudit vocem, convenientissimam conscientiæ suæ: Ecquando, inquit, propinqui, amicique, similem mei civem habebit respublica?' Sic apud Sueton. 99. 4. Augustus 'amicos admissos percunctatus' legitur, 'Ecquid iis videretur mimum vitæ commode transegisse?' *Freinshemius. Invenietis dignum regem*] Interrogative; quia Justin. XII. 15. 'videanturne similem sibi repertari regem?' Cum ipsa quæstione conferri possunt ultima Livii Drusi verba apud Vell. Pat. II. 14. 'Ecquando propinqui amicique similem mei civem habebit respublica?' *Cellarius.* Forte, *ubi*; vel, *an invenietis*; vel, *ubinam*; vel, *utinam.* Paterc. II. 14. 'Ecquando similem mei quem inveniet resp.?' *Heins.*

§ 3 *Incredibile dictu*] Miratur et Val. Max. V. 1. 1. ext. 'Quamquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam oculari non curreret, quæ, jam fato oppressa, maximi exercitus complexui humanitate quam spiritu vividiore suffecit?' Ceterum qui ad eum salutandum ingressi erant, transibant, aliaque janua egrediebantur. Lucianus Pseudomant. 'Eratque e regione janua patefactum aliud ostium ad exeundum: cujusmodi ægrotante Alexandro Macedonas in Babylone fecisse ferunt: cum illi gravissime affectum ipsum obsessa regia intueri, et supremum alloqui, cuperent.' *Freinsh.*

Illo ad ultimum] Significantius Mss. *illud ultimum*, ut Artabazus V. 12. 8. 'ultimum illum visurus;' et sic Latini, quod videtur adprobasse Nob. Heinsius, qui ad marginem adscripsit locum Ovid. Epist. XIII. 14. 'Vix illud potui dicere triste Vale.' *Snak.*

§ 4 *Detractum anulum*] Apud veteres anulum morientibus aliqui propinquorum digito detrahebant. Plin. lib. XXXIII. 'Morientibus anuli detrahuntur, majorque vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit.' Cui autem moriens detractum anulum traderet, etsi non voce nuncupatus, consensu tamen heres institutus censebatur. Curtius paullo post de Perdicca, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. Judicatum autem ab eo optimum Perdiccam, cui anulum tradidisset: anulus vero digito delapsus imminentis mortis omen erat. Spartian. in Hadr. 'Signa morientis hæc habuit. Anulus, in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est.' Dissentiunt vero hic auctores. Curtius refert Alexandrum detractum anulum digito, quo ille regni atque imperii vires obsignare erat solitus, Perdiccæ dedisse, 'adjectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri juberet.' Justinus Alexandrum 'sexta die præclusa voce exemptum digito anulum Perdiccæ tradidisse, et in concionem protulisse.' *Popma. Detractum anulum digito*] Consentit Lucian. in Dial. Diogenis et Alexandri: Dexippus apud Eusebium: Justinus, et reliqui. Prohus in Eumene: 'Alexander moriens anulum suum dederat Perdiccæ, ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent.' Ex hoc actu, et aliis exemplis, observat Kirchman. in Cancellario IV. 2. 6. priscos principes sigilli sui custodes ipsos fuisse. Hereditatis autem transmissæ indicium id habitum, ex Val. Max. VII. 8. 5. 8. et 9. Casaubonus ad Sueton. Aug. 94. 18. tradit, putatque id caussæ fuisse, cur Tibe-

Digitized by Google

rio morienti Caius anulum adimeret, apud Sueton. 73. 4. Quod nec analogia privati juris caret, ut scilicet ita videretur totius patrimonii jus traditum, quomodo 'clavibus traditis mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur,' l. 74. de Contrah. Empt. Ergo Alexandri exemplo Masinissa Micipsæ maximo natu filiorum, Supplem. Liv. xv. 18. et Augustus undecimo consulatu ægrotans, 'Agrippæ anulum porrexit,' apud Zonaram. Vide Kirchmann. de Anul. cap. 22. Apud Saracenos idem obtinuit: unde 'anulus Chalifatus' legitur apud Elmacin. II. 7. in cæde Alamini. idque 'signum esse principatus apud Agarenos,' ait Constant. Porphyrog. de Administr. Imp. cap. 21. Sane vetustissimis temporibus, quem loco sibi proximo viventes etiam esse Reges volebant, ei dabant anulum digito suo detractum, ut de Pharaone legimus Genes. XLI. 42. de Ahasuero VIII. 2. Et hæc quidem est communi scriptorum calculo tradita narratio. Testamenti tamen mentionem nonnulli faciunt: agnoscitque Marcellin. XXIII. 17. 'testamento nationem omnem in successoris unius jura translatam;' idque Rhodi depositum fuisse tradit Diodor. XX. 82. et ex eo divisionem provinciarum factam, Excerpta Chronologica Latino-barbara adjuncta Eusebio pag. 58. et 64. Quomodo alia quoque regna testamento translata scimus. Vide Tholos. de Rep. VII. 12. Sed ex hagiographis Machab. I. 1. 7. 'divisisse regnum suum' dicit, 'cum adhuc viveret.' Ceterum hunc Perdiccam cum alio nominis ejusdem Macedoniæ rege mire confundit Jornandes de Reb. Geticis cap. 10. 'Adversus Perdiccam Macedoniæ regem, quem Alexander, apud Babyloniam ministri insidiis potans interitum, Atheniensium principatui hereditario jure reliquerat successorem.' Testamentum autem ab Alexandro factum negant et hæc Lucani X. 43. 'Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem, Abstulit imperium; nulloque herede relicto Totius fati lacerandas præbuit urbes.' Inf. X. 10. 5. *Freinsh.*

Ad Hammonem ferri] Quo quum Perdiccas portaturus esset, eripuit in Ægypto Ptolemæus, et in sua provincia deposuit. Strabo lib. XVII. Curt. X. 10. *Cellar.*

§ 5 *Respondit, ei qui esset optimus*] Dissentiunt auctores Græci et Latini in hoc Alexandri responso. Diodor. scribit illum respondisse ἀρίστῳ, Arrian. κρατίστῳ, Curtius *optimo*, Justinus *dignissimo*, e quibus meo judicio quidem Arrianus utitur verbo maxime apto ad sententiam Alexandri: a qua Justinus longissime abit. Diodorus et Curtius ad eam proxime accedunt, si intelligatur *optimus*, ut dixit Homerus ἀγαθὸς βασιλεύς. Sallustius, 'bonus imperator,' id est, 'fortis.' Cum enim Alexander provideret, fore, ut grave et cruentum certamen de regno oriretur, cujus victoria potentiori tandem cederet, respondit se regnum relinquere fortissimo, vel potentissimo. Illud autem funestum certamen appellavit *funebres ludos*, quoniam illo Macedones mortuo sibi parentaturi essent, perinde ac defunctis solebant fieri ludi funebres, in quibus gladiatorum sanguine parentabatur, ut ex Homero, Virgilio, et aliis constat. Arrianus dixit, μέγαν ἐπιτάφιον ἀγῶνα, *magnum sepulcrale certamen*. Popma. Curiose inter has voces distinguit Popma, cum eodem recidant. *Locc. Qui esset optimus*] 'Non volebat dicere, se heredem constituere, qui maxime dignus imperio foret: sed regnum suum fore in potestate occupantis, fortioris scilicet,' Nicol. Loënsis Miscell. Ephil. v. 18. ubi ostendit *optimum* esse ἄριστον. Diodoro XVII. 117. et XVIII. 1. 'qui nempe bello sit optimus:' male autem *dignissimum* reddidisse Justinum XII. 15. 8. ubi So-

Digitized by Google

ceri mei notam vide. Loccenius ait, omnes istas voces eodem recidere, nec sane multum interest: nisi quod interpretatione sua Justinus ostendit, se verum ejus vocis sensum non percepisse. *Freinsh.*

Providere jam se] Vulgo, *prævidere jam*. Modius.

Funebres ludos] Bella civilia ad internecionem post mortem Alexandri inter duces gesta. Respexit Curtius ad Romanum morem, quo in funeribus gladiatores ad rogum dimicabant. Vide Lips. Saturn. I. 8. *Cellar.*

§ 6 *Exstinguitur*] Dum duodecim annos regnasset, ut docent oracula sacra Machab. I. 1. 8. S. Hieronymus ad II. Daniel. Tertullian. contra Judæos cap. 8. non plures numerant, nec mensem addunt. Addit annis XII. Sicul. XVII. 117. menses septem: item Olympiadum descriptio in Olymp. 114. anno primo: Lamprid. in Alexandro cap. 5. (ubi Casaubonus) eo die decessisse ait, quo Alexander Severus est natus. Jo. Georg. Herwartus signat ex Lampridio Cal. Octobris, quas Lampridius non expressit. Arrian. VII. 5. 17. vitæ annos XXXII. menses VIII. regni an. XII. menses VIII. tribuit. Probus in Eumene. Liv. IX. 19. 10. et XLV. 9. 3. annos XIII. Cic. Philipp. v. 17. vitæ annos XXXIII. assignat: quibus Justin. XII. 16. 1. mensem addit. Eusebius XXXII. dat ætati, duodecim imperio. Clemens Alexandrin. lib. I. XVIII. (XII.) Nicephorus Constantinop. dat illi annos vitæ XXXV. vel XXXVI. quod omnino falsum est, inquit Andr. Schottus. Habet tamen suffragatorem Taricium Mircondum in Persicis, qui 'Vixit triginta sex annis, regnavit septendecim.' Chronic. Alexandrinum XXXII. annos vitæ duntaxat dedit. (Item Hieronym. in Daniel. cap. VIII. et XI.) Noster Salianus ostendit Alexandrum obiisse anno Mundi 3730. Sextæ ætatis 214. Anno imperii Asiæ 7. regni 13. Jaddi pontificis ultimo, Olymp. CXVI. Anno 1. Archonte Hegesia, Urbis Cond. 429. Dictatore L. Papyrio Cursore, Mag. Eq. Q. Fabio Max. Rutiliano, et mox L. Papyrio Crasso sine Coss. Ante Christum natum 323. Cui velut exactissimo Chronologo libenter subscribimus, præsertim cum sententiam multis rationibus et testibus confirmet. *Raderus.* A. Gell. XVII. 21. Alexandri regnum includit annis undecim. Porphyrius apud Euseb. duodecim: cum quo consentit supputatio Clementis in I. Stromatum, et Hieron. ad cap. II. Danielis. Buntingus computat 'vixisse præcise annos XXXII. menses X. et dies XXII. mortuum 9. die Junii, si annos Julianos retro cogitemus, die Saturni. Anno Mundi 3646. ab Urbe Cond. 430.' Funccius et Chytræus obitum ejus ponunt ad an. U. C. 428. Bucholcerus et Beroaldus ad an. 429. adsentiente Censorino cap. 21. Sleidanus de Quatuor Monarch. 409. Nicephori Patriarchæ Chronographia tribuit illi ætatis annos XXXV. aut secundum alios XXXVI. imperii XVIII. Plutarch. Sympos. 8. 1. refert eodem die excessisse, quo et Diogenem: quod itidem narrans Laërtius subjicit, 'Erat autem senex Olympiade CXIII.' Ridicule; quid enim hoc ad rem? Sed fefellit interpretem scripturæ vitium: ἦν δὲ γέρων κατὰ τὴν τρίτην, κ. τ. λ. Ὀλυμπιάδα· cum legendum sit ἦν τοιγαροῦν. Nempe reperto Alexandri et Diogenis obitum in unam diem incidisse, ex notiori casu tempus ignotioris quoque reperit. Idem notarunt Ὀλυμπιάδων Ἀναγραφή, et Suidas Διογένης; ut tamen in tempore non omnino consentiant. Ait Bizarus Hist. Pers. lib. II. a veteribus memoriæ proditum, illum, qua die in lucem editus fuit, eadem vita functum esse: docet deinceps eam fuisse VI. Thargelionis: exstinctum fuisse 4. Cal. Quintiles; quod etiam notat Reusner. in Diario Historico. Adde Æli-

Digitized by Google

an. Hist. Var. II. 25. Reliqua petiisse videtur Bizarus ex Chronolog. Mercatoris, ubi vide. Scalig. de Emend. Temp. lib. I. constanter affirmat decessisse Alexandrum feria quinta XXV. Julii. Ceterum 'inter omnes (certe præcipuos) constat anno vitæ trigesimo tertio eum obiisse,' Salmasius ad Solin. cap. 40. ex Josephi lib. I. adversus Appion. Non igitur immerito Scalig. ad Euseb. MMCCLXII. dicit 'diem obitus Alexandri doctis ignorari;' cum in tot sententias diversi abeant: ex quibus eligat quivis, quam maxime probandam putet. Certum est, ut apud Tac. II. 73. 2. dicitur, obiisse 'haud multum triginta annos egressum:' ob quam rem inter alias ibi comparatur Germanico. Sed et patrum memoria multi egregii principes, ut est nunc sæculi captus, intra id spatium exspiraverunt. Continuat. Sleidani lib. XXXII. vide. Mihi inanem rerum humanarum pompam, et fugacissimæ felicitatis brevem umbram considerranti, valde nunc animo obversantur illa Chrysostomi *εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου*, λογ. ς'. *Οὐδεὶς βασιλέων ἠπῆρξεν ἀθάνατος, οὐδεὶς τὸ κοινὸν τέλος ἐξέφυγε, πάντας μεθίστησι θάνατος, ὁς δεσπότης· πάντας λογοθετοῦσιν οἱ σκέλητες· οὐδεὶς βασιλέων τὸν τοῦ ᾅδου πυλῶνα διέφυγε· πάντας κρατεῖ, πάντας ἐν τάφοις φρουρεῖ· οὐδεὶς ἀκείνου ὑπερῆλλατο δίκτυα, οὐδεὶς τὰς ἀκείνου παγίδας ἐξέφυγεν.* *Freinsh.*

§ 8 *Tenere potuerunt*] Libri excusi: *nec se ipsos intra vestibulum regiæ retinere potuerunt: vagique et furentibus similes totam urbem*, &c. non æque recte. *Modius.*

§ 9 *Macedones optimum*] Membranæ, *Macedones aptissimum*; verum parum apte. *Modius.*

§ 10 *Invidia Deum*] Vide Gruterum ad ista Livii X. 13. 6. 'Fortunam ipsam vereri, ne cui Deorum nimia jam in se et constantior, quam velint humanæ res, videatur.' *Freinsh.*

§ 12 *Macedonia profecti*] Cogitandum, an sic scripserit Curtius: sequitur enim, *destitutos se*, cui cohæreret rectius, si legeretur, *Macedonia profectos ultra*, &c. Scheff.

Ultra Euphraten] [Vid. Not. Delph.] Hæc iisdem verbis exscripserat Cellarius. *Snak.*

Cernebant] Habeo pro glossemate: quo genere injuriæ præ ceteris contaminatus est Curtius. *Freinsh.* Recte delent hoc *cernebant*. Cetera quoque sic distinguenda videntur, *destitutos se esse: sine certo regis herede regni vires ad se quemque tracturum.* Quæ præter ista leguntur in vulgatis, glossatorum esse videntur. *Scheff.*

Sine herede regni] Suffecerat hoc, aut illud, *sine certo regis herede.* Certe utrumque conjunxisse non videtur Curtius. *Freinsh.*

§ 15 *Certiora visuri*] Forte, *certamina.* Sebisius. Non assentior: prospectabant tamquam visuri auditurive certiora de morte regis, quam, ut solet in ejusmodi affectibus, quia non putaverant tam cito adfuturam, jam etiam cum advenisset, vix poterant credere. *Freinsh.* *Certiora visuri*] Forte, *aucupaturi*; vel, *audituri.* Virg. 'vocemque his auribus hausi.' *Heinsius.*

§ 17 *Comis suo more*] Hæc dexterrime, ut alia omnia, emendavit ita, cum antea legeretur *commisso more*, Palmerius meus. *Modius.* *Comis detonsis*] De hoc more Brisson. de Regno Pers. lib. III. Alexander ab Alex. III. 7. et ibi Tiraquellus, Pontan. pr. Annotat. ad Progymnasma 58. lib. IV. Vide inprimis Kirchman. de Funer. Rom. qui omnem istum apparatum lugubrem fuse exponit: et quæ observat Gronovius ad Statium Silv. cap. 54. In sacris quoque literis ejus moris exempla et vestigia sunt, Jobi I. 20. et Esaiæ XV. 2. Confer luctum ob mortem Germanici in Sueton. Calig. v. 3. *Freinsh.*

Adsueti sub rege] Inde, 'suetus re-

Digitized by Google

gibus Oriens,' apud Tacit. Hist. IV. 17. 7. Plutarch. Anton. cap. 18. Orientales vocat 'homines servire adsuetos, et regnari quærentes.' Vide Florum II. 20. 3. *Freinsh.*

§ 19 *Abscissa veste*] De scissione vestium P. Faber fusius Semestr. II. 10. *Popma.*

§ 20 *Ex neptibus*] Arrian. VII. 1. hanc vocat 'Drypetin.' *Freinsh.*

§ 23 *LXXX. fratres*] Glareano suspectus est hic numerus, cum Val. Max. etiam centum et ultra numeret IX. 2. *Loccenius.*

Ocho savissimo] Ochus cognomento Artaxerxes 'sævitia et atrocitate,' ut Plut. in Vita cap. 49. ait, 'omnes superavit;' qui 'regiam cognatorum cæde et strage principum replevit.' Justin. X. 3. 1. Ocham sororem, atque eamdem socrum vivam capite defodit, et patruum cum centum et amplius filiis ac nepotibus eodem die interemit. Vide Val. Max. IX. 2. 6. ext. Ælian. Hist. Var. VI. 8. Athenæum IV. 10. et Diodor. XVI. *Popma.* Vide et Reineccium tom. II. *Freinsh.*

Unum superesse] Oxathrem scilicet, inter amicos ab Alexandro receptum. III. 11. 8. VIII. 5. 40. *Loccenius.*

§ 24 *Accidentes genibus*] Alii, *assidentes genibus suis;* quod tamen minus probo. *Modius. Accidentis*] Hoc est, procidentes ad genua ejus, exorandi scilicet causa, ut ipsorum miserta cibum caperet. Vulgo *adsidentes*, male: correximus ex Mss. excerptis. *Freinsh. Accidentis*] Sic antique scriptum, pro *accidentes;* debet enim ad neptem nepotemque referri. *Scheffer.*

§ 25 *Erubuit*] Noluit, ducta pudore, ne sibi dedecori foret minoribus parere: simile est illud Flori II. 6. 17. 'Paullum puduit, Varro non desperavit.' *Snak.*

§ 27 *Vis incredibilis animi: laboris patientia propemodum nimia*] In animo habuisse Nostrum et respexisse illa Sallustii Catil. cap. 5. 'Vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat,' notat vir Doctissimus J. Wasse ad illum locum, qui tamen ei nonnihil suspectus est. *Snak.*

§ 28 *Liberalitas*] Cujus testes Laërtius in Xenocrate: Fulgos. IV. 8. 1. cap. de Liberalitate, cujus principatum Alexandro tribuit: Plutarch. Apophth. cap. 87. Phocione cap. 120. Alex. cap. 70. et de Fort. I. 14. 2. 1. et 4. continuator Sleidani lib. XVI. (studiosorum enim utilitati inserviens, novos etiam auctores nominare non fastidio; ut qui delectum librorum habere non potest, utatur eo, cujus copia offertur; præsertim ubi similia exempla congeruntur: quæ tamen eo loco leguntur, deprompta scias ex Camerar. Subcisiv. I. 4. et II. 55.) Ælian. Hist. Var. I. 25. Marcellin. XXV. 14. Imp. Julianus id aliquoties prædicavit, 'Alexandrum Magnum ubi haberet thesauros interrogatum, apud amicos, benevole respondisse.' Dictum id alludere videtur Martialis V. 43. ubi Raderum vide; et Piccardus Decade XIV. 6. Observat. Cœlius VII. 28. et XIII. 33. Sextus Empiric. contra Mathemat. cap. 17. Val. Max. IV. 3. 3. et IV. ext. Sen. de Benef. II. 16. Guido Bituric. in Exemplis: Schönborn. Polit. II. 38. Patric. de Regno VII. 11. aliique passim. Quæ fama pellexit sophistam illum, quem A. Gell. XVII. 21. explodit, ut liberalitatem a nescio quo in Carneadem collatam non ab alio quam Alexandro profectam crederet. Quare memoria labi Raderum ad Martial. VI. 10. putem, ubi ait Alexandrum mendico stipem negasse; ei tribuens, quod Antigono Senec. de Benef. II. 17. 1. Vix enim reperias Alexandrum quidquam cuiquam denegasse, qui dignus beneficio videretur. Cum igitur suæ magnanimitatis hunc fructum tulerit Alexander, ut etiam ab illis, ad quos ex

Digitized by Google

ejus liberalitate nihil pervenit, tantis feratur laudibus; merito nostræ etiam Musæ deprædicandis eorum virtutibus gaudent, quorum beneficia sensimus. *Freinsh.*

Quam a Diis petuntur] Video sic locum posse explicari, ut tribuerit majora, quam quisquam eorum, qui accipiebant, ausus esset petere a Diis. Quia tamen sententia profertur generaliter, cogitandum forte, an non scripserit, *quam a piis petuntur*, id est, iis, qui amant regem, nec exhaustum eum cupiunt per ejusmodi liberalitatem. Certe alias non scio, quid non homo avarus atque inexplebilis petere a Deo, vel, ut Noster loquitur, a Diis non audeat. *Scheff.*

§ 29 *Gloriæ cupido*] De qua Val. Max. VIII. 14. 2. ext. Lucian. citato loco supra in scriptor. Hist. Alexandr. voce 'Onesicritus.' Simocatta IV. 13. Dio Chrysost. Orat. IV. Philo lib. II. de Cherubim: Sen. Suasor. I. Philostrat. II. 4. Maxim. Tyr. Dissertat. 19. Qua de causa optavit sibi plures mundos, quos subigeret. quo forte trahi possit Sen. de Benef. 7. 2. et Epist. 91. 23. Vide Glycam: Ælian. Hist. Var. IV. 29. Plutarch. de Animi Tranquill. cap. 6. et Cedrenum. Quam ejus cupiditatem merito miratur Augustus apud Plutarch. Apophth. cap. 46. *Freinsh.*

Admittenda rebus] *Nec amittenda rebus*, quædam membranæ. *Modius.*

§ 30 *Olympiada*] Quam carissimam ipsi fuisse, præter alia docet Curtius III. 6. 15. ubi medicus, ejus nomine sæpius ingesto, vitales ægroti spiritus excitat: quomodo et Fabianus apud Sen. Suasor. 1. idoneum locum censet, unde argumentum dissuadendi, ne Oceano se credat, sumatur: 'Memento Alexander, matrem in orbe victo adhuc magis quam pacato relinquis.' Item Cestius ibidem. Ejus igitur caussa etiam cum patre simultates exercuit: Arrian. III. 1. 24. omniaque deinceps illius impotenter facta tulit; quamquam sentiret esse prægravia. Idem VII. 8. 33. *Freinshemius.*

Philippum ultus] Quæ tamen ultio non tam ex pietate profecta creditur, quam ad suspicionem (nam ipse paternæ necis particeps habebatur) diluendam: vel etiam ne cuiquam regem occidisse impune foret. Quod imprimis regibus esse cordi prudenter monuisse Sigismundum Imp. viduam quamdam Hungaram, in cujus arce conspiratione procerum nonnullorum captivus detinebatur, scribit Æn. Sylvius de dictis Alphonsi lib. III. Vide et sup. ad v. 13. 28. *Idem.*

§ 31 *In amicos benignitas*] Hephæstion apud Photium Cod. CXC. de Alexandro rege commemorat, 'dum Ephesi Palamedem per dolum occisum in tabula spectaret, turbatum animo fuisse, quod illi per fraudem interempto similis esset Aristonicus Alexandri in pilæ lusu socius. Tanta nimirum erat Alexandri animi mansuetudo, tantumque amicorum studium.' Osculandi ejus jus amicis fuisse, etiam cum Deus credi vellet, constat ex Arriano IV. 2. 28. et aliis. *Idem.*

§ 32 *Veneris*] De conjugibus, sed et concubinis Alexandri, vide Reineccium. 'Ad insaniam amore puerorum exarsisse' tradit Athen. lib. XIII. pag. 603. Cujus rei vestigia passim in Curtio quoque. Magis igitur merito laudem hanc Germanico tribuere videtur Tacit. II. 73. 3. Alexandro hac in parte similis fuisse fertur amator ejus atque æmulus Turcorum Imp. Selynes: qui apud Tuberonem lib. X. Hist. extremo, 'fertur in libidinem masculorum paullo propensior fuisse. Alii nulla eum nisi ex permisso voluptate usum affirmant.' *Id.*

Ex permisso voluptas] Hic statim virga censoria Glareanus, 'Λῆρον λῃρεῖς,' inquit, 'optime Curti, bis ante contrarium de Bagoa scripsisti: nisi forte et mascula scorta jure tibi per-

Digitized by Google

missa sint visa.' Quid hoc est? quasi verbis illis παιδεραστίαν approbet Curtius, quod historice refert, Alexandrum nimia fortuna ebrium illam consectatum esse. Ille virtutes et vitia Alexandri libere recenset. Laudat hic continentiam Alexandri quanta fuerit, antequam degeneraret in externi luxus imitationem. *Loccenius.*

Ingentes profecto dotes erant] Ingentes omnino, et adde, vel maximæ: languidum tamen nimis illud, certe non sincerum. Ego *ἀνεβοήσατος* rescribo *ingenii*. In tres veluti classes vitia virtutesque Alexandri supra digestæ: in naturam, fortunam, ætatem: verba vide: 'Et hercule juste æstimantibus regem liquet, bona naturæ ejus fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis.' 'Bona naturæ' enumerata inde, 'Vis incredibilis animi,' ad hæc usque nunc a nobis emendata: quibus et pendet structura superiorum omnis et connexus. 'Vitia,' quæ 'fortunæ' adscribit, his porro memorat: 'Illa fortunæ, Diis æquare se, et cœlestes honores accersere,' &c. quæ 'ætati,' illis complectitur: 'Nam iracundiam et cupiditatem vini sicut juventa inritaverat, ita senectus mitigare potuerat.' Hac distributione firmari conjecturam nostram omnes vident. Addenda enim et sua nota virtutibus fuerat in prima classe, quæ nulla, si *ingentes* retinetur: pro quo erit fortasse, qui *ingenitæ* facilius in eamdem mentem scribi posse censeat: a quo non dissentiam, hactenus, ut possit; ut et debeat, dissentiam omnino. 'Ingenium' et 'naturam' eadem tum probem, si nescire elegantiorem quempiam putem. *Acidalius. Ingentes*] Scribendum *ingenii* prolixe ostendit me plane assentiente Acidal. *Freinsh.* Non displicet *ingenii*. Posset tamen quis putare scriptum quondam, *ingenitæ*. Scheff. Atqui id jam fecerat Acidalius ad hunc ipsum locum. Adde Tan. Fabr. Epist. I. 55. *Snak.*

§ 33 *Illa Fortunæ*] Editiones, *vitia fortunæ*, verum longe malo nostrum. *Modius.* 'Fortunæ, quæ plerumque suam corrumpit naturam,' supra III. 2. 17. Tacit. Hist. II. 15. 5. 'Felicitate corrumpemur.' Liv. IX. 18. 1. de hoc ipso Alex. adde Plut. Eumene. *Freinsh.*

Diis æquare se] Quapropter Mandarfin ex Indicis philosophis 'Alexandri nuntii ad Jovis filium vocabant' apud Strabon. lib. XV. sed ille nec paruit, et negavit esse filium Jovis. Eadem de causa vituperatur a Dione Chrysost. Orat. LXIV. sed prolixius ea de re supra tractatum. *Freinshemius.*

Cœlestes honores accersere] Schragius, cujus opera manuscriptorum codd. excerpta optima nactos nos esse, supra prædicavimus, adsotaverat hic illa Suetonii de Caligula 22. 5. 'Divinam majestatem asserere sibi cœpit.' *Freinsh.*

Quas ante victoriam] De moribus loquitur: *quos* ergo scribendum. *Id.*

§ 34 *Cupidinem vini*] De 'Alexandri bibacitate' vide Plut. Sympos. 6. 1. Dion. Chrysost. Orat. 64. Julian. in Cæsar. Athenæum X. 10. Ælian. Hist. Var. II. 41. Liv. IX. 18. 4. Lamprid. in Alex. cap. 30. Plin. XIV. 5. Camerar. Subcisiv. I. 94. Ex quibus apparet recte sentire Cœlium Rhodiginum, qui contra Arrian. VII. 5. 23. Alexandri ebrietatem excusantem disputat Lect. Antiqu. XXII. 20. quem et vide XXIX. 17. IX. 11. et XXVIII. 30. *Idem.*

§ 35 *Fortunæ, quam solus in potestate habuit*] Hoc capiendum de obsequio fortunæ semper Alexandro promtæ, numquam adversantis. Bœcler. Ind. Velleian. in 'Fortuna;' sed quod Cato Velleio l. II. 35. 2. 'Fortunam semper in potestate habuisse' dicitur, notat in Catone æquabilem utriusque fortunæ moderationem: quod autem in l. qui Testam. 27. de Prob. Scævola l. c. ait,

Digitized by Google

'omnem fortunam in sinu meo habui,' non eo solum sensu, quo in potestate habere dicimur, intelligendum, sed ut occultam, et sibi soli creditam rem ostenderet; velut in sinu gaudere dicimus; ut notat Alciat. de Verb. Signif. lib. IV. p. 102. Corn. Nep. in Timol. 'Et ut in sua manu esset fortuna, quo contenderat pervenit.' *Loco. Plus debuisse Fortunæ*] Pausan. in Corinth. ait, id unum ex sententia non cessisse, quod Mimantem fodere non potuit. Unde Nicetas in Balduino: 'Ne Alexandro quidem ferunt omnia successisse ex sententia.' Verum auctori subscribit Gentilis de Arm. Rom. II. 12. ubi exactissime quæstionem hanc pertractat. Contra Plutarch. duabus Orat. de Fortuna Alexandri pertendit, virtutem in eo priorem fuisse, quam ei laudem elegantissimis his verbis vindicat et Apuleius Florid. lib. I. 'Solus a condito ævo, quantum hominum memoria exstat, inexsuperabili imperio orbis auctus fortuna sua major fuit: successusque ejus amplissimos et provocavit ut strenuus, et æquiparavit ut meritus, et superavit ut melior: solusque sine æmulo clarus: adeo ut nemo ejus audeat vel sperare virtutem, vel optare fortunam.' Qui locupletem insuper testem habent Demosthenem Epist. I. de concordia: 'Si quis Alexandrum eo fortunatum putat, quod ei prospere successerunt omnia, is illud reputet, eum agendo et laborando, et audendo, non desidendo fuisse fortunatum.' Invidenda laus Syllæ apud Sallust. Jug. 95. 5. 'Felicissimo omnium ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit.' Ceterum neque virtutem sine fortuna magnopere proficere, neque fortunam sine virtute certo fundamento niti, supra ad VIII. 10. 18. monuimus. *Freinsh.*

Solus omnium] Immo apud Vell. II. 35. 3. Cato 'semper fortunam in sua potestate habuit.' Sed longe diverso modo. Alexandro solebat evenire, quod malebat; Cato malebat, quod evenerat. *Freinsh.*

A morte revocavit] Primo in Cilicia, quando in Cydno flumine obriguit; deinde ad Gazam, ubi grave vulnus accepit lib. IV. Postremo Mallis; ut alia tempora et pericula taceam, de quibus Plutarchus. *Raderus.*

In pericula vectum] Leg. *abjectum*, id est, vilem ac contemtum: sic 'abjicere se' Cicero pro Milone cap. 36. 'Ego me plurimis pro te supplicem abjeci.' Idem in Paradoxis: 'Sic te ipse abjicies et prosternes.' *Heinsius.*

§ 37 *Major moles erat*] Vell. Paterc. lib. II. extr. 'Quidquid nominum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit.' *Cellar.*

Quam ut unus] De imperio Rom. Tiberius apud Tacit. I. 11. 2. 'Solam Augusti mentem tantæ molis capacem, &c. Quam difficile sit imperatorem in locum boni principis legere,' ostendit dignus notatu locus in Vopisci Aureliano cap. 40. *Freinsh.*

Etiam minimæ parti] Plutarch. de Fort. Alex. II. 12. 'Demetrius, cui Alexandreæ potentiæ parvam Fortuna portiunculam contulerat, passus est se Catæbatem, ('Jovem Elicium' reddit Turneb. Advers. IX. 9.) tamquam deum qui in terras descendisset, appellari,' &c. Vide eumdem in Demetrio cap. 20. *Freinsh.*

CAP. VI. § 1 *Ceterum Babylone*] His, quæ postea narrantur, ingens haud dubie lumen accenderent decem libri, quos de rebus post Alexandrum gestis Arrianus, aut quatuor quos Dexippus conscripsit. Juvant sic quoque nonnihil a Photio inde excerpta, quem vide cod. XXCII. et XCII. *Freinsh.*

§ 2 *Prohibuit*] *Prohiberet* alii, minus concinne. *Modius.*

§ 4 *Regia sella in conspectum vulgi*

Digitized by Google

data] Eumenem etiam a morte Alexandri aureum solium cum sceptro, corona, et armis regiis in tribunali collocasse, ubi sub exortum diei duces, consessu juxta sellam habito, mandata quasi regis acceperint, refert Diodor. lib. XVIII. et Cornel. Nep. in Eumene. Idem Ptolemæum suasisse auctor infra h. lib. notat. Hæc externa imperii simulacra ad movendum populum, et auctoritatem conciliandam non exiguum habent momentum. Horat. I. Sat. 6. de populo 'qui stupet in titulis et imagine.' Hac de re plura cum Deo ad Corn. Nep. *Loccenius.*

In conspectum vulgi data] Non contemno. Puto tamen posse cogitari, utrum non accommodatius fuerit scribere, *In conspectum vulgi illata.* Schefferus.

Diadema] Quod primus Macedonum usurpavit, si vere Justin. XII. 3. 8. Postea duces quoque ejus, sumpto regio nomine, usurparunt: de qua re Plutarch. in Demetrio cap. 20. De Persis vide Brisson. de Regno Pers. lib. I. pag. 7. *Freinsh.*

§ 5 *Imperii vires*] Mandata, quæ vim imperandi habent. Nisi forsan *literas*, aut aliud scripsit Curtius, quod etiam Tellierius suspicatur. *Cellar. Regni atque imperii vires obsignare*] Hoc vero novum genus est locutionis; ecquid enim *obsignare vires imperii?* non dubito, quin scripserit Curtius, *regni atque imperii res obsignare.* Ut per *res* imperii significentur negotia. Vocabulo *res* adhæsit syllaba *ri* ex voce præcedente. Inde factum *vires.* Scheff. *Vires obsignare*] Leg. *imperii sui res obsignare;* ut Cicero in Epist. dixit, 'lagenas inanes obsignare,' et, dein, 'Naturam obsignare,' pro parte muliebri. Vide X. 7. 15. *Heinsius.*

§ 6 *Tantum virum*] Valde metuo accidisse loco huic, quod aliis non paucis, ut interpolatus ad nos per interpretes et glossatores transmitteretur. Suspicor autem ad hunc modum Curtium scripsisse: *Intuentibus credere licet, tantum Deos commodasse rebus humanis, quo earum sorte completa, cito repeterent eum suæ stirpi.* Omnia clarissima. *Scheff.*

Adcommodasse rebus humanis] Quemadmodum vates de Catone: 'Tertius e cœlo cecidit Cato.' Et de J. Cæsare Pelignus olor, Ovid. Met. XV. 816. 'Hic sua complevit, pro quo Cytherea laboras, Tempora, perfectis quos terris debuit annis, Ut Deus accedat cœlo, templisque colatur.' *Raderus.* Eodem tendit illud Virgilii de Marcello, Æn. VI. 869. 'Ostendent terris hunc tantum fata.' Et usitata acclamatio: 'Serus in cœlum redeas.' Horat. Carm. I. 2. 45. *Freinsh.*

Suæ stirpi] Forte, *suæ stirpis.* Heinsius.

§ 7 *Seducitur*] Rursum alii, *subducitur.* Modius. *Ab immortalitate subducitur*] Fateor me non intelligere hoc ænigma: nisi quod de corpore capiendum autumo: eum sensum rectius efficias ita, *quod semper immortalitati subducitur,* quia nempe mors et sepulchrum istud sibi vindicat. Sciebant enim etiam eos, qui pro diis tum colebantur, fuisse mortuos. *Freinsh. Subducitur ab immortalitate*] Freinshemius legendum putat, *immortalitati subducitur,* quia mors et sepulchrum istud sibi vindicat: nisi auctor forte intelligat justa, imprimis nomen et gloriam, quæ exemta dicuntur morti, et quasi fato subducta ab immortalitate: unde statim addit, *corpori nominique primum justa solvamus.* Hinc suspicabar aliquando legendum, *quam quod semper ipsi mortalitati subducitur;* vel, *quod semper ab immortalitate morti subducitur.* Pedo Albinovanus in El. ad Liviam: 'Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum, Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos.' *Loccenius.* Ænigma hoc vocat Freinshemius, et pro eo scribit, *immortalitati.* Mihi verisi-

Digitized by Google

milius scribendum, *quod semper ob immortalitatem subducitur;* id est, quod subtrahitur, ut immortale maneat, sicut est natura. *Scheff. Quod semper mortalitati*] Si constat scriptura corpus intelligitur, quod expers immortalitatis sepulcro infertur. Alii, *quod mortalitati subducitur*, aut *quod ab immortalitate morti subducitur*, ut ad nomen et gloriam referatur; sed præstat prima de corpore sententia. *Cellar.* Bene Ms. *seducitur.* Freinshemius male, *immortalitati subducitur.* Ovid. de Hercule in Œta Met. IX. *Heinsius.*

Quam quod semper ab immortalitate subducitur] Sunt, qui hic legi debere censent, *quod a mortalitate subducitur;* alii, *quod immortalitati;* alii, *quod mortalitati;* alii, *quod ab immortalitate morti subducitur.* Universi parum scite, immo pessime. Consideremus age totius orationis seriem, ut eluceat, temerario ausu hunc locum elegantiæ plenissimum vulgo sollicitari. Videlicet Perdicca de duobus milites hortatur, primum ut regi sepulturæ justa persolvant, deinde ut cogitent de successore in tantum fastigium evehendo. Prius cum tractat, aulica quadam hyperbole persuadere studet commilitonibus, divinæ originis fuisse Alexandrum, ac Deos solum commodasse eum Macedonibus, nunc repetiisse tamquam suum, id est, tamquam aliquem deorum ex numero. *Proinde* (ita jam pergit) *quoniam nihil aliud ex eo* (nobis) *superest, quam quod semper ab immortalitate* (hoc est, immortalitati) *subducitur*, (id est, quod numquam mortem effugit, nec morti subtrahi potest, Germanice *das jenige, so jederzeit der Unsterbligkeit entzogen wird:* igitur) *corpori* (hoc enim est illud, quod rex nobis reliquit, quodque semper ab immortalitate subducitur, hoc est, cui mori necesse est) *nominique quam primum justa solvamus.* Simili ratione Plinius secundus Epist. II. 10. dixit, 'Asserere te a mortalitate potes hoc uno monumento,' id est, nomen tuum mortalitati subtrahere, et quasi eripere, idque immortale reddere potes. Sic omnem, opinor, caliginem huic loco abstersimus, et simul (liceat enim mihi hac ipsa dictione uti) tam præclarum locum a periculo corruptelæ et violentis correctorum manibus subduximus: cum vero subducendi verbum fere dandi casui jungatur, (ut Curt. v. 2. 15. VI. 3. 4. IX. 4. 18. Virgil. Æn. I. 555.) incido in originem erroris Criticorum, a quo ad temere invadendum ac misere tractandum hunc locum abrepti videntur: neque enim in mentem ipsis venisse videtur, hoc nostro loco *ab immortalitate* positum esse pro *immortalitati;* cum tamen præpositio *ab* vel *a* non semper significet subjectum agens, sed interdum objectum, ut scholastice loquar. Audi M. Tull. Orat. pro M. Marcell. cap. 10. 'arma ab aliis posita, ab aliis (id est, 'aliis' in dativo) erepta sunt.' Confer Plinii verba modo laudata, et Joh. Vorstium de Latin. merito susp. cap. 13. ipse Curtius parum diverso modo, VII. 6. 4. 'Nec barbaros fefellit subductus ex acie rex.' Hactenus satis multa dixi pro vindicanda Curtii scriptura, quæ vulgo circumfertur. *Heumann. Parerg. Crit. Hebd.* v. p. 94. Omnes tamen Mss. nostri, et Bongars. et Modii reponunt *seducitur*, quod merito probavit Nob. Heinsius, et *seducitur ab immortalitate* est, amovetur, separatur, nec admittitur ad immortalitatem, quum Divi recipiuntur, quidquid ex conceptu humano concretum fuerat in corpus mortale: quod ex Herculis ἀποθέωσει menti meæ hic ille elegantiarum pater Heinsius simpliciter suggessit, et explicuisse videtur: An falsi sunt, quia hanc verbi vim non adsecuti sunt? nam et sic apud Propert. I. 9. 29. 'subducere' legebatur. Ovid. Met. II. 691. et passim. *Snak.*

Corpori nominique quam primum justa

Digitized by Google

solvamus] Aliam hic residere mendam credo, quam enitar eluere. Hic quidem sibi quid velit illud *nomini*, ego vere me nescire liberaliter fateor. Ergone Perdicca, qui ad divinum fastigium paullo ante sublatum volebat regem suum, nunc subito mutata sententia credit, quidquid *nomini* tanti regis debeatur, persolvi ilico posse, idque tam facili negotio, cærimoniis scilicet sepulturæ peragendis? Enimvero x. 10. 20. hæc lego: 'Corpus Alexandri Alexandriam translatum est; omnisque memoriæ ac nomini honos habetur;' sed honorem quidem haberi voluisse nomini Alexandri Perdiccam nemo dubitaverit: at eum sibi persuasisse, aut dictum voluisse, Macedonas condendo solemniter regis corpore officio pietatis, quod nomini sui regis deberent, plane defungi posse; id 'credat Judæus apella: Non ego.' sed quid multis? tota mihi orationis series suadet, ut sic legam, *corpori hominique quam primum justa solvamus*. Divinam enim stirpem defuncto tribuerat in ante dictis Perdicca, eumque dixerat ad Deos redisse: 'Jovis enim filium non dici tantum se, sed credi' voluerat Alexander, teste Nostro VIII. 5. 5. Et Cleo Siculus Deum esse Alexandrum divinoque cultu afficiendum persuadere conabatur Macedonibus ibid. n. 10. Proinde et Perdicca nunc id solum ex rege superesse dicit, quod humanum, quod mortale sit; quodque hominem etiam fuisse eum prodat, nempe corpus. 'Cogitemus' (agnosce lector verba Ciceronis Orat. pro P. Sextio) 'corpus virorum fortium magnorumque hominum esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam.' Congruens igitur fuerit, verba Perdiccæ, ut a me emendata habentur, hunc παραφράζειν in modum: 'Rex noster partim Deus fuit, partim homo. Deo justa solvi non possunt, quippe mortalitati minime obnoxio, at homini ea solvi possunt: agite igitur, commilitones, venerati tacita mente regem nostrum Diis nunc permixtum, hodie corpori, et quantum ejus homo fuit, justa persolvamus.' Prorsus eadem ratione poëticam adulandi licentiam usurpat Ovid. de Ponto IV. 13. mentionem injiciens libri, quem Getica lingua in Augusti Cæsaris, paullo ante defuncti, laudes composuerat. Ita enim canit: 'Nam patris Augusti docui mortale fuisse Corpus, in Ætherias Numen abisse domos.' Non videtur hoc loco alienum esse epitaphium alius cujusdam Alexandri, quod ex postrema editione Romæ Subterraneæ III. 22. profert et repetit Steph. Baluzius in notis ad Lupi Ferrariensis Epist. 125. p. 462.

ALEXANDER. MORTVS. NON. EST
SED. VIVIT. SVPER. ASTRA. ET. CORPVS
IN. HOC. TVMVLO. QVIESCIT, &c.

Ceterum ex *homini* in Curtii loco *nomini* factum esse puto, partim imperitia librarii, Curtii sententiam non capientis, partim confusione literarum *h* et *n*, nam sic et Actor. I. 15. in vulgato interprete *nominum* transiit in *hominum*, ad quem locum vide sis quæ notavit Doctissimus Erasmus. Repete quoque alia hujus literarum *n* et *h* confusionis exempla apud nos in Dec. Gloss. § 7. *Heumann.* Ibid. Vereor, ne sic nimis argutum reddamus Curtium, qui argutiarum jam nimium reus est, nam 'nomen' pro 'homine,' 'familia,' 'populo,' 'gente' apud Latinos sumi notius est, quam ut exemplis extendi indigeat. Et hoc loco de fama inter mortales mansura ex structo mausoleo intelligendus locus. *Snak.*

§ 8 *Hoc uno*] Editiones, *hoc ne uno*; membranæ, *hoc me uno*. Modius. Ista vero non intelligo: quid enim vult, *hoc ne?* Puto scribendum, *Capite opus est. hac re uno, an pluribus.* Illud, *hac re*, significat, 'ob hanc rem,' 'ob

Digitized by Google

hanc causam,' quo scilicet victoriam partam possimus obtinere ac servare. *Schefferus.*

§ 9 *Corpus sine spiritu*] Maximus Serm. IX. 'Epaminondas cum magnum et pulchrum videret exercitum sine duce: Quanta, inquit, bellua! caput nullum habet.' Vide Polit. Lipsii v. 14. et inprimis alibi citatum Gruteri discursum in Tacitum. Scitum illud sive Demadis, sive Leosthenis dictum, nam utrique tribuit Plutarch. in Apophth. cap. 42. et de Fort. Alex. II. 9. de hoc Macedonum exercitu, similem esse Cyclopi excæcato. *Freinsh.*

Sextus mensis] Justin. XIII. 2. 'Exacto mense octavo matura jam ex Alexandro erat.' Post paullo etiam filium enixa est, cui Alexandri nomen imposuit: idem et Pausan. Bœot. p. 287. *Cellar.*

Roxane prægnans] Consentit his Plutarch. cap. 130. Justin. XII. 15. 9. quæ mox peperit filium, cujus nomen quærit Lambinus ad Probi Eumenem nota 108. putatque ex Probi Phocione conjici posse, Philippum fuisse appellatum; Trogo autem Herculem nominari. At Herculem Justin. XI. 10. 3. ex Barsine filium Alexandri facit: quod agnoscit ipse Lambin. ex Diod. XX. 20. ad illum Probi locum in Phocione, nota 42. ubi verba auctoris, 'Caussam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem jussus est dicere,' mavult accipere de Philippo Alexandri, ut ei videtur, filio, quam de Aridæo Philippo Alexandri fratre: ad quem tamen haud dubie pertinent. Verum autem nomen filio Roxanes fuit Alexander, quod certum est ex Pausaniæ Atticis et Bœoticis, item Dexippo apud Photium et Eusebium. Adde Porphyrium mox ad X. 6. 11. Diod. XIX. 115. *Freinsh.*

Cujus regnum] Aliter, hoc modo, libri impressi, *cjus regnum Diis approbantibus futurum, quando adoleverit.* Modius.

§ 10 *Alexandri modo*] Illud *modo* a membranis est. *Idem.*

§ 11 *Præteriri*] Hoc verbum non erat in membranis. *Idem.*

Tempori rerum] Leg. *tempori. Verum esse e Barsine filium.* Val. Flacc. de Polluce, 'vera o Jovis proles.' Tacit. Ann. IV. 53. ubi Agrippina, 'se imaginem veram cœlesti sanguine ortam.' *Heinsius.*

E Barsine filium] Is Hercules dictus. Justin. XII. 15. 9. quem postea Cassander occidi jussit. Justin. XV. 2. 3. Diodor. XX. 28. Pausan. in Bœoticis. Corrigendus in ejus mulieris nomine Porphyrius apud Euseb. in regno Macedonico: Κατέλιπε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος παῖδας, Ἡρακλέους ἐκ Μαρσίνης τῆς Φαρναβάζου, Ἀλέξανδρόν τε ἐκ Ῥωξάνης τῆς Ὀξυάρτου τοῦ Βάκτρων βασιλέως. Scribe ἐκ Βαρσίνης, quam hic Pharnabazi filiam facit, Plutarch. cap. 36. et Eumene cap. 2. Artabazi, Arrian. VII. 1. 18. Darii regis. Sed in nomine consentiunt. *Freinsh.*

§ 12 *Hastis scuta quatientes*] Ammianus XV. 21. 'Quum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est et doloris.' Exemplum habes in Livii XXVIII. 29. 'Vix finem dicendi fecerat, quum ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit.' Adde Polyb. XV. 12. Lindebrogium ad Ammian. XIV. 8. Noster quoque post paullo cap. 7. 14. eumdem ritum repetit. *Cellar.*

§ 13 *Europam dicere*] Inepte editi libri, *in Europa dicere.* Modius. *Dicere*] Forte, *discere.* Heinsius.

Captivi] Membranæ aliæ *captivæ*; aliæ *captivi est*; neutrum bene. *Modius.* Forte *captivarum.* Heinsius.

§ 14 *Cur Persas vicerimus*] Acutius foret omittere particulam interrogantem: aut, si tenere malis, rescri-

Digitized by Google

bere *vicimus*, extrita e medio syllaba, quæ temere inculcata fuit, ut solet, et in Livio XLV. 22. 5. factum, 'Nec tam exitu eorum (bellorum) quod vindicatis, quam principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloriamini:' scribendum enim, *quod vincatis*. Freinsh.

§ 15 *Sede Alexandri*] Si Noster ex fide hæc narrat, hinc strategema suum desumpsit Eumenes, cujus hominem prudentissimum ipsum architectum fuisse libens credebam: ut nempe ab Argyraspidibus receptus, cum satis sciret haud in longum dicto audientes sibi habiturum, nisi arte exprimeret obsequium, quod auctoritate non poterat, in castris suis aureum solium cum diademate et sceptro, armisque, quibus Alexander solebat uti, collocari juberet, juxta quod de communibus rebus consilia capientes, non ab Eumene, sed Alexandro regi sibi viderentur. Vide Diodor. XVIII. 60. Probum et Plutarch. in Eumene cap. 23. et Polyænum IV. 8. 2. *Freinsh.*

In regia] Et hoc addit ἀκυρολογίαις Curtianis Exemplum Vir Cl. 'quo Regia pro tentorio Regis dicatur, quum certum sit subintelligi domum.' Fateor sane, primitus 'regiam' maxime dictam de domo regia, sed pernego 'domum' semper intelligi. Passim enim etiam de tota dicitur urbe, in qua Rex habitat. Immo et de insula: Ovid. Heroid. Epist. VI. 'Nec senis Æetæ Regia Lemnos erat,' h. e. Æetas non erat Rex Lemni, non habitabat in insula Lemno, seu insula Lemnos non erat ipsius regia sedes. Sed et apud Poëtas passim Diis, veluti Jovi, et Plutoni, 'regia' tribuitur. Sic 'regia cœli' apud Petronium. Et de totis inferis apud Ovid. Heroid. Ep. II. 'Et pulsata nigri regia cœca Dei.' Sed duo propiora ex Ovidio adferemus. Etenim ille Amor. III. 6. Tiberinum Fluvium inducit loquentem ad Iliam, 'tibi regia nostra patebit.' Quæ illa 'regia' in aquis et flumine? Nempe qualiscumque locus, in quo Tiberinus fingitur agere, vel sedem fixisse. Disertius etiam de antro apud eumdem Met. XII. 210. 'Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus, (h. e. Pirithous,) Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis, Arboribus tecto discumbere jusserat *antro*. Hæmonii Proceres aderant, aderamus et ipsi, Festaque confusa resonabat *regia* turba.' Vides hic Antrum clarissime vocari 'regiam.' Sed dicet V. C. Poëtis talia concedi posse, non Historicis. At vero etiam apud Hos 'regia' absolute occurrit passim sine ulla ad domum aut locum certum relatione. Tacitus Ann. XI. 29. 'Callistus prioris quoque regiæ peritus,' h. e. qui cognoverat quoque aulam Caligulæ, et ejus aulæ artes. Et XIV. 13. 'Deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit,' scil. quam Neronis. Livius XXXV. 18. 'Philippi quondam amicus, nuper relicto eo secutus opulentiorem regiam Antiochi.' Sic ergo, ubicumque Alexander moras agebat, sive in stativis castris, sive in tabernaculo ubicumque exstructo, sive in oppidis, ibi erat 'regia Alexandri,' tanto magis, quia nullum utique in Asia certum habebat regiæ locum, vel sedem perpetuam. Sed ut liqueat disertius, neque e Castris et Tabernaculis usum Linguæ aut optimos Auctores, non magis quam Curtium, exclusisse 'regiam,' Livius II. 12. ad Porsennam in castris, quum obsideret Romam, ex persona Mucii Scævolæ: 'Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ.' Nempe sicuti ipse in Castris occidere eum volnerat Mucius, sic 'trecentos,' ait, 'conjuravisse juvenes, ut in illum eadem hac via grassarentur.' Quid ergo aliud istic est 'regia,' quam tentorium re-

Digitized by Google

gis, quod in Curtio tantopere ut ἄκυρον notatur? Sed quid, dices, intelligitur sub *regia* istoc sensu? Potest enimvero intelligi 'aula,' quæ est, ubicumque Rex est, vel 'sedes.' Sed neque opus, ut intellecti substantivi tanta istic habeatur ratio, quum talia adjectiva per continuam fere ellipsin substantivi sui acceperint ipsa paullatim substantivi speciem et usum, atque ideo, æque ac vera substantiva, varia recipiant epitheta, ut quum dicitur, 'regia dives,' 'regia prior,' &c. Sed et patet hujus rei veritas ex illa ipsa voce, quam V. C. mallet 'regiæ' substitutam. 'Præstitisset ergo,' ait, 'dicere semper Prætorium.' Dixit ita plus semel Curtius, sed neque altera, quæ magis decebat Alexandrum, regem quippe et plus quam prætorem, abstinuit. Certum autem, esse illam quoque adjectivam. Notissima sunt, 'Prætorius vir,' 'Prætoria cohors,' 'navis,' 'porta:' 'Prætorium jus,' 'tabernaculum,' &c. Certum etiam est, 'Prætorium' absolute positum notare 'tabernaculum' Prætoris, seu summi ducis, et hoc sub illa voce intelligi. Sed vel sic, quum accepisset speciem substantivi, cœpit adhiberi etiam de rebus a tabernaculo prorsus discrepantibus, nempe de domo in urbibus provincialibus, in qua Prætor Provinciæ habitabat, quæ tunc non 'Prætoria' absolute, sed 'Prætorium,' vel 'domus prætoria,' dicebatur. Sic Cicero Verr. v. 12. et cap. 35. 'Adfertur nuncius Syracusas, curritur in Prætorium, quo istum (Verrem) e convivio reduxerant paullo ante mulieres.' Sed et ruri villæ, seu secessus rustici illustrium hominum, passim item 'Prætoria,' ut notum est, vocantur. Quapropter sicuti in his nulla habetur ratio 'tabernaculi,' unde tamen ortus ille 'prætorii,' tamquam substantivi, usus, sic recte *regia* etiam de antro, immo et de tentorio regis dicitur, quum, esset regibus pro regia domo. *Perizon. Curt. Vind.* p. 85.

§ 16 *Judicatum ab ipso*] Nam etsi non voce nuncupatus heres, tamen judicio electus fuit, ut Justinus habet. 'Judicio,' id est, suprema ac tacita voluntate, ut non semel eam vocem usurpant JCti. nam hoc ipso destinavit illum successorem, quod annulum tradidit, ut moris erat. Vide Kirchmann. de Anul. Vet. *Loccenius.*

§ 18 *Dubitavere*] *Dubitare* alii. *Modius.* Forte, *dubitari.* Heinsius.

Appetebat exspectaret] Editiones, *quod expetebat appeteret;* membranæ, *quod exspectabat appeteret:* sed ego nostra laudo. *Modius.*

§ 20 *Nec Dii siverint*] Leg. *ne Dii sirint.* Heinsius.

In istos humeros ruat] Sic x. 9. 2. 'Quodque imperium sub uno stare potuisset: dum a pluribus sustinetur, ruit.' *Heinsius.*

Homines non ferent] Suspectum hoc mihi: neque dum istud plane probo, *in istius humeros ruat hominis: certe non ferent.* Acidalius. Ego nihil mutandum arbitror, nec enervandam vim violentissimi sensus: Perdiccam regnare prohibeant Dii, et prohibebunt, ut auguror: quidquid autem illis tandem decretum sit, id certo mihi constat, homines non passuros: nec jam loquor de nobilioribus quam Perdicca est, quorum quidem maxime refert obviam iri conatibus hominis; sed omnino de aliis cujuscumque conditionis Alexandri commilitonibus: modo viri sint, animosque mares habeant. Ego quidem meique similes, qui servitio mortem anteponimus, compertum habemus, viros fortes nihil invitos perpeti, nec posse cogi, ut quod nolint faciant. Hic illorum verborum sensus est haud dubius. *Freinsh.*

De nobilioribus] Quinam amicorum Alexandri nobiliores Perdicca? erat enim 'stirpe regia genitus,' ut patet ex x. 7. 8. Sed Leonnatus ibidem itidem; et forte proximiori gradu

Digitized by Google

Alexandrum hic contigerit. Aridæus autem Alexandri frater erat, Ptolemæus credebatur. Quin et Neoptolemus Alexandri avunculus adhuc supererat, de quo Arrian. fine lib. II. cujus nullam a Curtio mentionem fieri miror. *Freinsh.*

Quem hic est] Quam Perdiccas est, quamvis et ipse regia stirpe genitus 7. 8. *Cellar.*

§ 22 *Quem vos dubitatis*] Leg. *ne quem vos dubitetis.* Heinsius.

Paratum esse] Colonienſis antiquus codex, *quem vos dubitetis partum subdere?* subdititie haud dubie. *Modius. Vel subdere*] Post hæc signum interrogationis scribendum, ut erigatur sententia, quæ nunc jacet. *Scheff.*

§ 24 *Pronuntiantem prædam*] Sic bene ex membranis scripsi, cum editiones minus venuste sane, *ad prænuntiatam prædam haberent.* Modius. *Pronuntiatam*] Leg. *prænuncupatam;* et vide Varronem de L.L. lib. v. in 'nuncupare.' *Heinsius.*

CAP. VII. § 1 *Versa concione*] Veteres libri, *versa concio.* Modius.

§ 2 *Aridæus Philippo genitus*] Philippus cum Thessalorum gentem sibi conciliare cuperet, liberos sustulit ex duabus Thessalis mulieribus, quarum altera erat Nicesipalis Pherea, quæ Thessalonicam illi peperit; altera Philinna Larissæa, ex qua filium habuit hunc Aridæum, qui post Alexandrum regnavit. Ptolemæus apud Athenæum in Historiis de Philopatre, Philinnam hanc Philippi Macedonis amicam saltatricem fuisse refert: at Justin. lib. XIII. Larissæum scortum. Cassander vero, qui postea regnum Macedoniæ obtinuit, uxorem habuit Thessalonicam Philippi filiam, Alexandri sororem, Diodorus et Pausanias in Bœoticis tradunt. *Popma. Philippo genitus*] Sed ἐκ γυναικὸς ἀδόξου καὶ κοινῆς, *ex ignobili femina et vulgati corporis.* Cui Philinæ nomen fuit. Plutarch. in Alex. extr. *Cellar.*

Nunc solus heres] Nam Barsines filius Hercules, velut captivæ, negligebatur. *Raderus.* Non modo velut captivæ, nam et Roxane captiva fuit, sup. VIII. 5. 29. et X. 3. 12. sed quia Barsinen justæ uxoris loco non habuerat. Porro militis istius, quisquis ille fuit, sententiæ velut data opera contradicit Themistius Orat. XII. 'Alexandro apud Babylonem defuncto, Macedones successorem nullum idoneum repererunt: sed Ptolemæo Lagi filio Aridæum stolidum prætulerunt, tamquam pecuniis mortui fratris loco, superstiti persolverent, non imperium conferrent, cujus heres ille unicus est, qui illud conservare, ac tueri noverit.' Quæ sequuntur in Curtio, 'præteritur a vobis,' in memoriam revocant ista Taciti III. 18. 6. 'Mihi quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria mortalium cunctis in negotiis obversantur; quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.' Etiam providentiæ id tribuit Sen. de Benef. IV. 31. 1. 'Interdum solemus dicere, Quid sibi voluit Providentia, quæ Aridæum regno imposuit? Illi putas hoc datum? patri ejus datum est, et fratri.' *Freinsh.*

§ 4 *Qui tam bonorum*] Velim scire, quo spectet illud *tam:* nihil certe habet, cui respondeat. Puto plane, *qui jam bonorum* scribi oportere. *Scheffer.*

§ 5 *Impensa probra*] Malim *intensa*, hoc est, intenta. Quæ Pithon obliique jecerat, eo tendebant, ut Aridæum probris et contumeliis exagitaret, invisumque popularibus redderet: verum id contra evenit. Signum defectus, quod hic notarant, *quæ magis ipsi*, sustuli: nihil enim deest. *Freinsh.* Putat Freinshemius, *intensa probra*, pro *intentata;* sed fortasse nil mutandum hoc quidem loco. At initio hujus periodi, post *caligare*, malem, *ea haud ambigue*, &c. Porro 'im-

Digitized by Google

pendere probra in aliquem,' ut 'impendere sumtus.' *Scheff.* Leg. *intensa probra;* et sic Freinshemius. *Heins.*

Dum miserentur] Solet hoc fieri, et plerumque perperam. Est enim etiam misericordia affectus, ut reliqui, cæcus et improvidus, et in deteriora ferri pronus, quoties ratione non regitur. Vide Sen. de Clement. II. 4. Ergo et in sacris interdicitur, Deuter. XIX. 13. et 21. Favorem autem ex commiseratione nasci solere certum est: quo intuitu sic emendandum putabam in Tacit. XIV. 58. 5. 'Magni nominis miseratione reperturum bonos,' &c. quo loco, Deo volente, plura. Interim Justin. XXXVII. 2. 3. et ibi citatos vide. *Freinsh.*

§ 6 *Regem se*] Vulgo, *igitur non alium se, quam eum, qui ad hanc spem genitus esset, regnare passuros.* Modius.

§ 10 *Ante concepto*] Hunc locum stigmatiam feci, quod de eo nihil aliud dicere habebam, quam pro *concepto* in membranis *conceptæ* legi, et aliquid deesse putarem. *Modius.* Stigmatiam hunc quoque locum fecit Modius, et πηρώσεως arguit, sed hunc profecto sine caussa; non mutilus enim ille aut mancus, sed a scriptura, et interpunctione saltem corruptus, ut debilis videretur, ista fecerunt, *de novo rege paullo ante concepto:* quæ intellecta de Roxanes imminente partu; nec aliter potuerunt; sed nec ita vere potuerunt, quia *suffragari* præcesserat, quod verbum Meleager non usurparet si de non nato adhuc nato loqueretur. Ille enim Roxanes filium approbaret, contra quem nitebatur, Aridæum ambitiose ingerens, et intrudens seditiose: de hoc ipso scilicet hic agit, et legendum igitur non *concepto*, sed *recepto*. Receptus enim is paullo ante, et Philippus consalutatus, quamquam mox idem reprobatus. Sed ut et reliqua conveniant huic sententiæ, sic locus integer, qui certe sic erit integer, rescribendus, *Rursus Philippum trahens secum inrupit in regiam, clamitans suffragari reipublicæ de novo rege paullo ante recepto robur ætatis: experirentur modo stirpem Philippi et filium ac fratrem duorum regum, sibimet ipsis potissimum crederent. Nullum profundum mare, &c.* Plana nunc et plena omnia, nec usquam abruptum quid, aut præruptum. *Acidalius.* Locus sane difficilis, quem sic restituere conatus Acidalius: *Suffragari reip. de novo rege paullo ante recepto robur ætatis: experirentur modo stirpem Philippi, et filium ac fratrem regum duorum: sibimet ipsis potissimum crederent:* quod quidem in textum recepit Raderus. Prætulerim tamen Sebisii conjecturam, *suffragarii* (sic enim habent impressi quidam) *reip. de novo rege paullo ante concepto, robur ætatis experirentur: modo st. Ph. e. f. a. fr. r. d. sibimet* (*semet* credo voluit scribere) *ipsis potiorem crederent.* Rectius enim utique *robur ætatis* opponitur *regi paullo ante concepto* (Roxanes uterum intelligit) quam verbo *suffragari* jungitur: ultima autem invidiæ plena sunt in tutores pueri regis, si tamen puer nasceretur, jacta: quos et mox num. 14. arguit 'adfectasse nihil ad ipsos pertinens regnum.' Et supra X. 6. 21. 'Sub tutelæ specie regnum occupaturos esse.' *Freinsh.* Locus imprimis vexatus. Tellierius in optimis Mss. *conceptæ* inveniens pro vulgato *concepto*, ausus est *spei* quoque pro *rei* ponere, quem ideo sequuti sumus, quod ceterorum medelæ violentiores videbantur. Vulgo legitur, *suffragari reipublicæ de novo rege paullo ante concepto, robur ætatis experirentur; modo stirpem Philippi, &c.* ubi priora verba ad Roxanis filium nondum editum referenda sunt: in Tellierii autem, quam expressimus, scriptura, omnia de Aridæo intelligantur, nempe spem de Aridæo conceptam vel ætate juvenis non immatura confirmari. *Cellar.* Freinshemius cum Sebisio mallet *suffragarii;* ego puto *suffragati* scribendum, hoc

Digitized by Google

est illi, qui suffragati erant, qui suffragium tulerant. *Schefferus. Reipublicæ*] Forte, *spei publicæ*, et mox *conceptæ* ut x. 8. 'ingentem spem indolis;' et Pedo ad Liviam, 'juvenum spes publica Drusus.' Vide Indicem in Occonis numismata. *Heinsius.*

Robur ætatis] Hæc perperam distincta puto sic formanda, *robur ætatis experirentur modo, stirpem Philippi, et filium ac fratrem regum duorum, ac sibimet ipsis potissimum crederent.* Schefferus.

§ 12 *Quam speraverat*] Sententia poscit et res, *quem spreverant;* etsi de re quid objici possit, video: sed huic variatio consiliorum vicissim objicitur, quam subjungit auctor elegantor: *nec velle, nec nolle quidquam diu poterant, pœnitebatque modo consilii, modo pœnitentiæ ipsius.* Orationis quidem filum huc ducit, ut modo electus, modo spretus opponantur. Atque ego, ut conjeci, statuo prorsus emendandum. *Acidalius.* Acidalii sententiam, ut solet, in textum recepit Raderus. *Freinsh.*

§ 14 *Novi regis satelles. Sequitur*] Insiguis plane est hæc emendatio: antea erat in omnibus libris: *Et Meleager thorace sumto capit arma, novique regis satelles sequitur. Phalanx hastis clypeos quatiens, expleturam se sanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipsos pertinens regnum, minabatur: in eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant: hereditarium imperium stirpem regiam vindicaturam: assuetos se nomen, &c.* Omnia pessime: sed quæ tamen sublatis de consilio membranarum vocibus *minabantur*, et *gaudebant*, mutataque interpunctione, apte, nisi judicans fallor, constitui. *Modius.* Bene Modius et *sequitur* huc retraxit, et *minabantur* ac *gaudebant* ejecit. Illud non bene, quod *expletura* mutavit. Eadem enim elliptica forma capere *expleturam* debuit, qua reliqua *remansuras, vindicaturam.* Porro hoc quoque monebo, pro *vires* legendum mihi videri *vices.* Quin et deleverim *esse*, quod abest venustius, et hoc loco, uti reliquis, qui sunt hic in eadem navi. *Acidalius. Novique regis satelles*] Mss. delent conjunctionem, cum sequenti verbo, *minabatur;* probe. Sed si cui vulgata potior, tamen hoc de ipso Meleagro capio, eoque jungendum puto sequenti verbo: *novique regis satelles sequitur. Phalanx, &c. imperii vires remansuras esse.* Quamquam Modius, Acidalio probante, *satelles. Sequitur phalanx, &c.* Sed ut dixi *satelles* hic intelligitur Meleager: nec enim *turbam satellitum*, cujus postea mentio, habuit, priusquam plurimum consensu rex esset declaratus. Itaque vulgatis ante Modium assentior, nisi quod cum illo τὸ *gaudebant* eliminem. *Imperii vices* malim cum Acidalio. *Freinshemius.* Forte, *imperii jura:* aliter supra x. 6. 5. *Heinsius.*

Hastis clypeos quatiens] Morem eum sæpe expressit Ammian. quæ loca observavit doctissimus Lindenbrogius ad auctorem istum XIV. 8. 'Hastisque feriens scuta, qui habitus iram pugnantium concitat;' ubi alii quoque scriptores citantur: quibus adde Polyb. XV. 12. 'Romani more patrio clamorem tollunt, et gladiis ad scuta concrepant.' Fit autem hoc nimirum ad terrorem adversariis incutiendum, ut indicat ex Polybio Livius XXVIII. 29. 4. 'Ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit,' &c. Quapropter et venatoribus elephantorum observari scribit Ælian. Hist. Anim. VIII. 10. Eodemque opere XVI. 25. 1. tradit Persas, ne strepitum ejusmodi pavescerent, equos suos adsuetudine condocefecisse: quod si fecissent Scythæ fratres, equos eorum terrere non potuisset Ajax, et pe-

Digitized by Google

destre certamen inire coactos vincere, apud Philostratum in Heroicis. *Freinsh.*

§ 16 *Observari jubet*] Vulgo antea erat, *asservari;* in membranis, *observari;* hinc illud ausus sum scribere, quod videre est. *Modius. Conclave adservari*] Mss. *observari;* unde Palmerius, *observari;* quod verbum hic optime convenire judico; et firmatur e seq. versu 'claustra perfracta sunt.' Et sane facilis est verborum illorum permutatio, quam et factam credunt viri docti in illis Flori III. 6. 10. 'Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam observavit.' Nam alii libri, *observavit;* ubi tamen et alterum toleres: haud itidem opinor, in Tertul. Apolog. cap. 7. 'Quis crnenta, ut invenerat, Cyclopum et Sirenarum ora judici reservavit?' convenientius enim ingenio scriptoris, *reservavit.* Freinsh.

Ptolemæus quoque] 'Eumdem etiam,' Pausanias in Atticis affirmat, 'Alexandro mortuo, iis qui ad Aridæum Philippi F. regnum universum deferebant, restitisse, regnumque in plures dividendi auctorem in primis exstitisse.' *Freinsh.*

§ 17 *Perfracta sunt*] Vix operæ est monere me, sed tamen pro *perfracta* erat hoc loco in editionibus *perfecta;* fabulæ. *Modius.*

Princeps Meleager] Addunt vulgati libri *erat.* Modius. *Meleager. Iratusque Perdicca, hos*] Mallem distinguere, *quorum princeps erat Meleager, iratusque, Perdicca hos, &c.* Scheff.

§ 18 *Qui cum Perdicca erant*] In Græco auctore, unde hæc transtulit Curtius, videtur fuisse, τοὺς περὶ Περδίκκαν, ut ex toto negotio hic prodiret sensus: *precari Perdiccam cæpere, ut abstineret bello, regique et pluribus cederet. Prior Perdicca cum suis arma deposuit, regiique idem fecere.* Freinsh.

Absisterent bello] Magis hoc probo, quam illud *abstinerent*, quod omnes editiones pervasit. *Modius.*

§ 19 *Ne a corpore*] Raderus, nescio quo auctore, negationem expulit; voluitque Meleagrum suasisse Perdiccæ, ut discederent a corpore Alexandri, quo nimirum facilius circumvenirentur, quos defuncti regis reverentia hactenus texisset. Sed certe præstat ille sensus, *ne discederent;* sic enim putabant se certo loco, velut carceri includi, ubi, quando inimicis libuisset, injuriæ opportuni forent. Nam de reverentia defuncti regis supervacuum est dicere, quum jam effracta claustra, commissam pugnam, illata vicissim acceptaque vulnera legeris. Deinde credibile magis est ne a corpore discederent suasisse, ut scilicet tamquam honoris causa defuncto hærerent, ut apud Tacit. III. 5. 2. nam locum ejusdem I. 7. 4. huc non trahendum, in notis ad locum istum defendi. *Freinsh.*

§ 20 *In campis*] Iterum libri impressi, *in campos;* minus recte. *Modius.* Alii, *in campos et Perdicca;* unde patet legendum *in campo, sed, &c.* Freinsh. Vulgo, *in campos*, quod displicet Freinshemio et Tellierio: nam quod quidam libri habent, *in campos, et Perdicca*, probabile est *a* a voce *sed* adreptum præcedenti *campo* adhæsisse. *Cellarius.*

§ 21 *Abrupisse*] Forte, *abrupisse se.* Freinsh.

In urbe subit] Compendiose verbum hoc postremum scriptum fecit lectionem pravam. Manserat enim Perdicca in urbe, nec excesserat eam: tantum in consilio placuerat, ut egrederentur. Mea igitur sententia legendum videtur, *in urbe substitit.* Scheff.

CAP. VIII. § 1 *Jus imperii*] Mss. *imperium;* forte, *ejus imperium.* Heinsius.

Ni occupetur] Et hic locus quoque ex illis est, qui conclamatus haberi poterat, ut vulgo legebatur, ni ego

Digitized by Google

subvenissem; ita enim ibi circumferebatur, *ne occupetur impotens animus rerum novarum.* Sed cum pro illo, *rerum novarum*, in membranis *res novaturum* legi deprehendissem, facile vidi, illo *ne* in *ni* mutato, posse fieri Curtio, hanc partem, medicinam. *Modius. Ni occupetur*] Sic edi curavimus cum Radero: vide notata ad VII. 6. 14. *Freinsh.* Recte Modius: sic cap. 9. 7. 'Vanum et infidum celeriterque res novaturum;' sed malim legere 'animi,' ut lib. VIII. 1. 49. sic 'impotens sui' IV. 7. 14. et 'mentis potens' Ovid. Trist. II. 189. *Heins.*

§ 2 *Meminisse eum*] Perdiccam: falsus est, qui *eum* ad Aridæum refert: sequentia satis evincunt. *Freinsh.*

Quem metuat] Nam 'naturale est et odisse, quem times; et quem metueris, infestare, si possis,' Minucius Felix; ubi rescribo 'quem oderis;' est enim gradatio; metus odium generat, hoc nocendi cupiditatem: similia dicta nonnulla vide apud Gilbertum Cognatum Adagior. XIII. 6. *Freinsh.*

Patiebatur magis] Non tam consilio quam ignavia et imbecillitate animi, ut in ipsum quoque jure expetat Vitellianum elogium, 'non jam imperator, sed tantum belli caussa erat,' Tacit. Hist. III. 70. 8. Quantum diversus ab eo frater, qui 'mori maluit, quam precario rex esse!' supra IX. 2. 34. interdum tamen acres etiam principes multa præter animi sui sententiam pati coguntur: quomodo Tacitus I. 10. 4. prodit, Augustum 'multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse.' Quid hodieque patiantur principes, ipsi noverint: vix enim quemquam hujus molestiæ exsortem reperiri consentaneum est. *Freinsh.*

Silentium pro imperio] Vulgo, *qui tacet consentire videtur:* utique si posset contradicere. Imbecillis autem stulteque verecundi silentii nonnulla exempla, interque ea hoc ipsum Aridæi, refert Gruterus ad ista Livii XLII. 1. 8. 'Silentium nimis aut modestum aut timidum.' *Freinsh.*

§ 3 *Animi vultusque constantia*] Non dissimile exemplum est apud Sicul. XIX. 51. de Olympiade, ad quam interficiendam cum Cassander ducentos satellites misisset, omnes ejus conspectu et majestate territi refugerunt. Jam de Mario Velleius II. 19. 4. 'Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, qui forte (ab) imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu, expromenti indignationem casus tanti viri, abjecto gladio, profugit e carcere.' Scripsere de eodem Mario Val. Max. II. 10. 6. Plutarch. in ejus Vita cap. 65. et Appian. de Bell. Civilibus. *Raderus.* Adde Justin. XXXII. 1. 6. de Philopœmene: de Pyrrho Plutarch. in Vita cap. 72. de Dario eumdem in Artoxerxe cap. 47. de Carolo V. Camerar. Subcisiv. I. 30. de Jacobo Magnæ Britanniæ rege Continuatorem Sleidani Londorpium. *Freinsh.*

§ 6 *Seditione proviso*] Insignis audacia est hujus mutationis, et proxime ad culpam temeritatis accedens: de qua ne monere quidem nos dignati sunt tamen, ut re certa prorsus, extraque omnem controversiam posita. Ecce in unitatis numerum omnia verterunt, ut de Meleagro, si Diis placet, ipso capiamus, qui ultro regem adiens, an auctor intentati Perdiccæ exitii fuerit, interrogarit: cum vulgati numerum multitudinis omnes exhibeant, et de multitudine militari intelligi plane velint. Quid autem eos non coëgit, dicam, sed movit? An historiæ fides? nihil minus. Una est vocula, ut video, *proviso*, quam videbant rei nullo modo convenire; neque convenit illa certe: qui enim providere seditionem dici debent, aut possunt, ipsi seditionis

Digitized by Google

auctores, et jam manifeste tumultuantes? At emendanda igitur hæc, non reliqua pervertenda: faciam ego, quod illi minus potuerunt, ac vicem ejus rescribo *professa*. Palam enim seditionem profitebantur aditione simul et interrogatione tam tumultuosa. Qui primitus mutarunt, patiendi significatum ferre et concoquere non potuerunt in voce, quæ flexum haberet eum saltem, ceterum agendi notionem. At quam multa talia ad idem exemplum ab omnibus passim usurpentur, omnes jam norunt vel primas literas docti. Tu me sequere, intelligens lector, et totum locum, qua ex vulgatis libris, qua ab ingenio nostro restitutum ita rescribe: *Postero die indigna res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum, et Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant. Atque illi seditione professa cum regem adiissent, interrogare eum cœpere, an Perdiccam comprehendi ipse jussisset. Ille Meleagri instinctu se jussisse respondit: ceterum non debere, &c.* Acidal. *Seditione provisa*] Aldini exemplaris lectionem hic sequimur, cui et Mss. favent: at illa vulgatis aliis, Acidalioque maxime displicet: omnia igitur mutarunt, voluntque regem a militibus interrogatum, non a Meleagro, quod quidem ipsis plane absurdum videtur. Ergo ut suam sententiam tueantur, illud *provisa* mutarunt in *professa*, aliaque fecere quæ nunc non exsequor. Tantum aio recte scribi, 'Atque ille, seditione provisa, cum regem adisset, interrogare eum cœpit, an Perdiccam comprehendi ipse jussisset? Ille Meleagri instinctu se jussisse respondit.' Totum negotium sic se habuerit. Leonnatus cum equitibus in campos se receperat: at Perdicca, sperans pedites quoque se pellecturum, in urbe substitit; ubi Meleagri insidiis petitus, ad Leonnatum et equites se recipit. Interim percrebuerat rumor Perdiccam jussu Meleagri interemptum esse. Macedones igitur, pedites inquam, indigne ferentes viri tam clari gravem casum, ut est vulgus mutabile subitis, conceptum paullo ante odium in commiserationem viri vertit, et præ se fert velle necem ejus ulcisci. Eam rem in suam perniciem erupturam prævidens Meleager, adit regem, et militibus coram interrogat, an Perdiccam comprehendi ipse jussisset; sperans confitente rege omnem invidiam, omneque periculum posse declinari. Quo fere fine Tiberius apud Tacit. I. 8. 5. quærit ex Messala, 'num se mandante eam sententiam dixisset;' ad invidiam, inquam, appetitæ dominationis evitandam, si ejus sententiæ alium auctorem, ipso confitente, posset ostendere. *Freinsh.* Quidquid explicat Freinshemius, verissimam puto lectionem integri hujus loci, *atque illi seditione provisa, cum regem adissent, interrogare eum, an Perdiccam comprehendi ipse jussisset.* Ratio, quia sine dubio rex respondit illi, a quo fuit interrogatus: jam si Meleager hoc erat, quid ita dicit ipsi, *Meleagri instinctu se jussisse?* quid ita sine transitione ad milites ipsos conversus, ait, *ceterum non debere tumultuari?* Scheff. Meleager interrogavit regem, militibus præsentibus et audientibus, qui indignati fuerant, Perdiccam a Meleagro in vitæ discrimen adductum esse; sperabat autem Meleager, confitente rege, quod rogabatur, se extra periculum et invidiam fore. *Cellar.*

Ipsius instinctu] Ita ausus sum scribere de conjectura, cum vulgo *Meleagri instinctu* legeretur; quod hoc ad vocem *ipsius* ab aliquo σχολιαστικῶς adscriptum fuisse divinarem; sic enim sæpius evenisse scio: ita tamen hoc a me factum est, ut nemini eam rem præjudicium afferre velim, qui modo Glareani somnia, omnia hic pervertentis, contemnere aut ridere potius meminerit. *Modius.*

Quoque volentes] Vel *quisque* scribe,

Digitized by Google

cui *volventes*, vel *volvente*, cui respondeat *quoque*, id est, unoquoque. *Acidal.* Prius ego etiam olim divinaveram. Idemque Bongarsio placuerat. *Freinsh.* Forte, *secretæ cogitationis intra se quodcumque volventes.* Heinsius.

Ex comparatione regis novi] Sic apud Suetonium Calig. VI. 4. 'Auxit gloriam desideriumque defuncti (Germanici) etiam atrocitas insequentium temporum.' Plutarch. extremo Artoxerxe, 'Clemens habitus est et popularium amans, præcipue ob filium Ochum, qui sævitia et atrocitate omnes superavit.' Plura forte aliquando ad ista Taciti XIV. 51. 3. de Burro: 'Civitati grande desiderium ejus mansit, per memoriam virtutis, et successorum alterius segnem innocentiam, (quod apprime quadrat in Aridæum,) alterius flagrantissima flagitia et adulteria.' Hinc relicto successore Tiberio suspectus Augustus fuit, tamquam 'comparatione deterrima gloriam sibi quæsivisset.' Tacit. I. 10. 9. *Freinsh.*

Ubi esset ... requirebant] Fallor, an hoc quoque insititium *requirebant.* Omnino est ex illis exemplis, de quibus egimus, et supra sæpe, et hic paullo ante: nimirum auctor lectorem sibi ipsum talia voluit, quæ de industria exprimere supersedit. Distinguatur ergo, *Desiderium excitabatur amissi: ubi illum esse, cujus imperium, cujus auspicium secuti erant? destitutos se, &c.* Ceterum illi nunc diffido, quod in reliquis olim conabar, *quando tanta oblata esset occasio.* Occasionem interpretabar ipsam mortem Alexandri. Non male quidem, etsi forte fortuna. *Acidal. Requirebant*] Expungebam hanc vocem: eamdemque reperio fuisse mentem Acidalio. *Freinsh.*

Quandocumque] Acidal. legit, *quando tanta oblata esset occasio:* et occasionem, dubius tamen, interpretatur de morte Alexandri; quo quadrat illud Taciti Hist. I. 21. 4. *opportuni magnis conatibus transitus rerum.* Mihi tamen præplacet recepta lectio, *quandocumque:* ut primum excutiendi Macedonici jugi nacti fuissent occasionem, ei non esse defuturos. *Freinsh.* Mss. *quandoque*, male mutat Freinshemius. Vide Indicem 'quandoque.' *Heinsius.*

Animos exedebant] Maximo cruciatu conficiebantur: elegans locutio, quam vindicat aliis etiam elegantiarum pater N. Heinsius ad Ovid. Met. XIV. 208. et præeunte magno Gronovio ad Val. Flacc. Argon. V. 365.

Fames esse cœpit] Non ego ausim, quod audacior aliquis, et acutior, *fames excepit:* simplicitas hic mihi placet, qui memini fere semper a Curtio id verbum in re tali poni, lib. IV. 'Copia aliarum quoque rerum abundare cœperunt.' lib. IX. 'Deinde ad ultimum famem sentire cœperunt.' *Acidalius.* Tentat Acidalius, nec tamen probat, *fames excepit.* Freinsh.

Tutior aliena sedes] Non omnino dissimile, quod et miratur Tacitus II. 17. 3. 'Mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campos adstiterant, in silvam, ruebant.' Scilicet 'omnia metuenti præsentia maxime displicent,' ut ait idem Hist. III. 85. 2. Tarentini sub Rege Pyrrho τῆς πόλεως ὃς ἀλλοτρίας ἐς τοὺς ἀγροὺς ἀνεθάρσουν, Appian. in Excerpt. Vales. Talis facies Romæ sub Decemviris, Liv. III. 38. 12. *Freinsh.*

Inter se certantium præmia] Quæ consideratio sæpe pacem persuasit infensissimis. Apud Sallust. Jug. LXXIX. 3. 'Ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt.' Quem ad locum multa proferre poterit, quisquis nostrum auctorem illum notis illustrandum sibi sumpserit. *Freinsh.*

Cum civibus] Idem inculcat Cæsari

Digitized by Google

Sallustius de Republica. Agesilaus apud Xenophont. 'Hostis loco civem nullum habebat.' *Freinsh.*

Altera legatione] Cassiodor. Var. Ep. III. 4. 'Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma movere.' Vide Paschal. Legat. cap. 6. *Freinsh.*

§ 21 *Fratris claritate suppressam*] Melius credo *suppressæ*, imo non credo, sed scio. *Acidalius. Suppressæ*] Ita vere cum Acidalio legimus, non ut ante erat, *suppressam.* Raderus. *Fratris claritate suppressam*] Acidalius mavult *suppressæ;* non male; præsertim si et sequentia leviter emendes: *Ingentem spem indolis ante eum diem fr. cl. suppressæ, in eo moderata excitavit oratio.* Si tamen pro *spem* legas *speciem*, quæ sæpe se invicem loco pellunt, quadrabit *suppressam.* Freinsh. Acid. et Freinsh. et Tellierius malunt *suppressæ*, quam vulgare *suppressam.* Ceterum hæc *indoles* non tantum fratris claritate, sed per se etiam suppressa fuit, siquidem Aridæus ἀτελὴς τῷ φρονεῖν ἦν διὰ σώματος νόσον, *mentis non compos erat ex corporis vitio*, non naturali quidem, (festiva enim nec ignava indoles in puero eluxerat,) sed novercæ fraude contracto, quippe fama erat, φαρμάκοις ὑπὸ Ὀλυμπιάδος κακωθέντα διαφθαρῆναι τὴν διάνοιαν, *Medicamentis ab Olympiade vitiatum, mente debilitatum fuisse.* Plutar. Alex. *Cellarius.*

§ 22 *Eosdem rursus legat*] Ita legunt omnes Mss. et editi. Nec absurda auribus Latinis est locutio, ut 'legare' pro 'mittere' sumatur: sic paullo ante etiam 'legatur a rege Parsas.' Lib. IV. 5. 11. 'duodecim legantur ad regem;' ubi ex nostris variat Merulæ editio, 'delegare' substituens. Variantem tamen hujus loci scripturam ex codice suo Petrensi annotavit doctissimus J. Wasse ad Sallust. Jug. cap. 30. *legat sibi homines nobiles;* ubi codd. fluctuantes etiam *legit* habent, sed locutionem etiam Ciceroni familiarem ibi jam adservarat Rivius: namque etsi 'legare' inter regem et milites hujus ævi ratiocinio non respondere aut congruere videatur, optimis tamen cultissimæ Latinitatis auctoribus non fuit improbatum. Longius ab usu more suo recessit Florus lib. IV. 2. 62. ubi Cæsar dicitur, 'ablegato equo, similis furenti in primam aciem procurrere.' *Snak.*

CAP. IX. § 1 *Insociabile est regnum*] Ita Alexander Dario pacem petenti respondet supra IV. 11. 22. ex Justino XI. 12. 15. 'Neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna salvo terrarum statu habere.' Ita Ennius quoque apud Ciceronem Offic. I. 8. 'Nulla sancta societas nec fides regni est.' Homerus Iliad. B. 204. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Ubi Scholiastes. Hanc caussam esse voluit (ut ex Aristotele annotavit Delrius) Musæus, cur aquila tres pullos excludens duos nido deturbet, unum educet. Seneca in Agamemn. vs. 259. 'Nec regna socium ferre, nec tædas sciunt.' Lucan. I. 93. 'Nulla fides regni sociis; omnisque potestas Impatiens consortis erit.' Statius Theb. I. 129. 'et summo dulcius unum Stare loco, sociisque comes discordia regnis.' *Raderus.* Inde apud Tacit. XIII. 17. 1. Neroni Britannicum opprimenti, 'plerique ignoscebant, antiquas fratrum discordias, et insociabile regnum existimantes.' Adde Lipsium Politic. II. 2. Clapmar. Arc. Rer. c. 22. et latissime Tiraquellum de Jure Primig. IV. 13. et seqq. *Freinsh.*

§ 2 *Collegere vires*] *Collisere* membranæ quædam. *Modius.* Mss. *conlisere*, quod possis explicare, primo inter se depugnasse et commisisse communes vires, mox dispersisse in regna plura. *Freinsh.* Nil muto: et sic *læseris vos*, pro *legeris*, apud Martialem. *Heinsius.*

Digitized by Google

§ 3 *Proinde jure merito*] Sunt, qui Curtium sub Augusto vixisse ex hoc loco colligunt, alii sub Tiberio et Claudio. Janus Rutgersius I. 19. Var. Lect. sub Vespasiano principe Q. Curtium floruisse contendit. At Barnab. Brisson. lib. I. de R. P. hæc verba de Claudio imperatore intelligenda esse censet; nam post Caii cædem per biduum de mutando reip. statu, asserendaque communi libertate hæsitatum; sed cum senatus segnior in exsequendis conatibus esset per tædium ac dissensionem diversa censentium, et multitudo, quæ circumstabat, Rectorem unum, et nominatim Claudium exposceret, imperium ei stabilitum atque firmatum, ut ex Suet. x. 12. et Josepho Antiq. xix. 23. constat. Q. vero Curtius vixisse temporibus Augusti vel Tiberii colligitur ex indice Rhetorum præfixo Suetonii libello de claris Rhetoribus, ' L. Cestius Pius, M. Porcius Latro, Q. Curtius Rufus :' ubi jungitur Curtius Cestio et Latroni. At Cestius vixit Augusti anno xxxi. Latro xl. ut Hieronymus in Chronicis testatur. In eodem indice longo ordine post Curtium refertur ' Fabius Quintilianus,' qui sub Vespasiano vixit. Illum autem Curtium Rhetorem hunc esse auctorem Historiæ Alexandri elegantissime scriptæ docti viri existimant; quibus libenter consentio. Vide latius præfationem ad Hesselum filium. *Popma. Jure meritoque*] Ex hoc loco scriptores ætatem et tempora, quibus Curtium vixisse arbitrantur, conjectant; et est triplex auctorum sententia. Alii ad tempora Augusti referunt, adducuntque Virgilii versus ex Georg. I. ' Ille etiam exstructo,' et quæ sequuntur: alii ad Claudii Cæsaris creationem: alii denique ad Vespasiani, de quibus copiose in Prolus. disputatum est: nos ad Tiberium, ætatem Curtii retulimus. *Raderus. Proinde jure*] Hic est locus, unde potissimum de Curtii nostri ævo conjectura capitur. De qua re Proleg. cap. 1. respice, ubi diversas doctorum opiniones retulimus: ex quibus eam quæ Vespasiani temporibus adscribit, meliorem deprehendisse videor, hoc etiam argumento, quod Augusto posteriorem fuisse constet ex eo, quod plurimis locis Diodorum aperte, non secus atque Polybium Livius, interpretatus est: priorem autem Trajano conjicio ex iis, quæ de mari rubro adfert, omnia ex antiquis petita; cum sub Trajano tamen eo usque pateret imperium, et quædam magis comperta afferri potuissent, ipsiusque principis, aut Romani certe populi, honorifica haberi mentio, quam per optimam occasionem non videatur omissurus fuisse. Cum iis, qui sub Augusto vixisse putant, sentit Wolfius Rer. Memor. Centur. 1. et sentire videtur Barthius ad Claudiani Rufin. I. 275. Verum Adversar. xiv. 7. non vult esse tam veterem ut plerisque videtur. Joan. Isac. Pontanus eleganti ad Vossium Epistola, tendit de Trajani temporibus hæc interpretari. Verum Rutgersii sententiam (Vespasiano consvum facit) Auctoris verbis apprime convenire, ostendit clarissimum literarum lumen Ger. Vossius, in eximio illo opere de Historicis Græcis et Latinis, Latin. I. 28. quod si aliquanto maturius adipisci licuisset, in tribus prioribus Proleg. capp. admodum juvari, in eo etiam de scriptoribus historiæ Alexandrinæ, omni fere cura levari poteram. Nam de illis quoque diligentissime inquisitum est ei de Hist. Græc. I. 10. et 24. Male sit iis, qui turbas has exitiabiles fovere, et quantum in ipsis est, immortales reddere gaudent: nam et elegantissimum illud opus serius inspexisse, inter incommoda damnaque furialis hujusce belli numero. *Freinsh.* Epistol. Joh. Isac. Pontani ad G. J. Vossium edidit Cl. Ant. Mattheus, quæ est in Sylloge ea Epist. 87. *Snak.*

Digitized by Google

Cui noctis] Aut 'nox' est calamitosus reip. status per translationem, aut quia sequentia verba, *pene supremam*, videntur propriæ notionis argumentum; vel nox Bebriacensis prælii intelligitur apud Tacit. Hist. III. 22. aut secundum alios 'nox,' quæ inter Caligulæ et Claudii principatum intercessit, quam Josephus Ant. lib. XIX. ut satis periculosam describit. Similiter Livius VI. 17. locutus est. *Cellarius.* Leg. *qui nocti.* Refero ad Augustum. Vide Freinsbemium. *Heinsius.*

Novum sidus illuxit] Simillima hæc Senecæ de Claudio: 'Sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat:' imo dicas ab alterutro desumpta. Lipsius ad Senecæ Consol. ad Polyb. cap. 32. Agnoscas in pluribus scriptoribus multa, alia aliis Curtianis componenda; quæ occurrerint, dabo. Florus præfatione 8. 'Movet lacertos, et præter spem omnium, senectus imperii, quasi reddita juventute revirescit.' Prudentius lib. II. contra Symmachum, in prosopopœia Romæ: 'Senium omne renascens Deposui, vidique meam flavescere rursum Canitiem.' Symmachus Epist. X. 22. 'Fecistis ut urbs cana luxuriet in primam reduota lætitiam, et ver illud quondam vigentis ætatis.' Virgil. Georg. I. 468. 'Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.' Quem versum sublegit Sedulius II. 244. leviter mutans: 'Impia perpetuam,' &c. Cic. pro Flacco cap. 40. 'O nox illa, quæ pæne æternas huic urbi tenebras attulisti,' &c. Liv. VI. 17. 5. 'Non obversatam esse memoriam noctis illius, quæ pene ultima atque æterna nomini Romano fuerit!' Tacit. H. I. 11. 5. 'Inchoavere annum sibi ultimum, Reip. prope supremum.' Eumenius Paneg. ad Constantium Cæs. cap. 2. 'De te igitur mihi, (obiter corrigo, 'Det ig. mihi') 'Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium, divinus ille vestræ majestatis ortus, ipso quo illuxit auspicio veris illustrior.' Quos imitatus Rubeus ad Sixtam V. in dedicatione Histor. Ravenn. 'Qui felici suo Pontificatu, quasi salutari nobilissimoque exorto sidere optatissimam terris quietem, et ubertatem induxerit.' *Freinsh.*

§ 6 *Certe diuturna posteritas*] Ea dici potuere Vespasiano, non parenti modo, sed jam avo. Sane similis Curtiano isti est locus Silii Italici III. 625. ubi Jupiter sic Vespasiani hujus filium compellat: 'Tunc, o nate Deum, Divosque dature, beatas Imperio terras patrio rege, tarda senectam Hospitia excipient cœli, solioque Quirinus Concedet, mediumque parens fraterque locabunt. Siderei juxta radiabunt tempora nati.' Clare Domitianum, non divi modo filium, appellat; sed etiam divos daturum ait: nec aliter Papinius Silv. I. 1. 74. ad eumdem Domitianum: 'Salve magnorum proles genitorque Deorum.' Item IV. 3. 53. 'Salve dux hominum, et parens Deorum.' Quare palpus iste Curtii optime convenit Vespasiano; non item Trajano ἀναιδῶ. *Vossius.*

§ 7 *Deponebat*] Malim *ponebat.* Freinshemius. Forte *reponebat.* Heinsius.

§ 8 *Dissimulationis premebat*] Plane Virgilianum Æn. I. 'Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.' *Snak.*

§ 9 *Ostentare ei cepit*] Suffecerat *ostentare*, nec dubito, quin reliqua sint ab aliena manu. Mss. tamen tenent. *Freinsh.*

§ 11 *Exercitum lustrari*] Expiari: id singulis annis factum apud Macedones mense Xantico, unde solemnia sacra illa Ξανθικὰ dicta, quæ Hesychius definit καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. *Cellar.*

§ 12 *Lustrare milites*] Illustrat hunc Curtii locum Jo. Meursius, Vir Græce Latineque egregie doctus, in Græcia

Digitized by Google

Feriata, voce 'Xanthica,' his verbis: ΞΑΝΘΙΚΑ Macedones celebrabant, eratque militum lustratio. Hesychius: *Ξανθικὰ, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς, ἢ Ξανθικοῦ ἀγομένη· ἔστι δὲ καθάρσιον τῶν στρατευμάτων.* Sed corruptus ille locus. Nam cur Xanthici mensis nomen bis commemorat? deinde, quonam mensis die actum festum? Rejicio illud posterius *Ξανθικοῦ*, a librario oscitante geminatum, et restituo *Ξανθικοῦ μηνὸς ἢ ἀγομένη*. Nempe ad diem VIII. Xanthici (quem Aprili fere respondere putant) celebrari id festum solitum Hesychius scripserat. De lustratione militum, quod subjungit, tunc peracta; eam ita describit Liv. XL. 6. 1. 'Forte lustrandi exercitus venit tempus; cujus solemne est tale. Caput mediæ canis præcisæ et prior pars ad dextram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur: inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur, præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ regum, deinde rex ipse cum liberis sequitur: proxima est regia cohors, custodesque corporis: postremum agmen Macedonum cetera multitudo claudit. Mos erat, lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere; et divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacram pugnæ.' Et mox LX. 13. 3. in Demetrii Oratione ad patrem Philippum: 'Quis dies? quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam prælatis omnium, qui umquam fuere, Macedoniæ regum armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, prævecti sumus, et secutum est Macedonum agmen.' De eadem lustratione, sed non adeo plene, Curtius, &c. *Raderus.*

Ultimo in campo] Partes illæ præcisæ utrimque in ultimis campi illius, in quo lustrabatur exercitus, partibus ponebantur: *ultimo* ergo hic pro extremis campi partibus accipitur. *Raderus.* Ponebantur in dextro sinistroque latere, aut quasi margine, campi. *Freinsh.*

Hinc equites] Vulgo, *hinc milites, hinc equites, illinc Phalanx:* ineptissime. *Modius.*

§ 19 *Vindicaturum*] Leg. *venditaturum*: et vide ad Paterculum II. 100. *Heinsius.* Sed et ibid. Cl. P. Burmannus recte antiquam lectionem acutissime vindicat. *Snak.*

§ 21 *Ejus nomine abutentis*] 'Rex nomine est quis sæpe, vim alter obtinet,' inquit senarius apud Gruterum, qui ex Tacito VI. 43. 4. subjicit: 'Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat: neque penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo.' Consulatur Plin. Orat. ad Trajan. cap. 88. *Raderus. Abutentis* editi, pro *abutentes*, ut in Mss. fere semper scribi comperio: quod hoc loco monuisse, in similium etiam patrocinium valere postulo. *Freinsh.*

Loci religione] Nihil sacrum aut religiosum impiis et hostibus. Sic Virg. Æn. II. 560. Pyrrhus Priamum 'altaria ad ipsa trementem Traxit,' &c. (Adde Xenoph. lib. VI. Hist. Græc. de Mantineis in templum Dianæ confugientibus: Appian. Mithrid. de Prusia.) Modeste et pie Alexander sup. IV. 4. 18. victoria in Tyrios usus. De aris et asylis templorum statuarumque copiose Alexander Neapol. III. 20. De confugiis Christianorum etiam jurisconsulti. Alii tamen scriptores Justin. Arrian. Diodor. Oros. negant interfectum, additque Diodorus XVIII. 3. Lydiæ prætorem factum. *Raderus.* Alii quidem scriptores interfectum nec tradunt, nec negant: at Diodorus expresse affirmat sequenti statim capite: itemque Arrianus apud Photium. *Freinsh.*

CAP. X. § 1 *Imperium dividi*] Talem divisionem regnorum perniciem esse docet Arnis. de Rep. II. 2. 7. et Tholosan. lib. XXV. Porro divisio

Digitized by Google

provinciarum inter duces Alexandri plerisque memoratur, quorum consensum aut discrepantias, itemque depravationes secundum literarum seriem, velocioris intellectus ergo, subjecimus. *Freinsh.* Ad calcem nempe capitis. *Snak.*

Ita dividi placuit] Operæ est hanc divisionem conferre cum aliis historicis. Perdiccas igitur primo ita dividit, ut Aridæum quidem Philippi ex Larissæa saltatrice filium regem faciat titulo tenus, se vero ἐπιμελητὴν τῆς βασιλείας, *procuratorem regni*; nam curatoris egebat Aridæus, cum emotæ paullum mentis, teste Diodoro, solus rebus suis superesse non posset. *Loccenius. Ita dividi placuit*] Paullo aliter divisionem narrat Diodor. XVIII. 3. et postea quoque varie mutata fuit, dum alius alii præfecturam eripuit, suæque adjunxit. *Cellar.*

Ptolemæus Ægypti et Africæ] Appianus, qui et hanc distributionem percenset in Syriacis, auctor est, Ptolemæum non sola Ægypto contentum etiam Syriæ imperium affectasse. Diodorus, solius Ægypti satrapam factum. Justinus, non Ægypti tantum, sed et Africæ, ut Curtius habet, et Arabiæ. *Loccen. Et Africæ gentium*] Ægyptus in Geographia veteri Asiæ est pars, a qua Africa Catabathmi valle distinguitur. Pauca ergo veteris Africæ parebant Macedonibus. Scilicet quæ circa Hammonis oraculum erant, quod Plinius v. 5. in Cyrenaicæ finibus locat, Ptolemæus v. 4. ad Marmaricam reducit. *Cellar.*

§ 2 *Philotæ*] Plures in Alexandri exercitu Philotæ, Parmenionis filius propter conjurationis suspicionem lib. VI. enecatus. Alius in conjurationem Hermolai adscitus VIII. 6. filius nempe Carsidis Thracis Arrian. lib. IV. Iterum alius Angæus cognomine v. 2. cui videtur Cilicia destinata esse. *Cellar.*

Antigonus] Factus etiam ἐπίσκοπος τῆς ὅλης Ἀσίας. Appian. Lyciæ vero et Pamphyliæ satrapam non Antigonum, sed Nearchum Justinus facit. *Loccen.*

Menander in Lydiam] Diodorus Meleagro Lydiam cessisse scribit. *Loccen.*

Leonnato] Nepos in Eumene: 'Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem jacet, atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Europæis adversariis.' De Eumene aliter Nepos, ubi vide Popmam et Lambinum. *Loccen.*

§ 3 *Præceptum est*] Quippe dicta tantummodo Eumeni tum temporis Cappadocia fuit, quam adhuc rex Ariarathes tenebat, relictus ab Alexandro magis necessariis bellis occupato: postea vero a Perdicca victus, et regno exutus, cujus administrationem Eumenes Cardianus accepit. Diodor. XVIII. 16. Nepos Eumene. *Cellar.*

Cum Arbate] Cur Eumenes bellum cum Arbate gereret, et solus detrectaret imperium, Plutarchus caussam hanc refert, quod cum Cappadocia ei cessisset, et Paphlagonia mari Ponti-co subjecta Trapezunte tenus, ea tunc in Macedonum ditione nondum erat: sed regnum ejus obtinebat Ariarathes: post tamen aliquanto, præsente et ductore Perdicca, ille provincias subegit capto Ariarathe, quem Curtius Arbatem nominat. Vide Justinum lib. XIII. et Plutarchum in Eumene, apud quem perperam Ariobarzanes pro Ariarathe legitur. *Popma.*

§ 4 *Python Mediam*] Ælianus V. H. lib. IV. refert Alexandrum Ptolemæi dexteritatem habuisse suspectam: Arrii turbulentiam, et Pythonis novarum rerum studium timuisse. Igitur Antigonus, qui Lyciam cum Pamphylia et majore Phrygia obtinuit, cum intelligeret Pythonem peregrinum exercitum conscribere, et novas res moliri; ut opprimeret incautum, simulabat se fidem non habere nunti-

Digitized by Google

antibus, inquiens: Ego vero nequaquam crediderim hoc agere Pythonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum atque Thracum, et mille præfecturæ custodes paravi, quos ei mitterem. His auditis Python fidem ejus in se ac benevolentiam collaudans, confestim ad recipiendum auxilium venit, quem in medium Macedonum introductum Antigonus interfecit. Polyæn. lib. IV. Strateg. *Popma.*

Lysimachus Thraciam] Quædam editt. *Leonachus* habent, sed leg. *Lysimachus;* nam Pausan. Att. lib. I. Appian. Syr. Diod. et Justin. omnes *Lysimachum* Thraciæ satrapem faciunt. Adde quod lib. VIII. initio Curtius 'Lysimachum' vocat, 'qui postea regnavit.' Ejus vero regnum singulari omine portendens firmavit Alexander, cum ipsi aliquando forte a se in fronte vulnerato diadema suum vulneris obligandi causa imposuit. Justin. lib. XV. *Loccenius.*

Imperium obtineret] Antea hæc sic legebantur: *quibus quisque finibus habuisset, imperii etiam jus obtineret. Decretum est ut Perdicca, &c.* Ita fœde et contaminate, ut mehercule non tam ideo gaudeam, quia terram video, et molestissimi laboris finem adesse sentio, quam eo nomine, quod sciolorum ineptiis, quæ me toties pelvim poscere coëgerunt, aures oculosque tandem tandem avertere licebit. *Modius.*

§ 5 *Decretum est ut*] Hæc verba superflua videntur. *Freinsh.*

Credidere quidam testamento] Sed hoc falsum esse satis constat ex certamine amicorum post mortem Alexandri de divisione. Quin et citior mors eripuit ei facultatem disponendi. Lucian. Dial. Mort. Diogen. et Alex. Αὐτὰρ εἰπέ μοι, τίνι τὴν τοσαύτην ἀρχὴν καταλέλοιπας; Al. Οὐκ οἶδα, ὦ Διόγενες· οὐ γὰρ ἔφθασα ἐπισκῆψαί τι περὶ αὐτῆς· ἢ τοῦτο μόνον, ὅτι ἀποθνήσκων Περδίκκᾳ τὸν δακτύλιον ἐπέδωκα. *Sed dic mihi, cuinam tam ingens illud imperium reliquisti moriens?* Al. *Id equidem ignoro, Diogenes; celerius enim e vita submovebar, quam ut esset otium de illo quidquam statuendi, præter id unum, quod moriens Perdiccæ anulum tradidi.* Loccenius.

Famam ejus vanam fuisse] Indignatur hoc Judicium Tellierus, cui religio est dissentire ab Auctore Machab. I. 7. ubi scripsit de morituro Alexandro: διεῖλεν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, ὅτι ζῶντος αὐτοῦ. *Cellar.*

Testamento Alexandri] Utrum vivus testamento signarit regnorum et provinciarum successores aut præsides Alexander, incertum est: quamvis Curtius illam famam vanam esse existimet, auctoribus tamen, ut ipse non inficiatur, testatam. Hoc interim certissimum est, a vivo adhuc provincias certis diebus adsignatas, si qua fides, ut summa esse debet, Sacris Literis. Machabeorum I. 1. 'Post hæc decidit in lectum, et cognovit quod moreretur, et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, et divisit illis regnum suum, quum adhuc viveret.' Ea, 'dum adhuc viveret,' inquiunt, divisit illis regnum suum, si testamento distribuit, certe vivus testamentum fecit. Non ergo vana fuit omnino fama de testamento, quod illis vivus tradidit, vel publica voce suum cuique regnum, quod pro testamento erat, adsignavit. *Rader.*

§ 6 *Quas ipsi fundaverant*] Adde Turnebum Adversar. l. XXVII. c. 16. *Snak.*

§ 8 *Contentos esse*] Forte, *contentis esse.* Heinsius.

§ 9 *Septimus dies*] Ælian. Hist. Var. XII. 64. 2. 'triginta diebus inhumatum jacuisse' narrat. Fieri potest, ut neuter fallat. *Rader.* Qui mox subjicit de corpore in Ægyptum avecto, quasi sentiret Ælianum triginta dies computasse a morte Alexandri, donec Alexandriæ humaretur: sed

Digitized by Google

ex Diod. XVIII. 28. patet biennium extractum fuisse, antequam id fieret. Luctum ea super re Olympiadis exponit Ælian. Hist. Var. XIII. 30. Apud Lucianum in Dial. Mort. ait Diogeni: 'Etiamnum in Babylone jaceo tertium jam diem: porro Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur otium ab his rerum tumultibus, qui nunc instant, pollicetur in Ægyptum deportaturum me.' *Freinshemius.* Mendacia hæc sunt adulatorum Alexandri, etiam mortui, aut declamatorum figmenta; ut omnia in Alexandro inusitata viderentur, utque mora ejus Tragice et Rhetorice ornari posset: liquet hoc ex collatione aliorum Historicorum, quam suppeditat Freinshemius. Addendum his silentium Arriani, qui in hisce adcuratissimus est. *Clericus. Judic.* III. 10.

§ 10 *Mesopotamiæ æstus*] Vid. Strabo lib. XVI. Plut. Alex. cap. 66. Ammian. XVIII. 17. 'Ubi solis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu ambustis.' *Freinsh.*

Pleraque] An rectius, *plerumque.* Freinsh.

Vapor solis] Æstus, ardor; ut supra VII. 5. 'Vapor æstivi solis arenas accendit.' Sic Plinius sæpe usus est II. 40. 'Caniculæ exortu accendi solis vapores quis ignorat?' Columella lib. VII. de agnis: 'Id pecus frigoris impatientissimum est, nec minus æstivi vaporis.' Horat. Epod. III. 15. 'Nec tantus umquam siderum insedit vapor Siticulosæ Apuliæ.' *Cellar.*

§ 12 *Nulla tabe*] Contra Lucianus in Dial. Philippi et Alexandri, facit 'istius cadaver porrectum jacere, turgidum sane, et juxta aliorum corporum morem contactu suo omnia labefactans.' Pro Curtio tamen, et qui alii cum eo sentiunt, sit; quod constat, eximia corporis temperie fuisse præditum eum hominem, ut ex ejus ore ac membris omnibus fragrantia mire suavis defluxerit, auctore Zonara, ex Plutarchi Sympos. I. 6. 'Ita ut tuniculæ fragrantia replerentur aromatum odorem æmulante.' Credibile tamen est, non ita plane neglectum jacuisse, præsertim in tanto æstu: id enim contra omnem morem atque rationem fuisset factum: nec impedire poterant istæ turbæ, quin saltem ad durationem melle perfunderetur, quod etiam ita gestum non absurde propugnes, adjuvante Statio Silv. III. 2. 117. 'Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis Conditor Hyblæo perfusus nectare durat.' Fabulam autem illam fuisse sparsam verisimile est, ad eximendam opinionem de veneno regi dato. *Freinsh.*

Vigor] Nam alias spiritu et anima excedente e corpore, statim expallescit corpus, vultus horret, artus obrigescunt, incipitque mox putere, fœtere, tabescere, corrumpi. *Raderus.* Sallust. Cat. cap. 64. 'Paullum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens:' ubi plura Doctiss. Joh. Wasse. *Snak.*

§ 13 *Ægyptii Chaldæique*] Morem Ægyptiorum hunc purgandi cadavera, et odoribus imbuendi, exponit diserte Herodot. II. 86. Scripsit et Lucianus de hoc more *περὶ πένθους, de luctu.* Usi sunt veteres in condiendis corporibus mortuorum sale, nitro, cedro, asphalto, melle, cera, myrrha, balsamo, gypso, calce. Caput octavum Jo. Kirchmanni lib. I. de Funer. Rom. consule. Alexandrum quoque Neap. III. 7. et Tiraquellum. Gretserum de Funebri Christianorum Ritu. *Rader.* Ἐνταφιαστὰς reddiderunt LXX. Genes. cap. 50. 'in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit,' ait Augustin. fin. lib. I. Locut. de Genesi. *Freinsh.*

Adtrectare eum] Quid si legas *Deum?* comparat enim quodammodo hic mortales cum Diis. *Raderus.* Idem mihi videbatur: eadem antithesis in Justino II. 12. 10. 'Quam nullæ sint

Digitized by Google

mortalium adversus Deos vires:' et quod illi jus fasque esse precantur eodem tendit, quo Vitellii adulatio apud Dionem lib. LX. qui interrogatus a Caio, num se vidisset cum Luna congredi, respondet: *Ὑμῖν τοῖς θεοῖς, δέσποτα, μόνοις ἀλλήλους ὁρᾶν ἔξεστι, Solis vobis Diis, domine, fas est invicem videre et conspici*: sic ergo et adtrectare. *Freinsh.*

Solium] Etiam aureo alveo vel loculo conditus est; sed Ptolemæus cognomento Coccus postea aureum furto abstulit, ut tradit Strabo lib. XVII. substituto vitreo. *Loccenius.*

Repletum odoribus solium] Ita hæc sunt jungenda. Diodor. XVIII. 26. 'Cadaveri loculus mallei ductura ita fabricatus erat, ut probe quadraret, quem usque ad medium aromatis, quæ et fragrantiam et durationem cadaveri præbebant, referserant. Supra capulum,' &c. pergit exponere quod dicit Curtius, *capiti adjecta fortunæ ejus insignia*. Aureum autem fuit hoc solium, ex more Persarum, de quo Brissonius. Sic apud Florum IV. 11. 11. Cleopatra 'in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium:' quo loco etiam de hoc Curtiano diximus. Ceterum aureum istud solium diu postea sublegit Ptolemæus Cocces, aut 'Coccyx' (si recte Strabonem lib. XVII. emendavi in prologis Trogi) substituto vitreo. Apud Eustath. in Dionysii vs. 254. idem narratur verbis Strabonis. *Freinshemius.*

Aureum solium] De verbo hoc, quod etiam supra n. 9. occurrebat, diximus ad X. 1. aureum autem solium rapuit substituens vitreum Ptolemæus Cybiosactes, quem Berenice in regni et tori societatem ex Syria acciverat, quum pater Ptolemæus Auletes exsularet. Strabo lib. XVII. Obiter addo, a Dione Cassio lib. XXXIX. Selencum vocari hunc Berenices maritum. *Cellar.*

§ 14 *Veneno necatum*] De Alexandri morte varie auctores tradunt, Curtius, Plinius, Vitruvius, Justinus veneno necatum, quod a Jolla Antipatri filio supremæ regis potioni inditum, ejusque facinoris Aristotelem auctorem fuisse Antipatro. At Ephippus apud Athenæum lib. X. auctor est, Alexandrum non veneno, sed certantem cum Protea quodam exstinctum: nam veneni, ut Plutarchus ait, extemplo suspicionem nemo habuit, quod cum seditiones inter duces fuissent subortæ, cadaver dies complures in locis fervidis positum, nec minimo quidem livore corruptum viderint, sed sexto demum anno indicio delato Olympiada multos necasse, ossa etiam projecisse mortui Iollæ, quasi venenum hic miscuisset. Aristobulus et Plutarchus narrant, eum, quum ad medicum Thessalum commessandi caussa venisset, ibique noctem ac diem insequentem totum perpotasset, febri esse correptum; et cum sitiens multum vini bibisset, mente alienatum, deinde et mortuum. Unde Solinus ait, Alexandrum morbo vinolentiæ apud Babylonem humiliore quam vixerat fortuna exemptum. Alii plures dies eum febricitantem balneo usum, hincque adeo morbum invaluisse, ut postea diem suum obierit. Ego in tanta auctorum dissensione iis assentior, qui Alexandrum veneno sublatum asserunt; quamvis rei veritatem ducum potentia et scriptorum varietas obscuravit. *Popma.* Caussa mortis dubia auctoribus: vide Popmam. Ephippus autem de Alexandri morte librum scripsit: meminit Athenæus lib. X. et XII. et Strattim *περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς* citat Suidas. *Loccen. Veneno plerique*] Ex quibus hodie supersunt Justin. XII. 14. 6. Ovid. in Ibin vs. 297. Suidas. Plin. XXX. 16. 4. Vitruvius VIII. 3. nonnulli apud Diodor. XVII. 118. Plutarch. cap. 129. Tacit. II. 73. 2. Arrian. VII. 5. 14. Bassianus Caracalla apud Dionem. Jornandes de Reb. Get. cap.

Digitized by Google

10. Ælian. Hist. An. v. 29. 7. Oros. III. 20. Plutarch. de Invidia cap. 5. Constantinus Manasses. Dio Chrysost. de Fortuna Orat. LXIV. ex emendatione Casauboni. Pausanias in Arcadicis dubitat an veneno ex Stygis fonte perierit. Alii morbo ex vinolentia contracto decessisse tradunt; ut Ephippus apud Athenæum X. 9. Probus de Regibus. Plutarch. cap. 129. Euseb. de Vita Constant. I. 3. Ælian. Hist. Var. III. 23. Solin. cap. 15. Zonaras. Liv. VIII. 3. 7. Arrian. VII. 5. 14. Sen. Epist. 83. 32. Nam Statius Silv. IV. 6. 72. utram opinionem sequatur his verbis: 'Cum traheret letale merum,' in incerto est. L. Ampelius non immerito dubitat, 'vinolentia' Alexander, 'an veneno' perierit. Contra opinionem de veneno Stygis militat, quod diu postea cadaver incorruptum mansit, etiam ab Augusto conspectum, ut Sueton. scribit. Sed id fieri non potuisset, si Stygis aqua septica fuisset exstinctus. Vide Scalig. Exerc. ad Cardan. 141. 2. *Freinsh.*

Iollam] Idem reperies apud Plutarch. cap. 129. et in Hyperide cap. 4. Arrian. VII. 5. 14. Justin. XII. 14. 6. Oros. III. 20. Vitruvium VIII. 3. Qui omnes egregie confirmant emendationem Casauboni in Dionis Orat. LXIV. legentis: ὅτι τὸν Ἀλέξανδρον (ἀνοσιευεῖ) Ἰόλας καὶ κύλιξ, pro δοῦλος καὶ Κίλιξ. Tamen a Cassandro poculum illud traditum significant Val. Max. I. 7. 2. ext. et Suidas. Diodor. XVII. 118. filium Antipatri poculum regi tradidisse scribit: nomen haud adjicit. *Freinsh.*

Antipatrum] Dio Chrys. dicto loco ait de occidendo eo deliberasse Alexandrum, cujus apophthegma relatum est sup. ad X. 4. 9. *Idem.*

§ 16 *In Macedonia gignitur*] Imo in Arcadia. Locum hunc Curtii diligentissime explicat Nicol. Loënsis Epiphill. III. 10. Item Leopard. Emendat. IV. 8. Vide et Justin. XII. 14. 7. d. Adde Tzetzem in Lycophronis Alexandram, Virgil. Æneid. VII. Didymum Homeri interpretem Iliad. T. Vibium Sequestrum citatos a Philandro ad Vitruvium VIII. 3. Item Tertull. de Anima cap. 50. *Idem.* Prope Nonacrin in Arcadia Stygium hoc venenum fundi auctores sunt Plutarch. in Alex. et Pausan. Arcad. *Cellar.*

Talem esse constat, ut ferrum quoque exurat: ungulæ jumenti dumtaxat patiens esse constat] Pulchram emendationem in turpi mendo ad finem mihi reliquerunt. Quomodo autem reliquerunt? fato fortasse aliquo: nam alias nisi cæci profecto, præterire non potuerunt manifestam repetitionem binarum vocum, quæ e superiori linea in proximam insertæ. Expulsis iis scribe: *Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat, ungulæ jumenti dumtaxat patiens. Stygem, &c.* Si vim Curtio ullam facio hac audacia, manes ejus iratos ipse mihi imprecor, qui pœnas de me condignas sumant nullo respectu reliquorum, si quæ sunt, nec esse nulla scio, meritorum in ipsum meorum: quibus omnibus una ista culpa gratiam omnem patiar derogari. *Acidalius. Dumtaxat patiens*] Sequebatur *esse constat*: quod merito, ut manifestam repetitionem priorum, cum Acidalio expungimus. *Freinshemius. Ungulæ jumenti patiens esse constat*] Curtius jumenti nomen non exprimit. Plutarchus, in Vita Alexandri tradit venenum aquam frigidam fuisse, et instar glaciei gelidam, quæ Nonacride ex petra quadam resudet; eam sicut tenuem rorem excipientes nullo alio vase nisi asini ungula ferre posse: at Plinius ungulas mularum repertas ait, neque ullam aliam materiem fuisse, quæ non perroderetur a veneno Stygis aquæ, quod dandum Alexandro magno Antipater jusserat. Plinii verba l. XXX. hæc sunt: 'Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non

Digitized by Google

perroderetur a veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro M. Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.' *Popma.*

Ungulam jumenti dumtaxat patientem esse constat succi. Stygem] Ita hæc legenda esse primus vidit Leopardus Misc. IV. 8. de hoc fonte Plin. XXX. 16. Vitruv. VIII. 3. Stobæus in Eclog. p. 129. locus autem Arcadiæ, ubi fons, dictus Nonacris, unde Tertullian. de Anima lib. I. 'Nonacrin venenatam' vocat. *Loccen. Ungulæ jumenti*] De hac re vide modo citatos. Hoc modo noto, Aristotelem invidia gravari, quasi ipse Antipatro consilium id dederit, venenique ejus naturam detexerit. Sane et Alexandrum ab eo alienum fuisse, et ab Alexandro ipsum, constare potest ex Plutarch. cap. 98. item de Sui Laude cap. 19. et de Profect. Virtut. Sent. cap. 10. Ergo Plin. XXX. 16. 4. 'Ungulas tantum malarum repertas, neque aliam ullam materiam quæ non perroderetur a veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.' Adde Plutarch. cap. 129. Arrian. VII. 5. 14. Diodor. XVII. 118. Quod quidem utcumque traditum, in sectam Aristotelis post multa sæcula acerbe vindicavit Bassianus Caracalla apud Dionem. *Freinsh.*

§ 17 *Traditumque fratri Iollæ*] Iollas Antipatri filius securitatis caussa potum Alexandri prægustare solitus venenum supremæ regis potioni immisit. unde Justin. lib. XII. 'Accepto poculo,' inquit, 'media potione repente, veluti telo confixus, ingemuit.' Persas autem primum instituisse ministrorum gustu cibos et potum explorare Suidas refert his verbis: 'Εδέατρος τὸ μὲν ὄνομα Ἑλληνικὸν, ἡ δὲ χρεία Περσική ἦν, ὃς προγευστὴς τοῦ πρώτου καὶ τοῦ Βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. De prægustatoribus regum et principum virorum, vide quæ diximus in libro de Operis Servorum verbo 'Prægustatores.' *Popma.*

§ 19 *Interfectis omnibus*] Cassander Antipatri interfecit Olympiadem Alexandri matrem, Diodor. XIX. 61. Justin. XIV. 6. 11. Eusebius. Pausan. in Atticis. Alexandrum ejus ex Roxane filium, cum ipsa matre, Diodor. XIX. 104. Eusebius. Herculem alterum ejus filium, Pausan. in Bœoticis. Ergo Justin. XVI. 2. 5. ait 'Cassandri domum Alexandro M. stirpis exstinctæ pœnas luisse.' *Rader.* Adde Reineccium in Regno Maced. Josippum Hebr. a pr. Justin. XV. 2. 3. XVI. 1. 15. XVI. 2. 5. *Freinsh.*

§ 20 *Corpus ejus a Ptolemæo*] Alexandri corpus a Ptolemæo, cui distributis provinciis et divisis imperii partibus Ægyptus cesserat, Alexandriam translatum est. Ejus conditorium fuit in media urbe Alexandria, cujus species instar sacelli hodieque ibi exstat cum sepulcro insigni, quod Mohometani magno honore afficiunt, ut testatur Leo Africanus lib. VIII. *Popma. Corpus ejus*] Pompa, qua translatum fuit, exacte describitur a Diodoro XVIII. 26. *Freinsh.*

A Ptolemæo] Ælian. Hist. Var. XII. 64. elegantem fabulam narrat: cum diu jacuisset insepultus Alexander, Aristandrum vatem rem exprobrasse ducibus, adjecto felicem fore, qui corpus Alexandri in sua provincia haberet. Quo inductum Ptolemæum id clam avexisse, decepto etiam Perdicca, qui persecutus eum fuerat: legendum enim Πτολεμαῖος δὲ τὸ σῶμα ἐξέκλεψε, non, ut vulgo, ἐξεκάλυψε. *Freinsh.*

Memphim] Pausanias Atticis: Ptolemæus 'iis Macedonibus, quibus negotium datum erat, ut Alexandri cadaver Ægas reportarent, ut sibi illud traderent persuasit, acceptumque Macedonico ritu in Memphi condidit.' Adde Diodor. XVIII. 29. Arrian. apud Photium. *Freinsh.*

Digitized by Google

Alexandriam] Secus quam voluit Alexander apud Justin. XIII. 4. 6. quæ verba reperiuntur sup. X. 5. 4. Vide notas amantissimi Soceri ad Sueton. Aug. 18. 1. 'Conditorium et corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali subjecisset oculis, (Augustus) corona aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus est.' De eo Lucan. VIII. 694. 'Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro,' in apostrophe ad Ptolemæum: et IX. 154. 'adytisque retectum Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam.' Quod 'in dolorem sæculi, invidiamque fortunæ, in conditorio servari,' eleganter ait Plin. XXXVII. 2. 6. *Freinsh.*

Nomini honor] Locus Sepulturæ Alexandri Σῆμα dictus, ut pridem notavit Casaubonus ad Octavium. *Loccen. Nomini honor habetur*] Varius atque multiplex, præsertim gesta ejus extollendo. De qua re Julianus Orat. I. haud inepte judicasse videtur: 'omina illa, et responsa, aut per visum objectas species de Alexandro vulgata, a poëtica licentia non multum recedere.' Ceterum quantus ejus memoriæ sit honor habitus ex subjectis passim cognosces. 'Dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento;' idque Macrianorum familiam observasse tradit Pollio in Quieto ex XXX. Tyrannis. Ejus effigie Augustus signavit. Sueton. Aug. 50. 1. Idem ejus sepulchrum curiose inspexit, corpusque honore affecit: ut paullo supra dictum. 'Magnus' est cognominatus, quod cognomen 'externorum nulli verius justiusque 'contigit,' judicio Sabellici Exemplor. VI. 3. Creditus est in somnis apparere, et quæ agenda essent præcipere; quam famam commento suo firmavit Eumenes, de quo sup. ad X. 6. 4. et apud Plutarch. cap. II. de alio insomnio: item Antiochus Soter, qui cum Gallis pugnaturus, militibus hoc somnio audaciam fecit, Alexandrum adstitisse sibi, utque tesseram daret ὑγιαίνειν jussisse; ita victoria potiturum. Jam æra Alexandri in 'Orientis partibus' observata, haud levis honor est. *Freinsh. Habetur*] Forte, *habitus*. Heinsius. Adde quæ annotavit Freinshemius in Indice ad vocem 'honorare.' *Snak.*

Sequitur Divisio Imperii inter duces post mortem Alexandri ex collectione Freinshemii, referenda ad lib. X. *cap.* 10. *n.* 1.

Rex quidem summam] Aridæus toti imperio cum regia potestate, sive nomine potius, præfectus est. Idem tradit Diodorus XVIII. 2. Appianus Syriacis. Dexippus apud Phot. Cod. LXXXII. et Eusebium. Arrianus apud Photium Cod. XCII. Excerpta Chronologica Latinobarbara. Cum autem universo imperio, quod utique Macedonum erat, præpositum hunc legisset idem, inferiore loco imaginatus est, Macedoniæ regnum antiquis videlicet finibus tum ei traditum; totumque imperium quatuor in partes divisum fuisse. Quod forte acceperit ex D. Hieronymo, qui eumdem errorem erravit ad Daniel. cap. VIII. quem, ut solet, clausi oculis sequuntur.

Amyntas Nicolai F. ut conjicio, Sogdianos accipit. Justin. XIII. 4. 23. ex nostra correctione, quam proponimus statim, vocabulo 'Archon.' Hunc ergo intelligit etiam Curtius inter eos, de quibus ait: 'qui Indiæ, quique Bactris et Sogdianis, &c. præerant, &c.' in iisdem imperiis relicti. Fuit enim hic Sogdianorum prætor. Vide sup. VIII. 2. 14. et Bactrianorum, Arrian. IV. 3. 14.

Digitized by Google

. Antigenes præficitur Susis. Vide infra 'Susiana.'

Antigonus Philippi F. cum Pamphylia et Lycia Phrygiam obtinere jussus. Curtius. Diodorus XVIII. 2. Appianus Syriacis. Arrian. lib. I. et IX. apud Phot. qui 'Lycaonas' etiam nominat lib. IX. ubi hæc sors ei confirmatur. Dexippus Pamphyliam et Cilices usque ad Phrygiam tribuit, quo loco apparet κι syllaba temere duplicata, καὶ κιλίκων factum, ex καὶ λυκίων. Certe idem auctor apud Eusebium diserte ei Lyciam adscribit: Phrygiam autem minorem. Cedrenus tamen etiam Ciliciam ad Taurum ei largitur. Justinus XIII. 4. solius Phrygiæ meminit. Latinobarbarus alia omnia: 'Illam autem, qui circuit contra Aquilonis partes, et illam, qui habet Ircaniam, Antigono donavit regnare.' Postea vero toti fere Asiæ imperavit: ut fere omnes citati produnt; et cum his adjuncta Eusebiana, in successione regum Macedoniæ.

. Antipater sub Alexandro Macedonibus, Thessalis, Thracibusque præfuerat, supra X. 4. 8. tum exercitus per Europam dux constituitur. Arrianus lib. I. apud Phot. Justinus Macedoniam et Græciam; Diodor. Macedoniam cum vicinis populis attributam ei ait: quod eodem recidit. Dexippus apud Photium Cod. LXXXII. latius: 'Universæ Macedoniæ et Græciæ, Illyriis item, et Triballis, atque Agrianis, omnibusque adeo iis, quibus in continente [Europæ] fuerat ab Alexandro adhuc superstite cum plena et summa potestate imperator præfectus.' Idem apud Eusebium Cassandrum filium collegam ei adjicit. Item Arrianus: 'Quæ ultra Thraciam usque ad Illyrios, Triballos, et Agrianos pertinent; ipsaque adeo Macedonia, et Epirus ad Ceraunios usque montes pertingens, cum Græcia universa Cratero et Antipatro obvenerunt.' Latinobarbarus: 'Spaniam autem usque Alyo fluvio et Eracleoticum terminum, Antipatrum ordinavit regnare:' ubi quid per Spaniam intelligat, non video; non enim Iberiam, ut opinor, quamquam sic in margine notatum video a Magno Editore: sed qui non tanti quisquilias istas æstimarit, ut serio mentem intenderet. Forte Græcus auctor scripsit τὰ Ἑσπέρια Antipatro data, hoc est, occidua imperii: quod ille mutarit in Spaniam, reperto regionem illam aliquando Hesperiam fuisse vocatam. Alyo fluvio Halyn intelligere videtur; Eracleotico termino columnas Herculis designat. Eusebiana Ponticam regionem adsignant Antipatro, quo auctore, non exputo. Nam Cedrenus inde sumpsit. Verum Antipater haud diu post ipse pro arbitrio distributis provinciis, pristinum arbitrium rerum Europæarum sibi retinuit. Diod. XVIII. 38. Arrian. lib. IX.

Arcesilaus sortitur Mesopotamiam. Diodor. Cedrenus. Dexippo est Archelaus; vitiose, ut videtur; nam etiam Justino est Arcesilaus. Orosio tamen fine lib. III. Arcelaus: et fuerit forte Archelaus Androclis F. cujus mentio apud Arrianum III. 6. 6.

Archon Babyloniam. Diodorus. Ex quo emendandus Justinus XIII. 4. 23. loco corruptissimo, ubi fere omnia confusa et luxata sunt, ut mox videbimus: hic igitur legendum: 'Babylonios Archon' (sic et Orosius vocat) 'Pellæus.' Illud de Babylonia certum, non Peucesti, cui ademptis Persis, imperiti librarii Babylonios adjecerunt, sed Archoni vel Archonti huic hos evenisse: de Pellæo patriæ nomine conjectura tantum est. Vulgo fuerat, 'Archos Pelasgos,' quasi nomen homini fuerit Archos, provinciæ Pelasgi: quod sua sponte falsi manifestum est. In quibusdam Mss. est *Argos pellagas:* inde conjicio patriæ nomen adjectum fuisse, ut Ar-

Digitized by Google

chon hic Macedo fuerit Pella oriundus. Quam quidem conjecturam insigni fulcimento firmat Arrianus Ind. III. 10. Ἄρχων ὁ Κλεινίου, καὶ Δημόνικος ὁ Ἀθηναίου, κ. τ. λ. οὗτοι μὲν Πελλαῖοι. *Archon Cliniæ F. Pellæus*, alium a nostro fuisse ut credas, nulla ratione poteris. Sic igitur totus iste Justini locus emendandus videtur: 'Bactrianos Amyntas' (de quo paulo supra) 'sortitur, Sogdianos Philippus; Stagnor Parthos; Hyrcanos Phratafernes; Armenios Tlepolemus; Persas Peucestes; Babylonios Archon Pellæus; Arcesilaus Mesopotamiam.' Quomodo et in Orosio reponendum omnes nunc videre possunt.

Aridæus quidam apud Arrian. et Diodor. Phrygiæ ab Antipatro præponitur: postquam Alexandri corpus in Ægyptum transportasset: non autem fuisse 'regem Aridæum,' ut in Justino XIII. 4. 6. editur, ex multis Diodori lib. XVIII. locis colligi potest.

Asander. Vide Cassander.

Atropates Mediæ majori præficitur. Orosius, cui Atropatus est. Justino Acropatos. Diodoro Ἀτράτης mendose, ut animadvertit etiam Bongarsius. Fuerat autem jam olim Mediæ præfectus ab Alexandro. Arrian. IV. 8. 18. qui ejus filiam Perdiccæ despondit. Arrian. VII. 1. 19. Turpe mendum in Justino et Orosio: 'Mediæ majori Acropatos, minori socer Perdiccæ præponitur,' tolle illud 'minori,' et constabunt sibi omnia.

Axiarches. Vide Oxyartes.

Cassander Antipatri F. in Cariam mittitur. Curtius. Diodorus. Justinus. Orosius. Arrianus lib. I. apud Phot. nam libro IX. ibid. et in excerpto Dexippi vitiose scribitur 'Asander,' ut advertit And. Schottus. Balbutire mihi videtur etiam de Caria Cassandro tradita Latinobarbarus: 'Phrygiam autem et illam magnam Cæsaria Deasandro tradidit.' Lyciam ad Hellespontum assignat ei Cedrenus: vel potius Lyciam ac Hellesp. ut legendum sit Λυκίας καὶ Ἑλλησπόντου· ut quidem extat in Eusebianis. Justinus denno ejus inducta mentione stipatoribus regis satellitibus præficit: quod forte postea factum, non suo loco retulit Justinus; nam a patre equitum chiliarcha constitutus est. Arrian. lib. IX. demum eo mortuo Macedoniæ regnum obtinuit. Quo forte intuitu Dexippus apud Euseb. λόγῳ πρώτῳ patri collegam datum autumat.

Cleomenes additur Ptolemæo qui provinciam Ægypti assignatam illi traderet. Justinus. Fuerat enim Cleomenes Alexandriæ ædificandæ præfectus, non quidem ut architectus, (quo nomine non recte cum Dinocrate confunditur,) sed ut satrapa, vel potius, juxta Nostrum supra IV. 8. 5. 'Africæ vel Ægypti vectigalibus' præpositus: ubi quædam de eo disputata. Justinum obscure satis loquentem, cum modo dictis egregie explicat Dexippus: 'Cleomenes ab Alexandro rege huic Satrapiæ' (Ægyptiæ) 'impositus, vicariam Ptolemæo præstare operam jussus est:' quod et Arrianus firmat. Quem postea occidit Ptolemæus, Perdiccæ faventem, ut refert Pausanias.

Clitus Lydiam accepit ab Antipatro. Arrian. lib. IX. Diodor. XVIII. 39. Qui non potest esse alius, quam superbus ille apud Plutarch. de Fort. Alex. II. 12. de quo sup. ad VIII. 1. 20. Quod et Justin. XIII. 6. 16. firmat: 'Clito cura classis traditur.' Tunc enim victoriam illam navalem, de qua Plutarchus, et Justini Prolog. XIV. obtinuerit. Vide Diodorum XVIII. 72.

Craterus Alexandri F. ex Orestide, quæ Macedoniæ pars est. Arrian. Indic. X. 12. Alexandri jussu in Europam proficiscebatur, 'Antipatri loco Macedonibus, Thessalis Thra-

Digitized by Google

cibusque præfuturus,' sup. x. 4. 8. hoc interim mortuo, regiæ pecuniæ custos constitutus, Justin. et cum Antipatro Macedoniam vicinaque regna obtinere jubetur. Arrianus. Curatoris etiam officio, quæque ad regiam pertinent tutelam, mandatis. Dexippus.

Extarches. Vide Oxyatres.

Eumenes Hieronymi F. Cardianus Arrian. Ind. III. 12. apud L. Ampel. vitiose 'Carduenns.' Cappadociam cum Paphlagonia habuit, cum præcepto 'ut regionem eam usque ad Trapezunta defenderet, et bellum cum Ariarathe gereret,' qui solus detrectabat imperium Macedonum: et Alexandro alibi occupato jus regni retinuerat. Curtius. sic enim legendum: addita conjunctione post 'defenderet,' quam etiam ex Mss. restitnit Livio XXVIII. 10. 3. Sigonius: 'Brutii ambobus, et ut cum Annibale bellum gererent.' Nam 'Ariarathe' non 'Arbate' legendum clare ostendunt Plutarch. Eumene cap. 5. Arrianus. Dexippus. Diodorus, lib. XXXI. Appian. in Mithridat. Ex quibus auctoribus haurire poteris, quæ promisimus supra ad III. 4. 1. Latinobarbarus: 'Paphlagonia autem in Cappadocia Eumenium scriba memoratum præordinavit regnare:' ubi *scriba* non est ὁ συγγραφεὺς, sed quarto casu τὸν γραμματέα. Justinus eadem: sed adjuncta Eusebiana unam Cappadociam largiuntur: quibus, ut solet, assentitur Cedrenus. Cares etiam post adjecit Perdicca, Lyciamque et Phrygiam. Justin. XIII. 6. 14.

Laomedon Mitylenæus Syriam cum Phœnice. Curtius. Diodor. Justin. Oros. Dexippus. Arrian. Inde pulsus postea a Ptolemæo. Diodor. XVIII. 43. Appianus Mithrid. Quanquam ei satrapiam suam jam confirmasse videretur Antipater, altera divisione apud Arrian. lib. IX.

Leonnatus Euni F. Pellæus, Arrian. Ind. III. 12. Phrygiam minorem Hellesponto adjunctam. Curtius. Justin. Diodor. Arrian. Dexippus. Probus Eumene: 'Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem jacet, atque Hellespontum.' Eusebiana. Pausanias Atticis. Appianus Syriacis. Latinobarb. 'Ponton autem Leona dixit regnare:' quod de Hellesp. accipe.

Lysimachus Agathoclis F. Pellæus Arrian. Indic. III. 12. 'Thraciam adpositasque Thraciæ Ponticas gentes' obtinere jussus. Curtius. Diodorus. Cedrenus. *τὴν εἰς δεξιὰ τοῖς πλέουσι τὸν Πόντον ἡγεμονίαν, provinciam quæ Pontum navigantibus ad dextram jacet.* Dexippus apud Euseb. nam apud Photium Thraciam et Cherronesum ascriptas ait: 'usque ad mare quod Salmydessum Ponti Euxini urbem attingit,' ut addit Arrianus.

Meleager Neoptolemi F. Arrian. III. 2. 24. secundum Curtium et Arrian. occisus est ante divisionem factam, quod veritati consonum arbitror: nec enim ante hunc occisum Perdicca tantum potuisset. Non ergo miror de provincia ei tradita dissentire scriptores, cum ei, qui non amplius in rebus humanis extabat, nulla fuerit assignata. Cedrenus ergo cum Eusebianis Paphlagoniam ei tribuit; Diodorus Lydiam, Latinobarbarus Syriam quæ Cœle dicitur, et Phœnicem.

Menander in Lydiam mittitur. Curtius. Justin. Dexippus. Arrian. vel potius remittitur. Statim enim a pr. Alexander eum ibi satrapam constituerat. Arrian. III. 1. 27.

Nearchus Androtimi F. Cretensis. Arrian. Indic. III. 12. Lyciam et Pamphiliam sortitur. Justinus.

Neoptolemus ex Æacidarum gente. Arrian. II. 5. 11. Carmaniæ præficitur. Dexippus. Verum dubito, num *Armeniæ* legi verius sit ex Plutarchi

Digitized by Google

Eumene cap. 7. Quanquam ne de nomine quidem res satis certa. Armeniis apud Justinum emendatum Tleptolemus præficitur: qui tamen in Mss. legitur etiam Neoptolemus. Apud Diodorum tamen et Arrian. lib. IX. Carmaniæ præficitur Tlepolemus. De quo nomine infra.

Nicanor nominatur apud Justinum. Cujus tamen Mss. magnopere turbant: ex quibus omnia potius elicias, quam Nicanorem. Immo 'Stagnorem' quemdam signare videntur, cui et XLI. 5. 1. Parthos ait traditos. Ceterum Nicanori cuidam Cappadociam, in altera divisione tribuit Antipater. Arrianus lib. IX. Diodor. XVIII. 39. Appian. de B. Mithrid. Est quidem Nicanor alius Σέλευκος, ὁ καὶ Νικάνωρ, διὰ τὸ ἀναβῆναι εἰς Βαβυλῶνα, καὶ κρατῆσαι τῶν βαρβάρων, Cedrenus: sed qui nihil huc pertineat.

Oropius partem Sogdianæ tenuit. Dexippus.

Oxyartes sive Oxathres Alexandri socer Bactrianam. Eusebiana. Cedrenus. Paropamisadas. Diodorus XIX. 14. qui tamen et Bactrianorum regem facit. Latinobarbarus: 'Super Parapamisodum autem Oxydarcum ordinavit regnare.' Idem Dexippus. Arrianus. Justinus, si legas: 'Parapamisadas, fines Caucasi montis Oxyartes accepit;' quod et vidit ex Diodoro Bongarsius.

Perdiccas Orontis F. Macedo ex Orestide. Arrian. Indic. III. 12. imperium dividens suo arbitratu. Curtius. Arrianus. Appianus. Justinus. sibi sumit, 'ut cum rege esset, copiisque præesset, quæ regem sequebatur;' hoc est, ut rex esset. Curtius. Unde et Macedonicum ei regnum evenisse credidere Cedrenus et Jornandes Getic. cap. 10. qui et Atheniensium principatum adjicit. Ob eam vero potestatem regni procuratorem faciunt Arrianus et Diodorus. Archistratigum Latinobarbarus. Phrygiæ majori præficit Dexippus apud Eusebium: si tamen illud excerptum est Dexippi; nam apud Phot. Arriano consentit.

Peucestas Alexandri F. Miezæus. Arrianus emendatus Indic. III. 11. Persidis satrapa constitutus ab Alexandro. Arrian. VI. 5. 1. in ea provincia remanet. Diodorus. Justin. emendatus. Latinobarbarus: 'Persidam totam Perco donavit.' Confirmavit ei potestatem eam Antipater etiam. Arrianus lib. IX.

Philippus præficitur Dragænæ. Cedrenus. sive potius Drangianæ, ut in Eusebianis, quæ Cedrenus sequi videtur: Φίλιππος Δραγγιανῆς· Δραγγιανὴ est Diodoro, quæ Cedreno Δραγγαίνη· de Drangis supra quoque dictum ad VIII. 2. 17. Diodorus Philippo Bactrianam et Sogdianam tribuit: quem minorem facit Latinobarbarus: 'Togdianiam' (Sogdianam intelligit) 'Philippo minori dedit dominare.' Cui consentit et Dexippus; et Justinus, si legas: 'Sogdianos Philippus, Stagnor Parthos, Hyrcanos Phratafernes,' &c. Quæ quidem lectio conciliaret auctorem non magis aliis, quam sibimetipsi: si tamen malis ita jungere 'Parthos Philippus,' intelligere poteris de posteriori divisione apud Arrian. lib. IX.

Philo accipit Illyrios. Justinus. Orosius. Mediam dant Cedren. et Eusebiana. Sed pro Φίλων ibi scribendum Πείθων, reliqui auctores convincunt. Philonis istius iidem non meminerunt; ut vix firmum inter Alexandri duces locum tueri possit, qui unius Justini, ejusque ipsius dubia adhuc lectione nititur.

Philotas obtinet Phrygiam ad Hellespontum primo. Diodor. XVIII. 12. deinde Ciliciam. Curtius. Arrian. Diodorus. Dexippus. Justin. Orosius. Latinobarbarus: 'Ciliciam autem et Isauria, et omnia circuitu ejus Philone ordinavit.' Sed provincia ei haud multo post adimitur. Justin. XIII. 6. 16. ob amicitiam Antigoni,

Digitized by Google

nt conjicio ex Diodoro XVIII. 62. Ciliciæ autem imponitur.

Philoxenus, Justin. ibid. Is, opinor, qui sub Alexandro oræ maritimæ præfectus fuerat. Plutarch. cap. 37. Provinciam ei confirmat Antipater apud Arrian. lib. IX.

Phrataphernes sub Dario quoque prætor Hyrcanorum fuerat. Arrian. III. 2. 7. dedit se Alexandro apud Nostrum VI. 4. 23. a quo in provinciam restituitur, VIII. 3. 17. ubi, pro 'Mardos cum Tapuris,' videtur legendum 'Parthos,' ex dicto Arriani loco, et Cedreno; qui ait, in hac provinciarum divisione obvenisse ei Parthiam et Hyrcaniam: certum autem est, relictum tantum in imperio, quod antea habuerat, non novum ipsi adjectum aut datum. Idque confirmant Diodor. et Eusebiana. Hyrcaniam tantum assignat Justinus cum Dexippo, in quo corrupte 'Ραδαφέρνης scribitur.

Pithon Agenoris F. quod nomen etiam sæpe scribitur 'Python:' de quo Latinobarbarus: 'India autem, quæ dicitur sub Indo, et usque Hydaspem fluvium extendens, Pythonæ dominare præcepit.' Quæ intelligas ex Dexippo: 'Pithon quidam' (nempe Agenoris, nam de Crateæ filio supra dixerat) 'hornm' (Pori et Taxilis) 'finitimis imperavit, exceptis Parapamisadis.' Justinus. Orosius: 'In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris F. mittitur:' quo Justini loco eum cum altero Pithone confundunt. Hujus etiam sortem ratam habuit Antipater. Arrian. lib. IX. 'Indorum ea ora, quæ Parapamisadis adjacet, Pithoni Agenoris F. tributa.' Nam ab ipso Alexandro acceperat Arrian. VI. 3. 9.

Pithon Crateæ vel Cratevæ F. Alcomenæus. Arrian. Indic. III. 11. qui tamen 'Eordensem' facit VI. 5. 9. 'Parthum' Diodorus XIX. 14. sed 'Parthinum' scribi poterat rectius: cujus nationis meminit Appian. pr. Illyric. et quos citat Reinecc. in Regno Illyr. Mediam obtinere jussus. Curtius. Diodorus. Dexippus. Arrianus utroque loco. Contra quos parum valet auctoritas Cedreni, et Eusebianorum, qui Phrygiam et Lydiam ei dant; aut Latinobarbari, qui Syriam usque Mesopotamiam videtur assignare.

Porus regnum suum retinuit. Justinus. Orosius implicite. Dexippus expresse. Rationem aperit Arrianus lib. IX. 'De proximis deinde satrapiis ea quæ ad Indum flumen est, et Patala urbs, quæ in illa India est maxima, Poro regi cessit: at quæ ad Hydaspen flumen pertinet, Taxilæ item Indo, adtribuitur: quando non facile esset ipsos dimovere, qui ab Alexandro ipso in imperio constituti, magnam satis potentiam nacti essent.' Quod etiam de ceteris provinciarum prætoribus intellige: quibus fere vides pristinum jus esse relictum. Adde Diodor. XVIII. 39.

Ptolemæus Lagi F. Eordensis. Arrianus VI. 5. 9. Satrapes Ægypti et Africæ gentium, quæ in ditione erant. Curtius: ubi pro 'Satrapes' lego 'Satrapiam,' sustinetur enim hic sensus a proxime præcedenti verbo 'obtineret.' Ceterum idem fere dicunt Cedrenus. Eusebiana. Justinus. Orosius. Constantinus Manasses. Diodorus. Dexippus, et Arrianus utrisque locis. Latinobarbarus: 'Ægyptum autem, et quæ circa eum, usque superiorem Libyam Philippo, qui vocabatur Ptolemæus, donavit:' quod etiam aliquanto inferius repetit. Fuerit Græce, *Πτολεμαίῳ τῷ λεγομένῳ Φιλίππου*, *Ptolemæo qui Philippi filius dicebatur*. Quippe regis ejus filium habitum sup. ad IX. 8. 23. ostensum est. Hujus quoque sortem ratam habuit Antipater, cum etiam si voluisset, non potuisset extorquere homini præpotenti. Diodor. XVIII. 39. et Arrian. lib. IX.

'Scythæus' in Justini exemplari-

Digitized by Google

bus editur: sed corruptus est locus; nec quisquam, opinor, inter istos Alexandri duces hoc nomine reperitur.

Seleucus Antiochi F. Justin. XV. 4. 3. Syria et Babylone potitur. Cedrenus. Eusebiana. Dexipp. Latinob. Appianus. Quod quidem Arrianus et Diod. XVIII. 3. 9. docent in posteriori divisione demum accidisse: licet priori tribuat L. Ampelius: et sane a Perdicca Babylonios Archon acceperat, ut supra ostensum. At in hac distributione præficitur equitatui amicorum (sic enim sup. ad VI. 9. 21. τὴν ἱππαρχίαν τῶν ἑταίρων reddidimus) quem prius Hephæstion, exinde Perdiccas habuerat: quod erat munus summæ dignitatis. Ἡγεμὼν τῆς ἵππης τῆς ἑταιρικῆς vocatur ab Appiano. De qua re Dexippum et Arrianum vide. Ideoque 'summum castrorum tribunatum' interpretatus est Justinus. Postea a Babylonia incipiens 'tenuit regna Persidis,' imperiumque suum 'auxit mirum in modum,' Marcellin. XIV. 26. ut pluribus imperitaret gentibus, quam post Alexandrum quisquam unus. Appianus Syriacis.

Sibyrtius, Diodoro XIX. 14. Sibyritus, nanciscitur Arachosiam et Gedrosiam. Diodor. Dexippus. Justinus. Latinobarb. 'Arachusia autem et Cedrusia Sibartam ordinavit regnare.' Firmavit et huic imperium suum Antipater. Arrianus lib. IX. Ei Antigonus tradidit Eumenis proditores Argyraspidas. Plutarch. Eum. cap. 34. Sic enim ibi legendum pro 'Ibyrtio' monuit Bongarsius ad Justin. hoc loco. Hic autem etiam ab ipso Alexandro præfectus iis regionibus fuerat. Curtius IX. 10. 20.

Stagnor. Vidé in Nicanor.

Stasander Cyprius consequitur Ariam et Dranginam ab Antipatro. Diod. XIX. 14. Arrian. quam prius habuerat.

Stasanor Solius ex eadem insula. Diodorus. Dexippus. Justinus. qui postea ab Antipatro Bactrianam et Sogdianam accepit. Arrianus. Diodorus. pro 'Ariana' nobis 'Arabiam' obtrudit Latinobarbarus: 'Arabiam autem totam Stasanoro donavit.'

Taxiles itidem regnum suum retinuit, ut Porus.

Tlepolemus Pytophanis F. Carmaniam Alexandro largiente tenuit. Arrianus VI. 5. 1. Quapropter nequicquam Persidem ei tribuit Cedren. qui et vitiose *Tripolemum* vocat, Eusebiana sequutus. Carmaniam enim ei a Perdicca quoque tributam constat ex Diodoro. Latinobarbarus etiam Germaniam, hoc est, Carmaniam, Tripolemo adjudicat, Dexippus Neoptolemo: sed utrobique corruptum esse nomen, certum est ex supra dictis; item Arriani apud Phot. lib. IX. et Diodor. XVIII. 39. ubi firmatam ei ab Antipatro hanc provinciam legimus. Apud eumdem tamen Diodorum XIX. 14. *Polemon* appellatur. Hujus autem Tlepolemi provinciam Carmaniam ab Armenia Neoptolemi vix certo distinguas, adeo et hominum illorum et locorum nomina, per vicinitatem soni mutuæ corruptioni sunt opportuna.

Habes nomina procerum, in quos prægrandis imperii membra distributa sunt. Ad pleniorem autem tam magnæ rei intellectum, ipsas etiam provincias, quibusque traditæ fuerint, eadem serie percurremus. Quod quanquam tædii nonnihil et laboris plurimum habeat, (nam de temporis penuria diu queri ejus est, qui possit perdere,) tamen utilitatis facilitatisque caussa, quam ipse æstimare poteris, lubenti animo suscipimus. Notandum autem, plurimam istarum provinciarum partem brevi in pauca regna cessisse: Macedoniæ Antipatri, Asiæ Antigoni, Ægypti Ptolemæi, Syriæ Seleuci, Thraciæ Lysimachi, et Indiæ Sandrocotti: qui ceteros commilitones suos potentia vitaque multum supergressi feruntur. Igitur

Digitized by Google

Ægyptus ab Alexandro pluribus præsidibus credita, (Curtius IV. 8. 4.) post mortem ejus tota traditur Ptolemæo: cujus posteri ad Augustum usque ibi regnavere.

Africa etiam, quoad perdomita erat, eidem Ptolemæo tribuitur. Ex cujus familia Ptolemæus, cognomento Apion, Cyrenarum regnum, quod habebat, in pop. Romanum testamento transtulit. Justinus XXXIX. 5. 2.

Agriani jussi Cratero et Antipatro parere, post mortem Crateri cum ceteris Macedonici regni accessionibus, in unius Antipatri arbitrium concedunt.

Arabia quatenus perdomita fuerat, Ptolemæo assignatur. Majorem tamen ejus partem Seleucus tenuit. Appiano teste.

Arachosia diu sub Sibyrtio fuit: postea accessit etiam imperio Seleuci.

Arbelitis regio apud Diodor. XVIII. 39. et Arrian. lib. IX. Amphimacho traditur; mox cum vicinis regionibus in Seleuci potestatem concedit.

Aria Stasanori primum a Perdicca: deinde ab Antipatro Stasandro subjicitur. Inter utramque divisionem biennio minus interfuit.

Armeniam Tleptolemo obvenisse Justinus videtur tradere, sive potius Neoptolemo, ut in eo nomine disquisitum est nobis. Postea et ipsa concessit in Seleuci ditionem. Appianus.

Asia, quæ minor dicitur, Antigono fere tota diu paruit: cujus ἐπίτροπος et curator factus fuerat: Appian. sed et

Assyria aliquamdiu. Quapropter in prima divisione eam illi obvenisse credidit auctor anonymus apud Eusebium.

Babyloniam prius Archon habuisse videtur: mox Seleucus, qui etiam invasam Antigono egregie recuperavit. Appianus.

Bactriana ulterior, ut Justinus ait, priores præfectos retinuit: quod Curtius et Arrianus confirmant. Inter quos eminebat Oxathres, vel Oxyartes, Alexandri socer, qui et rex Bactriorum vocatur a nonnullis. Ergo de citeriore videtur intelligendum, cui a Macedonibus sive Philippus, sive Amyntas; et mox Stasanor impositus legitur. Totam postea possedisse fertur Seleucus.

'Cappadocia Eumeni data est, vel potius dicta, nam tum in hostium erat potestate.' Probus. Ariarathis nimirum. Quo interfecto, cum etiam Eumenes hostis a Macedonibus appellatus esset, ademtæ provinciæ Nicanor quidam præficitur. Postremo Seleucus obtinuit.

Caria data Cassandro, Diodor. XVIII. 3. mox Eumeni, Justin. XIII. 6. 14. cui illam cum vita extorsit Antigonus.

Carmania, commissa Tlepolemo, videtur mox Seleuci imperio accessisse.

Cherronesus Thracia Lysimacho paruit. Dexippus. Arrianus.

Cilicia amplissima regio in partes divisa fuisse videtur: quarum eam, quæ ad Phrygiam pertinet, Antigonus obtinuerit: nisi tamen error est in Dexippi aliorumque scriptura, ut supra monui. Verius ergo dicemus, totam Philotæ primum, mox Philoxeno fuisse traditam. Ad postremum Seleucus ea potitus est.

Drangiana secundum aliquos Philippo obvenit: potiores pluresque Stasanori, qui Statanor est Justino, tribuunt. Altera divisione Stasandro fuit commissa.

Epirus cum Macedonia adhæsit Antipatro.

Gedrosiam Sibyrtius habuit.

Græciam Antipater: dein Polyperchon, Justinus XIII. 6. 9. a quo translata in Cassandrum filium, effecit, ut ab initio ei tradita videretur Dexippo apud Euseb. et Latinobarbaro.

Digitized by Google

Hyrcania Phratapherni mansit: quo pulso aut mortuo adjicitur imperio Seleuci. Latinobarbarus Antigono frustra tribuit.

Illyrii Philoni cuidam apud Justin. tradi videntur, verum vitiosa est lectio. Cum Macedonia mansisse penes Antipatrum, haudquaquam ambigitur.

Indiæ major pars sub Taxile et Poro mansit; adjectis etiam aliis, quæ prius non possederant. Certe Pithon Agenoris F. Parapamisadis propinqua tenuit: hoc est, colonias in Indis conditas, ut Justinus explicat: κατοικίας ἰδίας (Ἀλεξάνδρου) Strabo lib. xv. vocat: aitque a Seleuco postea traditas esse Sandrocotto, qui sub ea tempora amplissimam Indiæ regionem possidebat. Justin. xv. 4. Appianus. Sandrocontum vocat Arrianus v. l. 25.

Isauria Latinobarbari calculo Philotæ tribuitur, cum Cilicia: nec abhorret a vero vicinia locorum.

Lycaonia Antigono data, Arrian. lib. ix. unaque vicina Lycia: quam frustra Cassandro Cedrenus et Eusebiana, Nearcho Justinus, asserunt. Eam Antigono extorquere cupiens Perdiccas, Eumeni demandavit. Sed ille prævaluit.

Lydiam Menandro tribuunt plures: Meleagro Diodorus; Pythoni Eusebiana et Cedrenus. Cessit in ditionem Antigoni, ejecto Clito, quem Antipater præfecerat. Diodor. xviii. 52.

Macedonia demandatur Cratero et Antipatro, penes quem post mortem illius manet, et in Cassandrum transmittitur: cui ea de causa obvenisse dicitur apud Dexippum Eusebii, et Appianum. Cedrenus, qui Perdiccæ, et Latinobarbarus, qui Aridæo tribuunt, non terram Macedoniæ, sed imperii arbitrium intellexere.

Mediam Atropates Alexandri auctoritate, et mox affinitate Perdiccæ, supra proprias vires, validus. Ideo quamvis Pithon Mediæ præficeretur, ipse tamen permissu Macedonum, dein etiam invitis ipsis portionem ejus tenuit, quæ ab ipso vocata fuit Atropatia. Strabo lib. xi. Cetera Seleucus postea occupavit, occiso Antigoni satrapa Nicatore, secundum Appianum.

Mesopotamia post Arcesilaum et Amphimachum satrapam accipit Blitorem, imponente Antigono. Ad postremum Seleuco subjicitur.

Palæstina in Eusebianis Antigono tribuitur. At ex Josepho aliisque constat, Ptolemæo paruisse, cum vicina Syriæ parte. Ejus tamen præsidia ejecerat Antigonus, Appian. dinque inter eos, postea etiam inter Seleucidas Syriæ reges, et Ptolemæos Ægypti, de ejus possessione pugnatum est.

Pamphylia Antigono data, retentaque contra Eumenem. Justin. xiii. 6.

Paphlagonia cum Cappadocia eosdem dominos habuit.

Parapamisadæ commissi Oxyartæ, cui videntur a Sandrocotto fuisse erepti.

Parthia Phratapherni tradita erat: mox Philippo, vel secundum Justin. Stagnori mandata; tandem accessit Seleuco.

Patala traduntur Poro. Arrian. lib. ix.

Persidem Tripolemo quidam (Tlepolemum videntur velle) potiores Pencestæ tribuunt. Postea cum omnibus circa regnis Seleuco paruit.

Phœnice cum Syria et forte Palæstina Laomedonti obvenit. Vide Syria.

Phrygiam majorem accepit Antigonus; quæ ad Hellespontum pertinet, Leonnatus. Sunt qui Pythoni, Cassandro, Perdiccæ, Philotæ tribuant, quos falli puto. Eumeni Perdiccas postea adjecerat; sed obtinuit validior Antigonus: cum interim Leonnatus occubuisset.

Pontus haud dubie majori ex parte

Digitized by Google

Lysimacho obtigit, pro quo Antipatrum, aut Leonnatum falso videntur substituere. Eumenes tamen etiam patrem ejus acceperat, confinia utrinsque ex Curtio, Dexippo, Arriano colligere poteris.

Sogdiana Philippo prius, vel Amyntæ: dein Stasanori data fuit. At Dexippus Oroplum præficit, ignoratum aliis. Ad ultimum Seleucus possedit.

Susiana post Perdiccæ finem, in præmium navatæ operæ, Antigeni traditur, Argyraspidarum duci, ab Antipatro. Arrian. lib. IX. pro quo, vitio manifesto, apud Diodorum XVIII. 39. legitur 'Antigonus;' cui geminum mendum sup. quoque in Curtio VIII. 14. 15. sustulimus. De ista satrapia Antigenis ipse Diod. XVIII. 62. Pellenæum fuisse colligas ex Plutarcho de Fort. Alex. II. 15. et 16. nisi forte legendum ibi Πελλαῖος. Ejusdem, puto, mentionem facit idem Auctor in Alex. cap. 120.

Syria Laomedonti fuerat tradita: quem Ptolemæus expulit: vicissim pulsus ab Antigono: postea Seleucus totam obtinuit: cui ea causa statim adjudicatam putabant Dexippus Eusebianus, cum Cedreno: inter Pithonem et Meleagrum, nescio quo auctore, partitur eam Latinobarbarus.

Tapyri amissis satrapis suis, cum Parthis et Hyrcanis, accesserunt Seleuco. Appianus.

Thracia quidem Lysimacho obvenerat, qui et magnam ejus partem obtinuit: superabant tamen adhuc nationes regesque liberi, a quorum Sentha ipse captus fuit, Plut. Apophth. cap. 49. non enim interfectus, ut Arrianus videbatur scribere: cum enim ipse postea multam ejus mentionem faciat; apparet τὸ ἀπηρθη accipiendum, ut debellatus intelligatur, non etiam ut occisus.

Triballi cum Macedonia paruerunt Antipatro. Sed hæc hactenus. *Freinshemius.*

De rebus post Alexandri mortem gestis scripsere Diodorus in XVIII. Dexippus et Arrianus apud Photium, Justinus in XIII. extremo: extant et oraculo Danielis, et quædam apud Machabæos ipso principio: quam nos divisionem in Tabulis, ut omnia clarius pateant, spectandam proponemus, quas et Andreas Schottus in Photii sui tralatione composuit et proposuit, quibus nos alias quoque, a Schotto præteritas adjiciemus, ac principe loco nostri Curtii subjiciemus, deinde Diodori Siculi, tum Dexippi, Arriani, Justini, Orosii. *Raderus.*

CURTIANA REGNORUM ET PROVINCIARUM DESIGNATIO.

Rex	obtineret	Summam Imperii.
Ptolemæus		Ægyptum et Africæ gentes, quæ in ditione erant.
Laomedon		Syriam cum Phœnice.
Philotas		Ciliciam.
Antigonus		Lyciam cum Pamphylia et majore Phrygia.
Cassander		Cariam.
Menander		Lydiam.
Leonnatus		Phrygiam minorem Hellesponto adjunctam.
Eumenes		Cappadociam cum Paphlagonia usque ad Trapezunta.
Pithon		Mediam.
Lysimachus		Thraciam, appositasque Thraciæ Ponticas gentes.
Perdiccas		Præfecturam copiarum, quæ regem sequebantur.

Digitized by Google

DIODORI SICULI.

Siculus pauca in hæc verba præfatus:[a] 'Meleagro sibi duce creato Macedones cum armis in refragantes suis studiis procedunt. Cumque et stipatores regii Babylonem egressi ad bellum se præpararent, gratiosissimi inter illos, ut concordiam resarcirent, utrisque persuaserunt. Nec mora: Arridæum Philippi F. inque Philippi nomen adoptatum, regem, et Perdiccam, cui etiam rex moriens anulum tradiderat, regni procuratorem designant; et amicorum stipatorumque primarias administrare provincias, regique et Perdiccæ obedientiam præstare jubent. Ille rerum summam adeptus, consilio ducum advocato,'

Arridæus Rex

Ptolemæo Lagi	In Asia tradit	Ægyptum.
Pythoni		Mediam.
Eumeni		Paphlagoniam et Cappadociam et conterminas illis regiones.
Antigono		Pamphyliam Lyciamque, et quæ magna vocatur, Phrygiam.
Cassandro		Cariam.
Meleagro		Lydiam.
Leonnato[b]		Phrygiam ad Hellespontum.
Lysimacho, Antipatro	In Europa tradit	Thraciam cum finitimis ad Pontum gentibus. Macedoniam cum vicinis populis.

Ducibus reliquis in Asia prætermissas provincias.

Oxyartæ Socero Alex. M.	Indiam et Indis proxima tradit		Caucasum et Paropamisadas.
Siburtio			Arachosiam et Gedrosiam.
Stasanori Solio			Arianam et Drangianam.
Philippo prætori	committit		Bactrianam et Sogdianam.
Phratapherni			Parthiam et Hyrcaniam.
Peucestæ			Persidem.
Tlepolemo			Carmaniam.
Atropæ			Mediam.
Archoni			Babyloniam.
Arcesilao			Mesopotamiam.
Seleuco			regium omnem equitatum, cui primum Hephæstio, dein Perdicca præfuerat.
Taxili et Poro			sua utrique regna, ab Alexandro reddita et aucta, relicta.

Perdiccam rex secum retinuit, et præfectum prætorio, copiisque quæ regem sequebantur, præfecit.

DIVISIO PROVINCIARUM IMPERII ALEX. M. A PERDICCA FACTA APUD ARRIANUM.

Cum prius ex pacto pedites inter equitesque[c]

Antipater	Exercitus dux per Europam,
Craterus	Tutor regni Aridæi,
Perdiccas	Tribunus militaris pro Hephæstione constituti fuissent.

[a] Lib. XVIII. p. 587.

[b] Hunc Curtius cæsum a Perdicca affirmat.

[c] Photius Lat. p. 85.

Digitized by Google

Ptolemæus Lagi F. imperare jussus Ægypto, Libyæ, et Arabiæ, quo ad hæc Ægypti fines attingit.

Cleomenes	imperare jussus	Loco Ptolemæi vicaria potestate.
Laomedon		Syriæ.
Philotas		Ciliciæ.
Pithon		Mediæ.
Eumenes Cardianus		Cappadociæ, Paphlagoniæ, et Euxino Ponto finitimis, Trapezuntem usque.
Antigonus		Pamphyliis, Lyciis, et Phrygiæ majori.
Cassander		Caribus.
Menander		Lydis.
Leonnatus		Phrygiæ, quæ est ad Hellespontum.

Sic Asia partita.

Lysimachus atque Craterus	In Europa imperare jussus	Thraciæ, Cherroneso, omnibusque Thracibus finitimis gentibus, ad Salmydessum Euxini Ponti.
		Omnibus, quæ ultra Thraciam sunt locis, usque ad Illyrios, Triballos, et Agrianos; ipsi quoque Macedoniæ, et Epiro ad Ceraunios usque montes, et omnibus Græcis.

ALTERA PROVINCIARUM DIVISIO PER ANTIPATRUM.

Ex eodem Arriano hic p. 127.

Ptolemæus	accepit	Ægyptum, Lybiam, et vastam, quæ has ultra est, regionem.
Laomedon Mitylenæus		Syriam.
Philoxenus		Ciliciam.
Amphimachus		Mesopotamiam et Arbelen.
Seleucus		Babyloniam.
Antigenes		Susianam satrapiam.
Peucestes		Persida.
Tlepolemus		Carmaniam.
Pithon		Mediam usque ad Caspias portas.
Philippus		Parthyæorum regionem.
Stasander		Artiorum et Drangenorum provinciam.
Stasanor Soliensis		Bactrianen et Sogdianen.
Sibyrtius		Arachotos.
Oxyartes Rhoxanes P.		Parapamisadas.
Pithon Agenoris F.		Finitimos Parapamisadibus.
Porus Indus		Quæ ad Indum fluvium sunt, et Patala urbem.
Taxiles Indus		Provinciam ad Hydaspen fluvium.
Nicanor		Cappadocas.
Antigonus		Phrygiam majorem, Lycaonas, Pamphylios, Lycios, ut prius.
Asander		Caryam.
Clitus		Lydiam.
Aridæus		Phrygiam ad Hellespontum.
Antigenes		Collectionem vectigalium Susianorum.

Antolicus Agatholis F.
Amyntas Alexandri F.
idemque Peucestiæ frater
Ptolemæus Ptolemæi F.
Alexander Polysperchontis F.
} acceperunt regii corporis custodiam.

Digitized by Google

Cassander Antipatri F. Antigonus	accepit	Præturam equitum. Imperium in Perdiccæ olim copias et regum præsidium.

DIVISIO IMPERII MACEDONICI PERDICCA DISTRIBUENTE.

Apud Dexippum sup. pag. 116.

Ptolemæo	In Asia		Ægyptus universa, et Lybia, et quidquid ultra Ægyptum attingit.
Cleomeni			Ptolemæi vicarium præfectum agere.
Laomedonti Mitylenæo			Syria.
Philotæ			Cilicia.
Phitoni		obvenit	Media.
Eumeni			Cappadocia, Paphlagonia, et quidquid ad Pontum Euxinum vergit Trapezuntem usque.
Antigono			Pamphyli et Cilices usque ad Phrygiam.
Asandro			Cares.
Menandro			Lydi.
Leonnato			Phrygia ad Hellespontum.
Lysimacho	In Europa		Thracia et Cherronesus.
Antipatro		obvenit	Omnes Macedones, Græci, Illyrii, Triballi, Agrianes, et quæcumque in Epiro.
Cratero			Tutoris ac curatoris regii dignitas.
Perdiccæ			Chiliarchia Hephæstionis.
Poro	Apud Indos		Indum inter, et Hidaspen populi.
Taxilæ			Indi reliqui.
Pithoni alteri			Indorum finitimi, exceptis Parapamisadibus.
Oxyarti Bactrio Roxanes patri			Caucaseis subjecti montibus populi, Indis proximi.
Sibyrtio			Arachosii atque Gadrosii.
Stasanori Soliensi		obvenerunt	Arei et Drangi.
Philippo			Sogdiani.
Rhadapherno			Hircania.
Neoptolemo			Carmania.
Peucestæ			Persæ.
Oropio			Sogdianorum pars.
Seleuco			Babylonii.
Archelao			Mesopotamia.

MACEDONICARUM PROVINCIARUM PARTITIO.

Apud Justinum libro XIII.

Accipiunt a Perdicca	Ptolemæus	Ægyptum et Africæ Arabiæque partem
	Laomedon Mitylenæus	Syriam.
	Philotas cum filio	Ciliciam et Illyricos.
	Atropatos	Mediam majorem.
	Alcetas Perdiccæ frater	Mediam minorem.
	Scynus	Susianam gentem.
	Antigonus Philippi F.	Phrygiam majorem.
	Nearchus	Lyciam et Pamphyliam.
	Cassander	Cariam.
	Menander	Lydiam.
	Leonnatus	Phrygiam minorem.
	Lysimachus	Thraciam et regiones Pontici maris.
	Eumenes	Cappadociam cum Paphlagonia.

Digitized by Google

Accipiunt a Perdicca	Seleucus Antiochi F.	Summum castrorum tribunatum.
	Cassander Antipatri F.	Præfecturam stipatorum regis, satellitumque.
	Taxiles	Rex Indum inter et Hydaspen flu.
	Pithon Agenoris F.	Colonias in Indiis conditas.
	Parapomenus	Fines Caucasi montis.
	Extarches	Drancas.
	Statanor	Argæos.
	Amyntas	Bactrianos.
	Scythæus	Sogdianos.
	Nicanor	Parthos.
	Philippus	Hyrcanos.
	Phratafernes	Armenios.
	Tleptolemus	Persas.
	Peucestes	Babylonios.
	Archos	Pelasgas.
	Archesilaus	Mesopotamiam.

Orosius[a] suæ divisioni præfatus, Macedoniam, inquit, duces 'mortuo Alexandro diversas sortiti provincias, mutuis se bellis consumpserunt: quorum ego tumultuosissimum tempus ita mihi spectare videor, quasi aliqua immensa castra per noctem de specula montis aspectans, nihil in magni campi spatio præter innumeros socios cernam. Ita per totum Macedoniæ regnum, hoc est, per universam Asiam et plurimam Europæ partem, Libyæque vel maximam, horrendi subito bellorum globi colluxerunt: qui cum ea præcipue loca, in quibus exarsere, populati sunt, reliqua omnia terrore rumoris, quasi fumi caligine, turbaverunt. Sed nequaquam tantorum regum ac regnorum bella excidiaque explicabo, nisi prius ipsa cum regibus regna prodidero. Igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit. Principes vero ejus 14. annis dilaniaverunt, et veluti opimam prædam, a magno leone prostratam, avidi discerpsere catuli: seque ipsos invicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt. Itaque prima Ptolemæo Ægypti et Africæ Arabiæque pars sorte provenit. Confinem huic provinciæ Syriam Laomedon Mitylinæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediæ majori Atropatus, minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia major Antigono, Philippi filio, adsignatur. Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur, Leonnatus minorem Phrygiam accipit. Thracia et regiones Pontici maris Lysimacho, Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data: summa castrorum Seleuco Antiochi filio cessit; stipatoribus regis satellitibusque Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana ulteriore et Indiæ regionibus præfecti, qui sub Alexandro esse cœperant, permanserunt. Seras inter duos amnes Hydaspen et Indum constitutos Taxiles habuit. In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris filius mittitur. Parapamenos fines Caucasi montis Oxyartes accepit. Arachosii Gedrosiique Sibyrtio decernuntur. Drangas et Areos Stasanor, Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanios, Phratephernes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archon Pelasgos, Arcelaus Mesopotamiam adepti sunt.'

Literæ Sacræ primo Machab. nullum certum numerum exprimunt: 'Et

[a] Lib. III. cap. ult. v. 4.

Digitized by Google

obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo: et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum armis multis, et multiplicata sunt mala in terra.'

Sanctissimus autem Vates Daniel[b] in Oraculis suis ait, regnum regis Græcorum divisum in quatuor regna.

Idem eodem capite 8. clarius omnia: 'Aries, quem vidisti habere cornua; rex Medorum est atque Persarum: porro hircus caprarum rex Græcorum est: cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus: quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo; quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus.'

Quem locum D. Hieronymus, et ex illo N. Serarius, Cornelius de Lapide et alii recentiores, exponunt de præcipuis quatuor regibus et regnis Antigono Asiæ, Philippo seu Aridæo Macedoniæ, Seleuco Syriæ, Ptolemæo Ægypti. Hieronymus vero ex Josepho hæc videtur transcripsisse, posito, pro Cassandro, Aridæo, cui successit Cassander, omisso Lysimacho.

[b] Cap. 8. [c] Lib. XII. cap. 1.

Digitized by Google

CHRISTOPHORI BRUNONIS

SUPPLEMENTUM IN LIB. I.

Philippus Macedo (qui primus omnium regum ejus gentis, Macedoniæ regnum, subacta tota Græcia, ad summam potentiam evexit) Amyntæ, viri prudentissimi, omnibusque imperatoriis virtutibus instructi, filius fuit. Is Amyntas, ex Eurydice uxore tres filios susceperat, Alexandrum, Perdiccam, et Philippum Alexandri Magni patrem, atque filiam Euryonem. Insidiis autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi, mariti morte pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum susceperat, oppressus fuisset, ni filia pellicatum matris, et sceleris consilia prodidisset. Post mortem Amyntæ, Alexander major natu filius, regno potitus est. Qui inter initia regni, cogente sane durissimo necessitatis telo, bellum ab Illyriis pacta mercede, datoque Philippo fratre obside, redemit. Interjecto quoque tempore, per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. Quæ res Philippo ad maxima egregiæ indolis incrementa profuit. Siquidem tota custodiendi pueri cura Epaminondæ, strenuissimo Thebanorum duci, atque philosopho præstantissimo, hac conditione demandata est, ut commissum sibi puerum diligenter servaret, et summo studio in id juxta incumberet, ut moribus principe dignis, atque honestis disciplinis quam optime imbueretur. Fovebat ea tempestate laudatissimus princeps domi filio suo Epaminondæ præceptorem Pythagoricum, sub quo Philippus multum profecit. Interea temporis, Alexander insidiis matris Eurydices appetitus, occubuit: cui tamen antea Amyntas, in scelere deprehensæ, propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque ejus Perdiccas, simili insidiarum fraude, relicto parvulo filio, decipitur. Sub idem tempus, Philippus commodum e custodia elapsus diu se non regem, sed tutorem pupilli egit. At ubi graviora bella imminebant, serumque

Digitized by Google

auxilium in expectatione infantis erat, compulsus a populo, regnum Macedonicum male affectum, cum bellicis artibus, tum philosophiæ præceptis præmunitus, apprehendit, Anno cccc. ab urbe condita, Olympiade cv. Circa prima itaque regni primordia, rerum infinita multitudine in diversas trahente partes, finitimis undique in Macedoniam irruentibus populis, bellisque veluti conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diversis locis, uno tempore confluentibus, rex Philippus cautius omnino agendum esse considerans, (omnibus enim par esse non poterat) alia interposita pactione composuit, alia redemit, facillimis aggressis, ut militum trepidos firmaret animos, et sibi hostium contemtum demeret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit, quibus per insidias victis, metu gravioris belli, cum interficere posset, omnes incolumes, sine pretio dimisit: quæ res illi magnam et gratiam et auctoritatem conciliavit. Captis deinde Pæonibus, bellum in Illyrios transtulit: ibi multis hostium millibus cæsis, Larisseam urbem nobilissimam cepit. Hinc Thessalos, non cupiditate prædæ, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentes, adoritur. Quibus ex improviso præoccupatis, atque in potestatem redactis, jungendo equitum peditumque fortissimas turmas et copias invictissimum fecit exercitum. Quibus rebus feliciter gestis, Olympiada, Neoptolemi regis Molossorum filiam, uxorem ducit, conciliante nuptias altore virginis Arisba rege Molossorum, qui sororem Olympiadis Troadam, in matrimonium habebat: quæ causa illi exitii, malorumque omnium fuit. Nam cum regni incrementa affinitate Philippi se acquisiturum sperat, proprio regno ab eodem privatus, in exilio consenuit. Post nuptias autem Philippus per quietem visus est conjugis alvo insignem affixisse bullam, cujus sculptura, quemadmodum is existimaverat, Leonis haberet imaginem. Quod vates ita sunt interpretati. Ipsam quidem esse gravidam, animosum quoque, et leonis natura præditum, infantem parituram. Deinde cum Philippus urbem Methonem expugnaret, jactu sagittæ dextrum amisit oculum. Nihilominus tamen pacem deprecantibus dedit, mitisque etiam adversus victos fuit. Pagas etiam capiens, imperio suo adjecit. Triballorum quoque gentem, et quicquid præterea terrarum in proximo erat, invadens omnia, uno velut impetu, devicit. Debellatis finitimis, atque confirmato jam Macedoniæ regno, cum domum rediisset, natus est ipsi Alex-

Digitized by Google

ander filius ex Olympiade uxore, VIII. Idus Aprilis, dicit Plutarchus: ab eo autem qui illum in Latinum convertit, scribitur circa Idus Augusti, quod sane cujus sit error, dubium est. Porro Philippus, veluti e specula quadam, libertati omnium insidiatus, Græcorum civitates, quæ dominandi libidine singulæ imperare cogitaverant, omnes in suam redegit potestatem. Inferioribus enim contra superiores suadens certamina, omnibus ad invicem callide incitatis, a Thebanis etiam (qui tamen antea eum tanquam hostem repellere conabantur) contra Lacedæmonios et Phocenses, qui templo Apollinis spoliato, milites conduxerant, necessitate urgente, dux electus, oppressis sacrilegis, magnamque inde apud omnes nationes gloriam adeptus, omnium ad ultimum efficitur dominus ac princeps, et victos pariter atque victores servitutem subire coëgit. Inde in Cappadociam trajiciens, captis et occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniæ adjecit. Olyntho quoque expugnata, Thraciam invasit. Nam cum eum fratres duo Thraciæ reges, de terminis regni ambigentes, disceptationum suarum judicem eligerent, Philippus ad judicium, velut ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu venit, et utrumque regno, de quo disceptabant, spoliavit. Omnes sane principes docens, concordiam maximum ad conservanda imperia, atque principatus stabiliendos, adminiculum esse. Alexander autem factus annorum duodecim, rebus bellicis admodum delectari, et excelsæ indolis manifestissima proferre indicia, cœpit. Cumque ex æqualibus nonnulli ex eo percunctarentur, ad Olympicum nunquid stadium libens decertaret, (plurimum enim pedum celeritate pollebat,) Libens equidem, inquit, si decertaturos mecum reges sim habiturus. Olim cum forte absente Philippo legati a Persarum rege venissent, eos cum hospitio, tum consuetudine captos, jucundissima sibi familiaritate conjunxit: admirantes quod is nihil aut humile aut puerile sciscitaretur, sed aut viarum longitudinem, aut superiorum itinerum modos perquirebat, multa super rege, qualis in hostes esset, nunc super Persis, quæ vires, aut quæ esset potentia, rogitabat. Quas res admirati legati, late diffusam Philippi gravitatem nihil præ hujus pueri indole, et majore quam ætas patefieret animi magnitudine, duxerunt. Quoties a Philippo aut nobile quoddam captum oppidum, aut memorabili prælio parta victoria, nuntiabatur, haud magnopere lætabatur, ceterum ad suos aiebat æquales, Omnia, o pueri, genitor occupabit, ita ut ne vobis-

Digitized by Google

cum grande ullum ac insigne facinus ostentare mihi sit reliquum. Non enim ipsum ulla illecebrarum, aut pecuniæ, sed sola virtutis ac gloriæ cupido tenebat: quoque majores a patre facultates acciperet, eo se minora gerere posse existimabat. Quocirca crescente dominio gerendis præclaris rebus materiam magna ex parte exhaustum iri ratus, non opes, non deliciarum usus, verum certamina et pugnas ardebat, et principatum unde sibi ob virtutem, gloriam, nominisque immortalitatem (quæ spes nec Alexandrum, nec quenquam alium bonum, unquam fefellit) compararet, affectabat. Quamobrem ipsius cura compluribus (uti par erat) nutritoribus, pædagogis, ac præceptoribus est demandata. Inprimis tamen Aristoteli, ex cujus disciplina decem ferme annis informatus est. Eodem fere tempore Philippus Delphos misit, consulens de successore, responsumque tale accepisse ferunt: Is demum tuo imperio, omnique orbe potietur, quemcumque Bucephalus sessorem passus fuerit. Erat autem Bucephalus, equus forma spectabilis, atque ferocissimus, quem Philonicus Thessalus Philippo XIII. talentis emerat. Hunc diu Philippus sub claustris præferratis asservari jussit; mansit tamen ita ferus, ut plane nullus eum ne tangere quidem ausus fuerit: qua re factum est, ut eum Philippus removeri atque abjici jusserit. Alexander vero cum forte adesset, Qualem, inquit, isti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti nesciunt! Cumque mira arte, sine verberibus, tractasset equum, tandem conscensum ad cursum admisisset, tum calcibus usus est, ac molliter flexis habenis, cum equum reduxisset, descendentis caput exosculatus pater, emissis lacrymis: Aliud, inquit, o fili, tibi par regnum quære, quando te jam Macedonia non capit. Præsagiit vir prudens tam excelsæ indoli non suffecturam paternam ditionem. Posthæc Philippus toti Græciæ bellum inferre statuit, ad quod percommodum ratus, si Byzantium nobilem et maritimam urbem in potestatem redegisset, eandem sibi resistentem obsidione cinxit, relicto domi ad regni curam filio Alexandro, tum XVI. annos nato. Hæc urbs a Pausania Spartanorum rege condita, a Constantino postmodum gloria opibusque aucta atque renovata, et a nomine suo Constantinopolis dicta, circiter MCXL. annos sacratissimi Imperii sedes, totiusque Orientis caput fuit. Nunc tamen (proh dolor!) fœdissimæ atque impiissimæ Turcarum gentis imperio subjacet. Sed ut ad Philippum redeam. Exhaustis in obsidione opibus, piraticam aggredi-

Digitized by Google

tur, centumque septuaginta navium spolia rapuit, atque militibus suis distribuit. Ne autem in unius urbis obsidione tantus exercitus teneretur, profectus cum fortissimis, multas Chersonesi urbes expugnavit. Filium deinde Alexandrum XVIII. annos natum, virtutis et promtitudinis in rebus agendis manifestissimæ, ut sub patris militia tyrocinii rudimenta deponeret, ad se accersivit. Cum quo in Scythiam prædandi causa, more negotiantium, impensas belli alio bello refecturus, est profectus. Eaque expugnata, viginti millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil: XX. millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa sunt. Sed revertenti a Scythia Philippo Triballi occurrunt, negantes se transitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc jurgium, mox et prælium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, præda amissa est. Quamprimum ex vulnere convaluit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert. Cujus causa Thebani se junxere, metuentes, ne victis Atheniensibus, veluti vicinum belli incendium, ad se transiret. Inita societate inter civitates paulo ante infestissimas, legationibus totam fatigant Græciam, communem hostem communibus viribus summovendum putantes. Quædam civitates motæ Atheniensibus sese jungunt: quasdam autem belli metus ad Philippum traxit. In hac pugna Philippus Alexandrum filium alteri cornu præfecit: ubi laudatissimi Herois virtus clarissime emicuit. Talem enim in eadem pugna se præstitit, ut non inferior patre, immo etiam nulli secundus extiterit: postea quoque, eam victoriam sibi invidia ac fraude patris præreptam fuisse conquestus sit. Commisso itaque apud Chæroneam prælio, etsi Athenienses numero militum longe præstarent, a Macedonibus tamen continuo ac diuturno bellandi usu exercitatissimis, vincuntur. Non autem immemores pristinæ gloriæ cecidere. Hic dies universæ Græciæ, et gloriam dominationis, et vetustissimam libertatem finiit. Ceterum cum Philippus semper erga Alexandrum optime affectus fuisset, tandem ex Cleopatra noverca, Olympiadi superinducta, discordia orta est. Causam adhibuit Attalus avunculus Cleopatræ, qui cum in nuptiis Macedones exhortaretur, Deos orarent, ut ad regni successionem legitimus ex Philippo et Cleopatra crearetur hæres, excandescens Alexander, O improbum caput, inquit, nos vero tibi nothi videmur? simulque in eum conjecit poculum. In-

Digitized by Google

surgens inde pater contra Alexandrum stricto eum petiit ferro, ictus tamen, inclinatione corporis ab Alexandro evitatus, inanis excidit. Tunc Alexander conviciis patrem adortus, receptam Olympiadem matrem secum in Epirum duxit. Eum tamen Philippus, exprobrata sibi a Demarato Corinthio hac eorum discordia, paulo post multis precibus ægre revocavit. Inter hæc nuptias Cleopatræ filiæ et Alexandri fratris Olympiadis, quem, pulso Arisba, regem Epiri fecerat, Philippus celebrat. Dies erat pro magnificentia duorum regum, et collocantis filiam, et uxorem ducentis, insignis. Sed nec ludorum celebritas deerat, ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus medius inter duos Alexandros, filium generumque, procederet, Pausanias nobilis ex Macedonibus, nemini suspectus adolescens, occupatum angustiis Philippum in transitu obtruncavit, diemque lætitiæ destinatum fœdum luctu funeris fecit. Hic puer stuprum per injuriam passus ab Attalo fuerat, qui eum etiam postea, tanquam vile scortum, libidini convivarum subjecit. De quo Philippo conquestus, qui multum quidem ex rei turpitudine est motus, sed Attalo ob magnam familiaritatem, et quod ejus opera tunc uteretur, ut noceret induci haud potuit. Erat etiam Attalus ob Cleopatram, proxime a rege in matrimonium acceptam, arctissima ei junctus cognatione, copiarumque in Asiam præmissarum dux fuerat delectus, vir in rebus bellicis egregiæ fortitudinis. Idcirco rex potius ut Pausaniæ animum justissimo dolore incensum mulceret est conatus: datisque ei magnis muneribus, loco insuper honestiori, inter corporis sui custodes, honoravit. Sed ille implacabili ardens ira, decrevit, non tantum de eo, qui sibi injuriam intulisset, sed et qui ulcisci illatam noluisset, pœnam sumere, quod et fecit, ut diximus. Is Philippus etsi omni fere tempore negotiis belli victoriisque affectus exercitusque esset, a liberali tamen Musa, et a studiis humanitatis nunquam abfuit, quin lepide comiterque pleraque et dixerit et fecerit. Vixit annos XLVII. regnavit XXV. fuitque vigesimus tertius Macedonum rex.

Digitized by Google

CHRISTOPHORI BRUNONIS

SUPPLEMENTUM IN LIB. II.

Anno ab urbe condita ccccxxvi. mortuo Philippo, Alexander filius, (ob magnitudinem rerum gestarum Magnus appellatus,) vigesimo ætatis anno, plenum invidiæ, et gravissimis odiis ac periculis undique circumseptum, assecutus est imperium. Nec enim vicinæ barbarorum provinciæ et nationes modeste servitutem ferebant, avita vero dominia patriosque principatus affectabant. Primo omnium autem quotquot paternæ cædis causa fuerant, gravibus affecit pœnis. Deinde sepulturæ ejusdem maximam impendit curam. Principatum vero multo melius quam quisquam existimasset confirmavit. Juvenis enim, atque ob ætatem adhuc teneram, ab aliquibus contemtui habitus, vulgus ipsum humanissimis sermonibus ita in sui benevolentiam traxit, ut et spem maximam omnibus faceret, et metum simul atque contemtum sui universis demeret. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum præter militiæ vacationem dedit. Quo facto tantum sibi conciliavit favorem, ut alii corpus, non virtutem, alii vero nomen regis solum immutatum esse dicerent. Et cum initio tumultus undique contra ipsum exorti essent, audacia, et animi constantia incredibili, citissime motus omnes compressit. Profectus deinde Corinthum in Peloponnesum, generali totius Græciæ concilio, contra Persas, (quorum erat eo tempore summum in terris imperium, quique Græciam sæpe multis cladibus afflixerant) Imperator est designatus. Siquidem pater ejus idem bellum inchoaverat, morte tamen præventus, consummare haud potuerat. In hujus belli apparatu nuntiatur, Athenienses, Thebanos, et Lacedæmonios, ab eo ad Persas defecisse, auctoremque ejus defectionis, magno auri pondere a Persis corruptum, Demosthenem oratorem extitisse. Quibus motibus occursurus, tanta celeritate instructo paratoque exercitu Græciam oppressit, ut quem venire non senserant, videre se vix crederent. In transitu hortatus Thessalos, beneficiorum patris commonefaciens, commemorata etiam veteri cognatione, quæ sibi cum illis per Herculem esset, sermonibusque humanissimis, ut magna a se sperarent, persuasos induxit, ut communi totius Thes-

Digitized by Google

saliæ decreto, universæ gentis dux crearetur, omniaque vectigalia atque reditus suos ei traderent. Tanta autem in juvene celeritas, tamque efficax in rebus agendis diligentia, omnes qui per contemtum ab eo erant alienati, perterrefecit. Athenienses itaque sicuti primi defecerunt, ita etiam primi pœnitere cœperunt, pueritiam Alexandri, antea spretam, supra virtutem veterum ducum extollentes: missisque legatis bellum deprecabantur. Quibus auditis et graviter increpatis, bellum remisit. In ea legatione Demosthenem quoque fuisse ferunt, sed cum ceteris ad Alexandrum non pervenit: siquidem a Cytherone Athenas reversus est: sive correptus timore, quod frequenter Philippum cum suis vituperasset, atque in sua Rep. contra Macedones verba fecisset, sive ut regi Persarum (a quo magnam auri summam, ut Macedonum causam oppugnaret, accepisse dicebatur) omnem de se suspicionem eximeret. Hoc quoque ipsi ab Æschine exprobratum aiunt, qui in oratione quadam de acceptis muneribus ita dicit: In præsens sane regium aurum sumtus huic suppeditat. Sed hoc deinceps haud sufficiet, cum nullæ opes moribus improbis satis esse possint. Alexander sedatis motibus qui in Græcia erant exorti, antequam in Asiam cum exercitu trajiceret, per Thraciam iter faciens, Pæones, Triballos, Illyrios, aliosque finitimos petere, quos novis rebus studere acceperat. Nam quod regno ejus tum finitimi tum maxime infidi erant, minime negligendos censuit, præsertim cum in tam longinquas a domo regiones cum exercitu profecturus esset. Ex Amphipoli igitur cum copiis profectus in Thraces, (quos Græci *αὐτονόμους* vocant, nullius imperio, nullius legibus obnoxios) decem dierum itinere ad Hæmum montem pervenit: ibi circa aditus angustias, negotiatorum atque Thracum ingentem manum collectam, obviam habuit. Insederant montis verticem, curribusque pro vallo, qua patebat aditus, utebantur, inde pugnaturi, si necessitas postulasset. Sin autem ex adversa montis parte peterentur, currus in Alexandri Phalangem magno impetu erant immissuri, quod et fecerunt. Sed milites ab Alexandro edocti, alii laxatis ordinibus, alii corpora humi strata scutis contegentes, periculum omne devitarunt. Hinc alacriores facti, ingenti clamore in hostes feruntur, eosque uno impetu superavere. Alexander protinus superato jugo, per Hæmum montem in Triballos ad flumen Lygium profectus est. Syrmus Triballorum rex erat: is cognito Alexandri adventu, uxores ac pueros, ceteramque imbellem tur-

Digitized by Google

bam, ad Danubium in insulam Peucam confestim misit, quo et Thraces Triballis finitimi se receperant. Nec multo post, et ipse Syrmus eodem fugit. Reliqua Triballorum multitudo ad alteram insulam se contulerat, eo in loco, ex quo pridie Alexander moverat, sitam. Alexander Triballos repetens, hostes ex sylvis in aperta provocatos superat, III. millibus cæsis, reliquis in fugam conjectis, paucisque captis. Post hanc pugnam Alexander ad Danubium profectus, ad insulam, in quam Triballi ac Thraces confugerant, contendit: cui tamen barbari summa vi restiterunt, quod erat iis facilius, quoniam et naves paucæ erant, et insulæ maxima pars prærupta ac præceps, et fluminis cursus, utpote in augusto conclusus, concitatior. Quapropter Alexander abductis inde navibus, trajecto noctu flumine, MCCCCC. equitibus, peditibusque IV. millibus, Getas (quorum circiter IV. millia equitum, peditumque supra X. millia, prohibendi animo, in adversa ripa armatos viderat) petiit. Quo facto territi Getæ, ne primum quidem impetum sustinuere. Res prorsus ingentis audaciæ iis visa, Alexandrum tam facile unica nocte, Danubium, omnium Europæ fluminum amplissimum atque altissimum, nullo ponte injecto, transisse. Confugientibus igitur illis in sylvarum solitudines atque latebras, Rex urbem vacuam nactus cepit, soloque æquavit. Huc loci venere legati a ceteris Danubii accolis, a Syrmo Triballorum rege, atque Germanis, ad Alexandrum, ut cum eo amicitiæ fœdus inirent. Quibus in fidem et amicitiam acceptis, e Germanis quæsivi, Quidnam in humanis rebus præ ceteris extimescerent, ratus nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam videri. Illi hoc se inprimis timere responderunt, ne forte in sese aliquando cœlum rueret. Alexander nihil motus responsi superbia, tantum adjecit: Germanos superbos esse, eosque domum remisit. Inde in Agrianos et Pæonas iter persequenti nuntiatum est, Clitum Bardylei ab eo defecisse, Glauciamque, Taulantiorum regem, se ei conjunxisse. Erant et qui nuntiarent fore, ut Autariatæ ipsum in itinere adorirentur. Proinde negotio de Autariatis Lagaro Agrianorum regi (qui patri Philippo admodum carus, Alexandro quoque perquam familiaris erat) commisso, insuper Cyna sorore, ubi Pellam revertisset, ultro in uxorem promissa, ipse ad Clitum Glauciamque magna celeritate contendit, eosque vario prælio vicit atque prostravit. Hæc agenti superveniunt nuntii, multos in Græcia res novas moliri, civitatesque non paucas, et inprimis Theba-

Digitized by Google

nos ab eo defecisse. Qua re motus Alexander, in Macedoniam est reversus, ut factum in Græcia tumultum reprimeret. Thebanis autem conantibus præsidium Macedonicum ex arce Thebana (quam Cadmeam vocant) depellere, ipsamque prærltis fossis et munitissimo vallo cinctam obsidentibus, rex cum exercitu magnis itineribus profectus, non longe a Thebis, cum omnibus copiis consedit. Itaque Thebanorum duces, quoniam Alexander præter spem omnium advenerat, ac incertum erat, utrum auxilia, sicuti a nonnullis civitatibus petierant, illis adventura essent, de belli ratione consultare cœperunt. Omnibus tandem consentientibus, belli discrimen subire constituerunt. Sed rex suos continuit, illis spatium pœnitendi mutandique consilii exhibens, nullo pacto futurum existimans, ut una civitas contra tantas copias esset pugnatura. Habebat enim ultra xxx. millia peditum, equitumque ad III. millia omnes laboribus bellicis exercitatissimos. Quorum virtuti confisus, Persicum bellum susceperat. Sane si Thebani temporum fortunæ cedentes, pacem petiissent, rex eorum postulatis libentissime annuisset: nam tum mirifico studio ad Persas in Asiam transire properabat. Cum tamen armis non precibus uti decrevissent, Alexander Macedones ad prælium instruxit. A Thebanis, contra hostes numero longe superiores, summis viribus atque impigre decertatum est. Interim Macedonibus, qui custodiæ Cadmeæ arcis præerant, a tergo invadentibus, circumventi Thebani, in ipsa pugna ceciderunt. Capta civitas et direpta, urbs eversa funditus est. Qua quidem in re ea spes, idque consilium extitit Alexandro, ut hujusmodi casu ac terrore compressi Græci, quietius dum abesset agerent: cum alioqui incusantibus Thebanos sociis Phocensibus ac Plateensibus, morem gerere gratificarique concupisceret. Plures sex millibus oppetiere, Triginta millia venditit, ex quibus quadringentorum quadraginta talentorum argenti summam coëgit. Pindari vatis tamen stirpi pepercit, summum in doctos favorem manifestissimo exemplo testatus. Non omittendum videtur, quod hic rerum gestarum Alexandri scriptores de Timoclea referunt. Quam insignem Thebanam fœminam Thracius quidam dux constuprasse dicitur. Cumque post id eam posceret pecuniam, solus a muliere ad puteum seductus fuisse, in quo diceret pretiosiora rerum suarum occultari. Ducem igitur super os putei, spectandi causa, inclinatum, illa in profundum detrusit, superneque injectis lapidibus, oppressit. Ob id facinus adductam

Digitized by Google

ad se in vinculis fœminam, percunctatus est Alexander, quænam esset? Ea imperterrita, Theagenis, inquit, sum soror, qui contra Philippum electus imperator, fortiter pugnans pro Græciæ libertate, occubuit. Magnanimitatem mulieris et constantiam admiratus rex, liberam eam cum filiis dimisit. Athenienses Thebarum casum moleste et cum summa commiseratione ferentes, refugiis profugorum portas contra regis edictum aperuerunt. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione, denuo bellum deprecantibus, ita demum remiserit, ut oratores et duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur. Eo tamen demum res est deducta, ut retentis oratoribus, duces in exilium agerentur: qui confestim ad Darium regem Persarum profecti sunt. Ceterum coactis in Isthmo Græcis, et expeditionem in Persas decernentibus, Alexandro plures philosophi et oratores occurrunt, præter Diogenem Cynicum, qui tum versabatur Corinthi, et Alexandrum parvi faciens, in Cranio habitabat: miratus Alexander, ad eum in sole apricantem venit, rogans 'reine cujusquam indigeat:' at ille, 'Ut paulum,' inquit, 'a sole discedas.' Quo responso Alexandrum adeo delectatum ferunt, ut ad suos conversus dixerit, 'se Diogenem esse velle, si Alexander non esset.' Rebus Græciæ compositis, adventante vere, ipsaque Græcia cum Macedonia, Antipatro, cui ex amicis maxime fidebat, commissis, ad Hellespontum cum exercitu profectus, in Asiam incredibili ardore mentis accensus, trajecit. Cum autem delati in continentem essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem terram conjecit, armatusque de navi, tripudianti similis, prosiluit, atque ita hostias cædit, precatus, ne se regem illæ terræ invitæ accipiant. Inde hostem petens, milites a populatione Asiæ prohibuit, parcendum suis rebus præfatus, nec perdenda ea, quæ possessuri venerint. In exercitu ejus fuerunt XXXII. millia peditum, non supra V. millia equitum, navesque CLXXX. Hac tam parva manu universum terrarum orbem, utrum sit admirabilius, quod vicerit, an quod aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum non juvenes robustos, nec primo ætatis flore, sed veteranos, plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militaverant, elegit: ut non tam milites, quam militiæ magistros, electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit; ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscæ Reipub. videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, sed omnes victoriam animis concepe-

Digitized by Google

rant, nec in pedibus cuiquam spes sed in lacertis fuit. Alexander deinde passim peractis sacrificiis maxime apud Trojam ad Achillis tumulum, in quem genus suum ex materna linea referebat, eum ob id felicissimum adolescentem prædicans, quod suarum virtutum præconem Homerum invenisset, ad interiora Darii regis Persarum contendit. Hunc Darium Arsani filium, qui decimus quartus a Cyro, totius orientis monarchiam tenebat, hac potissimum causa aggredi voluit, quod a patre suo Philippo tributum requisierat. Darius autem missa prius superba, contumeliosa, atque imperiosissima legatione, se regem regum, ac consanguineum Deorum, Alexandrum vero famulum suum appellans, satrapis suis id negotii dederat, ut insanientem istum Philippi adolescentulum, (sic enim eum per contemtum appellabat) verberibus puerilibus graviter cæsum, indutumque post veste purpurea, sibi vinctum traderent, navibusque una cum nautis summersis, omnes ejus milites ad ulteriora maris Rubri transportarent. Qui mandatum regis exequi volentes, ad Granicum amnem (qui Troadem a Propontide disterminat) magna manu, videlicet viginti millibus peditum, et pari equitum numero, confluxerunt, et præruptam fluminis ripam, qua Alexandro omnino trajiciendum erat, obsiderunt. Alexander, etiamsi præsentissimum periculum instare cerneret, quippe cum suis ex inferiore atque instabili loco (erat enim cum udus, tum cœno lubricus) utpote ex flumine adversus hostes in eminenti ripa stantes dimicandum foret, suæ tamen fortunæ ac virtuti, simulque fortitudini militum confisus, amnem trajecit. Et primo quidem non spernenda difficultate pressus, tandem tamen hostes, non tam sua arte, quam virtute Macedonum, vicit atque prostravit. In eo conflictu Persarum viginti millia peditum, et CCL. equites, cæsa, Macedonum non plus XXXIV. interfecti sunt. Ea pugna magnum ad res Alexandri momentum peperit. Sardis enim, maritimi barbarorum imperii propugnaculum, cœpit, iisque ac ceteris Lydiæ populis, ut legibus uterentur suis, concessit. Ephesum, quarto pos pugnam die, elapso inde præ metu præsidio, occupavit. Interim ex Magnesia et Trallibus legati venerunt, urbium suarum deditionem pollicentes, ad quas in fidem recipiendas Parmenionem cum duobus millibus et quingentis mercenariis, parique Macedonum numero, equitibus ex amicis circiter CC. misit. Miletum deinde sibi resistentem oppugnavit: eaque potitus versus Halicarnasum iter ingreditur. Omnibus interjacentibus oppidis primo

Digitized by Google

impetu captis, Halicarnasum urbem permunitam obsedit, eamque non sine labore expugnatam, solo æquavit. Ingressus Cariam, Ada Cariæ regina (quæ regno ab Orontobate, quem Darius miserat, pulsa, nihil quicquam in tota Caria, præter Alinda, ejus provinciæ urbem munitissimam, tenebat) Alexandro obviam profecta, Alindis urbe tradita, eum in filium adoptavit. Rex nec liberalitatem fœminæ, nec filii nomen aspernatus, urbem eidem custodiendam reliquit. Tota deinde Caria subacta, memor accepti beneficii eam universam Adæ imperio subjecit. Hinc in Lyciam et Pamphyliam tendit, eo consilio, ut ora maritima ad Phœniciam et Ciliciam usque in potestatem redacta, navales copias hostibus inutiles redderet. Devictisque rebellibus Pisidiæ populis, summo mentis ardore, nec minori alacritate, adversus Darium, quem cum multis militantium millibus adventare constabat, contendens, Phrygiam, per quam exercitus traducendus erat, est ingressus.

CHRISTOPHORI BRUNONIS

SUPPLEMENTUM IN LIB. X. CAP. 1.

Scriptores rerum gestarum Alexandri Magni, hoc loco Calani Indi, in philosophiæ studiis magni nominis, mentionem faciunt. Qui persuasu Taxilis regis Indiæ Alexandrum secutus, tandem miro mortis genere seipsum interfecit. Cum enim LXXIII. annos absque ullo morbo vixisset, dolore alvi correptus in Perside, finem vitæ suæ adesse conjectans, ne longo morbo perpetua vitæ felicitas contaminaretur, neve multis medicorum pharmacis foret excruciandus, Alexandrum rogavit, ut sibi pyram construi, cumque ascendisset eandem incendi juberet. Rex hominem ab horrendo incepto posse deterreri sperans dissuadere cœpit. Verum cum eum fixum atque immutabilem in sententia permanere, nec in vita retineri posse videret, pyram secundum Calani voluntatem exstrui permisit. Quo delatus equo, adoratis patriis numinibus, Macedonas prehensis manibus rogavit, ut illum diem læti cum rege potantes exigerent, quem paulo post Babylone se visurum dixit. His dictis pyram ascendit alacriter, atque membris decore com-

Digitized by Google

positis, eo quo resedit gestu perpetuo conservato, occubuit. Incensa pyra, tubæ insonuere, totusque exercitus clamores in cœlum sustulit, haud secus atque in præliis fieri solet. Elephanti quoque horrendum infremuerunt. Hæc de Calani morte gravissimi scripserunt auctores, invicti animi ad quælibet dura constanter perferenda, singulare exemplum. Post hæc Susa profectus Statyram, majorem Darii filiam, legitimo sibi copulavit matrimonio. Juniorem Dryperim Hephæstioni uxorem dedit. Optimatibus quoque Macedonum, atque insignioribus amicis lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines circiter LXXX. matrimonio collocavit: ne solus novi moris auctor haberetur. Nuptiæ Persico more celebratæ sunt. Reliquis quoque Macedonibus, qui dudum uxores duxerant, regale instituit convivium. Cui cum novem millia convivarum interessent, unumquemque, ad peragenda libamina, aurea phiala donasse dicitur. Eodem tempore XXX. millia juniorum militum pari omnes ætate, sub præfectis civitatum partim a se conditarum, partim etiam devictarum, ad omnia belli munia, ac Macedonica armatura pulcherrime instructi ad Alexandrum venerunt: quos Epigonos, id est, successores appellavit. Horum adventu Macedones nonnihil contristari visi sunt. Cum enim Macedones diuturna militia fatigati, regi in concionibus sæpe obloquerentur, ad compescendam eorum licentiam hos sibi comparaverat milites, quos etiam maximis ornavit beneficiis. Harpalus autem, cui rex Babyloniæ thesaurorum atque vectigalium curam demandaverat, cum audivisset Alexandri virtute Indorum reges majore ex parte perdomitos, et felici rerum omnium successu jam ei cuncta patere, arbitrabatur Alexandrum ulteriora cognoscendi et gloriæ augendæ cupidissimum, haud facile eo loci rediturum. Deliciis itaque atque luxui deditus, vim nobilibus atque ingenuis fœminis inferens, omne libidinis genus exercuit. Vocato etiam ad se ab Athenis insigni scorto, cui Potonice nomen erat, eidem non solum viventi maxima et regia donavit munera, verum etiam post mortem, monumentum celeberrimum triginta talentis in id collatis exstrui voluit. His et similibus turpissimis voluptatibus magna pecuniæ summa exhausta, cum percepisset Alexandrum ex India redeuntem in multos præfectos ob scelesta ipsorum in subditos facinora delatos, graviter animadvertisse: timens (quæ sua erat conscientia) ne et sibi tale quippiam contingeret, collectis quinque millibus talentis, cum sex millibus mercenariorum celerrime in

Digitized by Google

Atticam contendit: nemine vero ipsum recipiente, relictis militibus ad Tænaron, ubi jam antea mercenariorum militum, quos præfecti in Asia ex mandato regis dimiserant, ingens multitudo confluxerat, Athenas cum pecunia est profectus. Ad quem continuo certatim magna vis civium confluxit, auri magis, quam hominis amore compulsi, inprimisque oratores, et hi qui quæstum ex pulpito faciebant. Quos exigua largitione pellectos, ut suam causam ad populum defenderent, sibi facile emticios fecit. Habita deinde concione populi, urbe excedere jussus, ad Græcos pervenit milites, ibique trucidatus est.

Ex his, studiose lector, quæ in hoc fragmento desunt, facile resarciri poterunt.

CHRISTOPHORI CELLARII

SUPPLEMENTA.

Curtii Rufi duos priores libros injuria temporum deperditos esse, inde ab resuscitatis literis conquesti sunt, qui damno hujus generis non leviter permoveri solent: neque in hunc diem inveniri, quamlibet summo studio identidem requisiti, potuerunt. Primum igitur ἀκέφαλος Q. Curtii historia excudebatur: postquam vero Christophorus Bruno anno MDXLIV. conatus est ex ingenio supplere, quæ deficiebant, omnibus fere editionibus, illius conjectationes, suppresso plerumque nomine, exhibitæ fuerunt; quas cum nec dicendi copiæ, neque tersæ elegantiæ Q. Curtii respondere vidit Joannes Freinshemius, uberiora Supplementa non infeliciter tentavit, congestis comteque dispositis, quæ unquam de Alexandro ab aliis tradita, in tempora librorum deperditorum incidisse reperit. Sed tamen solæ conjecturæ erant, nec cum Curtianis conferri sua ipse vir eruditissimus voluit. Quintianum etiam Stoam supplesse, quæ initio Q. Curtii desunt, Antonius Possevinus et Jacobus Gortonius tradiderunt, de quibus ut incognitis (neque etiam diligentissimo editori Michaëli Telliero visa sunt) nihil judicare possumus. Ne ergo tironibus imponatur, quos in Brunonis Supplemento frustra sæpe quæsisse novimus, quæ indagave-

Digitized by Google

rant, in ubertate autem Freinshemii multum temporis consumsisse, et legendi pæne fregisse cupiditatem, ut ad Curtii genuinos libros postmodum torperent; novo modo, quæ desunt, per summaria indicare, notisque substratis declarare singula instituimus, ut animus integer ad τὰ γνήσια nostri scriptoris afferatur, nec tamen rudis inanisque rerum sit, quas temporum iniquitate in Curtio perdidimus. Nam stylum ingeniumque Curtii æquare, supra conditionem sæculi nostri esse existimamus. Et si in Livio, Polybio, ac Diodoro Siculo excerptis summariis librorum, qui desiderantur, oportet nos contentos esse, quid non eadem æquitate jacturam feremus illorum, quæ sine nostra culpa ex Curtii monumentis amisimus? De particulis, quæ quinto et decimo libris exciderunt, suo loco memorabimus: nunc soliciti sumus, ut priores libros non quidem verbis ac stylo, sed brevi materiarum significatione restituamus, quam ita divisam volumus; ut primo libro ea scripsisse Curtium credamus, quæ bellum Persicum antecesserunt: altero initium illius belli complexum esse. Nam longius Curtium, quam Arrianum, initia repetiisse ex eo credibile est, quod duos integros libros præmisit, cum, quæ ex Arriano suppleri possunt, vix uni libro sufficiant. Sit igitur

CONJECTURA DE SUPPLEMENTO

LIBRI I.

I. *Proloquium Q. Curtii Rufi.*

Illorum, qui Alexandri res gestas scripsere, fide dignissimus Ptolemæus Lagi videtur, quod ipse rebus interfuerat, nec ulla, si secus scripsisset, suspicio lucri apparebat: proximus Aristobulus, quos longo intervallo Diodorus Siculus, non minus gravis auctor, secutus est.

Ut solent rerum antiquarum scriptores, videtur Curtius etiam de auctoritate, quam sequatur, prædixisse. Conjectura de Ptolemæo et Aristobulo ex Arriani præfatione est: de Diodoro, ex utriusque collatione, etiam testimonio Joannis Freinshemii: quanquam dubium est, an Diodorum, quod recentior erat, eumque pressius nonnunquam sequebatur, nominatim manifestaverit.

Digitized by Google

II. *Genus Alexandri Magni.*

ALEXANDER Philippo Amyntæ filio, et Olympiade Epirensi natus, utroque parente nobilissimus fuit. Pater enim ad Herculem,[a] mater ad Achillem[b] genus referebat. Sic clarus aliis Alexander, sibi obscurus videbatur, nisi, abdicato mortali patre, ab Jove genitus crederetur. Addita insolentiæ fabula, draconem[c] in cubili matris visum, quem Jupiter induerit.

[a] *Ad Herculem*] Conditor Macedonici regni Caranus patria Argivus, qui a Temeno, Herculis filio, originem ducebat. Ita Vell. Paterc. I. 5.

[b] *Ad Achillem*] A Pyrrho, Achillis filio, Epirenses reges orti. Sic Pausan. in Atticis.

[c] *Draconem*] Sic Plutarchus in Vita, Justinus XI. 11. aliique: quod de adulterio a non paucis exponitur. Vid. Cedren.

III. *Ostenta circa partum, et auguria magnitudinis.*

PHILIPPUS per quietem vidit obsignatam Olympiadis alvum annulo,[a] cujus sculptura leonem præferret, quod vates Aristander de fœtu generoso et leonina magnitudine animi interpretatus est. Qua nocte autem natus Alexander est, eadem templum Ephesiæ Dianæ[b] celeberrimum deflagravit: quod majoris ruinæ præsagium habuerunt, qui ex fortunæ casu de futuris judicabant, 'ortam alicubi facem esse, qua Asiæ regnum conflagraturum sit.'

[a] *Annulo*] Plutarchus hoc somnium narrat, cum interpretatione.

[b] *Templum Dianæ*] Cic. de Divinat. I. 23. tradit, ubi lucere post incendii noctem cœpisset, exclamasse magos, 'pestem ac perniciem Asiæ próxima nocte natam.'

IV. *Educatio Alexandri.*

QUANTA Philippi in educando filio solertia fuerit, Epistola[a] documento est, qua sibi gratulatus fuit, quod iis temporibus filio auctus sit, quæ Aristotelem dare præceptorem[b] possint, qui patriæ

[a] *Epistola*] Philippi ad Aristotelem Epistola apud Gellium IX. 3.

[b] *Aristotelem præceptorem*] Bis Aristotele usus est Alexander, primum admodum puer ad elementa discenda. Quintilianus I. 1. 'An Philippus,' inquit, 'Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo ejus ætatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia a perfectissimo quoque tractari, pertinere ad officium credidisset?' Ad primam hanc institutionem prædicta Epistola

Digitized by Google

urbis[c] instaurationem præmium laboris ab rege tulit. Assidui autem nutritores et pædagogi fuerunt, Leonidas, Lysimachus[d] Acarnan, et ejusdem gentis Philippus,[e] rector valetudinis. Eloquentiæ magistro usus est Anaximene Lampsaceno, cujus calliditati postmodum eversionem patriæ[f] donavit. Homeri carmina tanti fecit, ut nunquam Iliadem[g] non comitem haberet.

pertinet. Deinde postquam discesserat Aristoteles, revocatus Mitylenis διέτριψε χρόνον ὀκταετῆ παρὰ Φιλίππῳ καθηγούμενος Ἀλεξάνδρου, hoc est, *octo annos apud Philippum Alexandro philosophia imbuendo operam dedit.* Dionys. Halicarnass. ad Amnæum p. 121. Quamvis tam Laërtius, quam hic Dionysius unius tantummodo ad Philippum accessus (sine dubio posterioris) mentionem faciant.

[c] *Patriæ urbis*] Stagiræ, una cum Olyntho, in cujus ditione fuerat, eversæ. Sic Diogen. Laërt. in Vita Aristot. et Plin. VII. 29. cum Harduini emendatione 95.

[d] *Leonidas, Lysimachus*] Ex Plutarcho. Hic ille Leonidas est, qui Alexandrum puerum, thure largius sacrificantem, castigavit, tum decere liberaliorem esse, cum thuriferam regionem ditionis suæ fecerit: cujus reprehensionis rex Asia potitus reminiscens, immensam thuris copiam Leonidæ summisit, eumque ad liberalitatem erga Deos per jocum hortatus est. Sic idem Plutarch.

[e] *Philippus*] Curtio ipso prodente III. 6. 1.

[f] *Eversionem patriæ*] Lampsaci, quæ Persis faverat, Alexander Anaximenem extra mœnia prodeuntem videns, jurejurando negavit se facturum, quod ille precaturus esset: hic autem eversionem callide rogans, conservationem vi jurisjurandi obtinuit. Ita Val. Max. VII. 3. 4.

[g] *Iliadem*] Τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, *viaticum militaris virtutis*, Iliadem Homeri dixit, Plutarcho auctore: etiam pulvino cum pugione dormiturus supposuit.

V. *Rudimenta militiæ.*

Præsagium militaris magnitudinis in Bucephalo[a] puer Alexander dedit, quem mirifice, umbræ ratione habita, ita rexit domuitque, ut pater omine inde capto exclamarit, 'aliud filio regnum quærendum esse, quoniam Macedonia non caperet.' Decimum annum et septimum agebat, cum pater Byzantium[b] oppugnans ipsi administrationem regni commisisset. Rebellavit tum Thraciæ quædam civitas,[c] quam adolescens collectis, qui domi relicti erant, militibus improvisa celeritate oppressit, et urbem convenis habitandam dedit, qui eam Alexandriam appellavere. Sed cum male

[a] *Bucephalo*] Adi Plutarchum.

[b] *Byzantium*] Justin. IX. 1.

[c] *Thraciæ civitas*] Vide Stephanum de Urbibus in Ἀλεξανδρεία. Plutarcho Ἀλεξανδρόπολις est.

Digitized by Google

procederet Byzantina obsidio, Atheniensium classe [d] obsessis suppetias ferente; Philippus filio usus ad subigenda Chersonesi oppida.[e] Idem cum ex Getico bello redux per Triballos iter faceret, et Græci mercenarii [f] milites prædæ societatem postularent, altercatione in pugnam erumpente, ipse rex equo interfecto vulneratur, quem clypeo Alexander jacentem texit, irruentium alios occidit, alios armis longius inde propulsavit. Jam tantus evaserat Alexander, ut sine rectore aut custode exercitui posse præfici videretur, quam de se opinionem in Illyrios [g] missus victoriis confirmavit.

[d] *Atheniensium classe*] Etiam alii Atheniensium exemplum secuti sunt, Coi, Chii, Rhodii, et quibuscumque Philippi invalescens potentia suspecta erat. Ita Diodor. Sicul. XVI. 78.

[e] *Chersonesi oppida*] Justinus citato loco.

[f] *Græci mercenarii*] Sic ipse Alexander apud Nostrum VIII. 1. 24. enarrat: Justinus IX. 8. inter Macedonas et Triballos pugnam exortam esse, quod hi, nisi prædæ portionem acciperent, transitum negassent.

[g] *In Illyrios*] Hanc Illyricam expeditionem nemo prodidit, quod nobis constet. Curtius vero VIII. 1. eandem summatim repetit sub Alexandri persona Philippi res gestas obterentis, suas extollentis.

VI. *Oppressio libertatis Græcorum.*

PHILIPPUS artibus [a] consecutus est, ut Græcia servitutis jugum acciperet. Ultro enim quietos lacessere, inter concordantes odia instruere, dissidentium rixas alere, ita alterutram partem juvare, ut utramque opprimeret, solennis illi consuetudo fuit. Pauci expertes ejus dominationis erant, quos Demosthenis eloquentia [b] in libertate sustentabat. Sed et horum tandem ad Chæroneam victor,[c] facile obtinuit Philippus, ut imperator Græciæ [d] adversus Persas crearetur.

[a] *Artibus*] Lege Justinum VIII. 1.

[b] *Demosthenis eloquentia*] In concilio Bœotorum Thebanis jam dubiis, cujus partes sequerentur, contra Pythonem Byzantium, facundum Philippi oratorem, persuasit libertatem tuendam esse, et Philippum hostem judicandum. Ita Diodor. Sicul. XVI. 86. Utriusque orationem Freinshemii ingenium tentavit, expressitque. De Philippicis autem Demosthenis nihil attinet dicere, cum notissimæ sint, hodieque doctorum manibus volvantur.

[c] *Ad Chæroneam victor*] Diodor. Sic. XVI. 87. 89.

[d] *Imperator Græciæ*] Ibidem c. 92.

VII. *Alexandri et Philippi dissidium.*

BELLICIS rebus plerumque Alexander, etiam ad Chæroneam prælio,

Digitized by Google

intererat, in quo penes ipsum victoria[a] stetisse dicitur. In cornu enim, cui præerat, initium vincendi factum, sacra Thebanorum cohorte,[b] quæ ex lectissimis constabat, fortiter profligata. Ceterum a patre aliquando aberat,[c] causæ matris inserviens, cui Philippus Cleopatram[d] superinduxerat, in cujus nuptiis parum abfuit, quin Alexander novæ prolis voto,[e] quod Attalus fecerat, reclamans, a patre interficeretur.

[a] *Penes ipsum victoria*] Diodorus Siculus XVI. cap. 87.

[b] *Sacra cohorte*] Plutarchus: Λέγεται πρῶτος ἐνσεῖσαι τῷ ἱερῷ λόχῳ τῶν Θηβαίων, *Dicitur primus sacram Thebanorum cohortem concussisse.*

[c] *Aberat*] In Epiro et Illyride. Vid. Justin. IX. 7.

[d] *Cleopatram*] Plutarchum et Justinum IX. 7. consulas.

[e] *Novæ prolis voto*] Attalus inter pocula hortatus est Macedonas, ut a Diis Philippo ex Cleopatra successorem precarentur: cui Alexander scyphum in os impingens, inquit: Ἡμεῖς δέ σοι νόθοι δοκοῦμεν; *An vero nos spurii sumus?* Plutarch.

VIII. *Apparatus belli Persici.*

Philippus dux belli a Græcis factus bellum Persicum molitus est, præmisso Attalo et Parmenione[a] cum copiarum parte, ut Græcas in Asia civitates liberarent. Ipse oraculo lætus, seu potius deceptus,[b] jam cepisse sibi orientem videbatur.

[a] *Præmisso Attalo et Parmenione*] Diodorus Siculus XVI. 92.

[b] *Oraculo deceptus*] Delphos miserat, qui Pythiam de bello Persico consulerent, quæ cum pro more ambiguis verbis cecinisset. Ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύων, *Serta gerit taurus, jamque adstat qui immolet illum*, is de regis Persarum nece interpretatus est, sua autem implevit oraculum. Vid. Diodor. cit. loco, et Pausan. in Arcad. f. 241.

IX. *Cædes Philippi regis.*

Olympias Cleopatræ posthabita fratrem Alexandrum, Epiri regem, in bellum Philippo inferendum[a] concitavit, quod ne alieno is tempore[b] exciperet, affinitatis gratia præveniens, Cleopatram filiam, Alexandri germanam, Epirotæ despondit; Ægis, in Macedoniæ urbe, nuptiarum apparatu splendidissime instructo. Sed inopinatus casus lætitiam intervertit. Etenim Pausanias quidam ab Attalo contumeliose habitus, cum frustra conquestus[c] de injusico intentus erat.

[a] *In bellum Philippo inferendum*] Justin. IX. 7.

[b] *Alieno tempore*] Quia bello Per-

[c] *Frustra conquestus*] Quod Philippus Attalum, quo opus sibi videbatur

Digitized by Google

ria esset, inter nuptiarum sacra regem, cum spectatum ludos iret, ex improviso interfecit. Consciam cædis [d] Olympiadem fuisse, nec expertem Alexandrum, multorum suspicio erat, exinde fidei propior visa, quod parricidæ in cruce pendenti corona aurea audacius, quam [e] pro privati fortuna, imposita fuerat.

contra Persas fore, propter adolescentuli violationem castigare haud sustinuit.

[d] *Consciam cædis*] Vide Justinum IX. 7.

[e] *Audacius, quam, &c.*] Quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio, potuisset. Ita Justin. l. c.

X. *Ultio Olympiadis et Alexandri.*

Olympias pœnam de Cleopatra sumtura, peremta sobole, matrem ad suspendium [a] adegit. Attalum etiam avunculum hujus, res novas in Asia molientem, Alexander per Hecatæum et Parmenionem sustulit.[b]

[a] *Ad suspendium*] Justin. loco sæpe cit.

[b] *Attalum sustulit*] Diodorus Sic. XVII. cap. 2.

XI. *Alexander Græciæ imperator factus.*

Græci et barbari ad spem libertatis erecti a novo rege opinione citius opprimuntur. Obsessis ad Tempe angustiis, per invia Ossæ [a] in Thessaliam irrupit, et celeritate perfecit, ut Pyliaco Amphictyonum concilio [b] in patris locum dux Græciæ sufficeretur, quod ad Corinthum conventu, quo rex a Thermopylis abierat, publica voce repetitum fuit, et auxilia contra Persas decreta. Forte in Craneo,[c] Corinthiaco luco, Diogenes [d] degebat, quem cum Alexander rogaret, ut diceret, si quibus opus esset: 'A sole,' inquit, 'mihi velim non obstes:' apricanti enim offecerat. Cujus conti-

[a] *Per invia Ossæ*] Polyænus lib. IV. Stratagem. tradit, suffossis petris, et effectis gradibus in jugum evasisse. Thessali autem angustias obsederant, ad transitum prohibendum.

[b] *Pyliaco Amphictyonum concilio*] Commune Græciæ concilium a Pylis sive Thermopylis, ubi habebatur, 'Pyliacum;' ab Amphictyone, Deucalionis filio, duodecim Græciæ populos in unum cogente, Ἀμφικτυόνων nominatur. Ita Suidas.

[c] *In Craneo*] Pausanias in Corinthiacis post principium: Πρὸ τῆς πόλεως κυπαρίσσων ἐστὶν ἄλσος, ὀνομαζόμενον Κράνειον, hoc est, *Suburbanus cupressorum lucus, cui Craneo nomen est.*

[d] *Diogenes*] Passim leguntur, apud Cic. Tusc. V. cap. 32. Val. Max. IV. extr.

Digitized by Google

nentiam admiratus rex dixisse fertur: 'Vellem et ego Diogenes esse,[e] nisi essem Alexander.'

[e] *Vellem Diogenes esse*] Laërtius Diogenes in Vita Cynici hoc tradidit.

XII. *Motus barbarorum suppressi.*

Græcorum rebus pro tempore ordinatis, in barbaros rex Alexander movit, et Thracibus in Æmo monte victis,[a] regem Triballorum Syrmum, qui in Peucen Istri insulam refugerat, ad petendam pacem coëgit; Getas trajecto Istro superavit; et cum Germanorum[b] legatis fœdus percussit. Per Agrianos[c] Macedoniam repetenti motus Illyriorum nuntiatur, qui Taulantios quoque in societatem pertraxerant. Hos domi eorum rex Agrianus, amicus Alexandro, lacessens, a vexandis Macedonibus avertit, qui illos postea ad Pelium,[d] Dassaretiæ oppidum, ita concusserunt, ut fuga singuli, incensa urbe, dilaberentur.

[a] *Thracibus victis*] Hæc et pleraque quæ sequuntur, ex Arriani lib. I. depromta sunt.

[b] *Germanorum*] Arrianus 'Celtas' vocat, qui longe ad Istrum, etiam ultra Germaniæ limitem coluerunt. Vid. Cluver. Germ. Antiq.

[c] *Agrianos*] Agrianes sive Agriani sunt Stephano Byzantio inter Æmum et Rhodopen siti. Regi illorum Langaro nomen erat.

[d] *Pelium*] Πέλλιον Arrianus.

XIII. *Motus Græcorum compressus.*

Interea rumore,[a] 'Alexandrum in Triballis cecidisse,' per Græciam increbrescente, nova spes novum tumultum excitavit, qui Thebanorum civitati exitialis fuit. Hi enim, præfectis Cadmeæ[b] trucidatis, acriter instabant præsidio arcis,[c] mittentes quaquaversus, qui libertatis communiter vindicandæ concitores essent. Nihil vero auxilii summissum fuit, plerisque expectantibus, quo fortuna inclinaret.[d] Rex citius opinione in Bœotiam irrumpens, post tridui apparatum intra unum diem et oppugnavit et cepit Thebanorum urbem, in quam crudelius, quam pro ingenio suo, sæviit; ut peregre in Persas abiturus exemplum relinqueret, quod

[a] *Rumore*] Justinus XI. 2.

[b] *Præfectis Cadmeæ*] Extra arcem progressis, nihilque mali suspicantibus. Ita Arrian.

[c] *Præsidio arcis*] Præsidiariis Cadmeæ, qui Macedones erant. Ita Diodor. Sic. XVII. 8.

[d] *Quo fortuna inclin.*] Diodor. cap. l. cujus et cetera sunt de celeriter expugnata urbe.

Digitized by Google

fidei tuendæ ceteros admoneret. Solis Pindari [e] posteris in honorem vatis pepercit, ejusque domum cremari vetuit. Servavit etiam Deorum delubra, et fortium virorum statuas, religione permotus, quod milites cœlesti igne,[f] cum fanum in suburbio spoliarent, ambusti dicebantur.

[e] *Pindari*] Ælianus Var. Histor. XII. 7. et Arrian. lib. I.

[f] *Cœlesti igne*] Pausanias in Bœot. p. 301.

XIV. *Athenienses regi denuo conciliati.*

ALEXANDER Athenienses ulturus tanquam auctores defectionis Thebanæ,[a] et post cladem receptores[b] elapsorum, Demosthènem sibi, et Charidemum, et Ephialten aliosque tradi postulat. Legatione autem effectum est, ut rex solius Charidemi[c] exilio placaretur.

[a] *Defectionis Thebanæ*] Arrian. lib. I. p. 29.

[b] *Receptores*] Quod inter patriæ ruinas elapsos contra regis edictum susceperant.

[c] *Charidemi*] Qui ad Darium in Persiam profugit. Ita Arrian. c. l. Hic est, qui de Persarum militia censere jussus, intempestivæ libertatis pœnas dedit. Sic Curt. III. 2.

CONJECTURA DE SUPPLEMENTO LIBRI II.

PROCUL dubio ita libros Q. Curtius diviserat, ut secundus res gestas a principio expeditionis Asiaticæ usque ad Memnonis mortem contineret, cujus partes conjicimus ita dispensatas fuisse.

I. *Iter ex Macedonia per Thraciam ad Hellespontum.*

ALEXANDER, Græciæ rebus compositis, et administratione regni Antipatro[a] commissa, in bellum Persicum, ad quod se pridem paraverat,[b] profecturus, triginta millia peditum, et quinque equitum secum educit. Classem, quam juxta lacum Cercinitem[c] et

[a] *Antipatro*] Qui ex hoc tempore Macedoniæ rebus continua administratione præfuit, nec illam deposuit Alexandro mortuo. Ita Arrian. lib. I. Curt. IV. 1. 39. VI. 1. 17. 18. X. 10. 18.

[b] *Se pridem paraverat*] In curas patris succedens, qui et ipse bellum Persicum molitus fuerat.

[c] *Juxta lacum Cercinitem*] Interpres

Digitized by Google

Strymonis ostia habebat, eodem sequi jubet. Abderam et Maroneam prætergressus, et Hebro ac Melane fluviis trajectis, vicesimo die, postquam domo discesserat, Sestum venit.

Arriani: Per lacum Cercinitem Amphipolin versus, et deinde ad Strymonis fluvii ostia classem agit. At

Græce: Ἦν δὲ αὐτῷ ὁ στόλος παρὰ τὴν λίμνην τὴν Κερκινίτιν, ὡς ἐπ' Ἀμφίπολιν καὶ τοῦ Στρυμόνος ποταμοῦ τὰς ἐκβολάς.

II. *Trajectus in Asiam.*

Sesto Elæuntem profectus rex Protesilao, qui Trojano bello primus in Asiam dicitur pedem intulisse, inferias [a] dabat. Interea Parmenio exercitum Sesto Abydum [b] transportavit: rex Elæunte [c] in portum Achæum, qui ad Sigæum est, trajecit.

[a] *Protesilao inferias*] Ut melioribus auspiciis, quam Protesilaus, hostile littus attingeret, Elæunte ad sepulcrum ejus sacrificavit. Ita Arrian. Is autem ut primus ex Agamemnonis classe exscenderat, ita primus etiam fuit, qui illo bello periret. Ovid. Met. XII. 67. 'Hectorea primus fataliter hasta, Protesilaë, cadis.'

[b] *Sesto Abydum*] Ita tam exercitus, quam regis, transfretationem Arrianus descripsit. Eadem ergo Macedonicus exercitus navigiis trajecit, qua ponte venerat sub Xerxe Persicus.

[c] *Elæunte*] Chersonesi Thraciæ oppido ad Hellespontum.

III. *Persarum contra Macedones apparatus.*

Darius, Codomannus vulgari nomine, ea tempestate rex Persarum erat, paulo ante Philippi necem, propter bellicam famam [a] et genus a regio [b] forte non alienum, in id fastigium evectus. Hic contemta Alexandri juventute omnia securius agebat: cognitis vero rebus, quas apud Græcos, Thracas, et Illyrios gesserat, summa se cura instanti bello præparabat, missis quoque in Græciam, qui mercede militem conducerent.[c] Nec mercenariis modo, sed universis in maritima ora copiis Memnonem Rhodium, virum peritissimum rei bellicæ, præfecit.[d]

[a] *Propter bellicam famam*] Bello contra Cadusios singulari pugna provocatorem interfecerat. Ita Diodor. Sicul. XVII. 6. Justin. X. 3. 3.

[b] *Regio*] Codomanni pater Arsanes, Artaxerxis frater, Ochi patruus fuerat. Sic Diodor. c. l.

[c] *Mercede conducerent*] Curt. III. 2. 9. v. 11. 5.

[d] *Memnonem præfecit*] Passim apud Diodorum et Arrianum leguntur.

Digitized by Google

IV. *Alexander Diis atque heroibus sacra facit.*

In mediis Hellesponti fluctibus [a] Diis maris sacra fecit, et delatus in continentem, in hostilem agrum jaculum immisit,[b] primusque de navi prosiliens Deos precatus [c] est, ne se regem illæ terræ invitum acciperent. In Ilio quoque ad tumulos heroum,[d] qui Trojano bello ceciderant, parentavit.

[a] *In mediis fluctibus*] Neptuno ibi et Nereidibus sacrificavit. Vid. Arrian. p. 32.

[b] *Jaculum immisit*] Justin. XI. 5. 10.

[c] *Deos precatus*] Jovi Ἀποβατηρίῳ, *Descensori*, et Minervæ, ac Herculi in eo loco, ubi exscenderat, altaria struxit. Ita Arrian.

[d] *Ad tumulos heroum*] Præsertim Achillis, quem felicem prædicavit, quod vivus amicum Patroclum, mortuus Homerum præconem invenerit. Vid. Cic. pro Arch. c. 10. Plutarch. in Alex. Priamo etiam ad Jovis Hercii aram sacrificasse dicitur, ut illius iram adversus Neoptolemi progeniem, ad quam ipse pertingebat, deprecaretur. Ita Arrian.

V. *Prælium ad amnem Granicum.*

Ex Ilio rex Arisben,[a] ubi castra habebat, revertit: inde Lampsacum prætergressus, cui ignovit,[b] ad Granicum [c] amnem venit, in cujus altera ripa hostilis exercitus stabat transitum prohibiturus. Alexander instructa acie ingressus flumen, magno nisu in altiorem ripam evasit, Persasque tandem non sine suo periculo, ex quo Clitus servaverat,[d] in fugam conjecit,[e] circumventis etiam mercenariis, qui globo facto diutissime repugnaverant. Barbarorum ceciderunt viginti et duo millia: Macedonum tantummodo XXXIV. ut Plutarchus ex Aristobulo tradidit. Fuga elapsi, in quibus et Memnon erat, Miletum perrexerunt, et Halicarnassum.

[a] *Arisben*] Oppidum Troadis, in Boream, supra Ilium situm.

[b] *Lampsacum, cui ignovit*] Vide quæ diximus ad lib. I. Conjecturam IV.

[c] *Granicum*] Fluvium Mysiæ supra Hellespontum.

[d] *Clitus servaverat*] Jam galea regis ictu diffracta erat, declinato periculo, cum illum alius ab tergo petiit: cujus manum Clitus amputavit. Hunc 'Rhosacen' Curtius vocat, VIII. 1. 'Spitridatem' Arrianus, et quidem Lydiæ satrapam.

[e] *In fugam conjecit*] Eventum prælii Arrianus et Plutarchus scripserunt.

VI. *Sepulturæ cura et donariorum.*

Quod humanitatis officium est, Alexander illis præstitit, qui prælio occubuerant. Hos enim ad cæterorum exemplum impense hu-

Digitized by Google

matos equestribus statuis [a] donari jussit, cognatisque eorum immunitatem dedit. Ex spoliis ccc. clypeos Athenas misit in Minervæ templo cum civilissima inscriptione affigendos.

[a] *Equestribus statuis*] A Lysippo præstantissimo artifice ex ære fictis, et in Macedoniæ oppido Dio erectis, cujus perlongo tempore singulare ornamentum fuerunt. Ita Arrian. p. 47. Plutarch. p. 678. Livius, XLIV. 7. Justin. XI. 6.

[b] *Civilissima inscriptione*] Apud Plutarchum et Arrianum hæc est: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΚΑΙ ΟΙ ΕΛΛΗΝΕΣ ΠΛΗΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΑΠΟ ΤΩΝ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ΤΩΝ ΤΗΝ ΑΣΙΑΝ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ. ALEXANDER PHIL. F. ET GRÆCI PRÆTER LACEDÆMONIOS HÆC DE BARBARIS ASIAM INCOLENTIBUS.

VII. *Urbes quædam in fidem acceptæ, quædam expugnatæ.*

Tanta victoriæ ad Granicum fama erat, ut plures Asiæ urbes se Alexandro dederent, Sardes inprimis, ac Ephesus: [a] Miletus breviore obsidione, at Halicarnassus operosissima, expugnata fuit. Adæ [b] illustri fœminæ regnum Cariæ redditum, a quo expulsa fuerat per Pexodarum. Cum gratiam relatura mulier miræ artis et saporis cibos cum coquis et cupediariis offerret, ex Alexandro didicit, 'optimos coquos [c] esse ad prandium laborem antelucanum, ad cœnam frugale prandium.' Classem hoc tempore Alexander dimisit,[d] ut supervacaneam ad usus futuros, nec ita instructam, ut Persarum classiariis [e] opponi posset.

[a] *Sardes, Ephesus*] Vide Arrianum, qui etiam Tralles et Magnesiam deditionis exempla ponit: etiam de obsidione Mileti et Halicarnassi pluribus verbis scripsit.

[b] *Adæ*] Arrian. et Plutarch.

[c] *Optimos coquos*] Idem Plutarch. in Alex. p. 677. et Apophth. 37.

[d] *Dimisit classem*] Quæ consilii hujus causa fuerit, disputat Arrianus p. 58.

[e] *Persarum classiariis*] Qui et numero et peritia rei navalis prævalebant. Erant enim ex nauticis gentibus Phœniciæ ac Cypri plerique.

VIII. *Insidiæ manifestantur.*

Cum rex Lyciam [a] transiret, oppidis in deditionem acceptis, captivi indicio cognovit, ab Alexandro Lyncesta, genero Antipatri, insidias sibi parari,[b] quem veritus interficere, ne quis motus in Macedonia oriretur, in vinculis diuturnis [c] habuit.

[a] *Lyncestam*] Lynco Macedoniæ oppido, vel Lyncestide regione ortus.

[b] *Insidias parari*] Adi Justinum XI. 7. et Arrianum.

[c] *Vinculis diuturnis*] Tertium jam annum custoditus fuerat, cum ad causam dicendam productus inter hæsitationes memoriæ ab astantibus confoderetur. Vid. Curt. VII. 1.

Digitized by Google

IX. *Iter per Climaca, et prælium cum Pisidis.*

PHASELIDE[a] in fidem accepta, per Climaca,[b] hoc est, angustias inter montes et mare Pamphylium, ægre exercitum hyberno tempore transduxit, et Aspendiis post defectionem receptis, Telmessum prætergressus Pisidas ad Sagalassum gravi prælio[c] superavit.

[a] *Phaselide*] Phaselis in Lyciæ ad Pamphyliam termino urbs maritima, in qua Alexander Theodecti statuæ, sui quondam sub Aristotele condiscipuli, jam vita defuncti, coronas injecit. Ita Plutarch. p. 674.

[b] *Per Climaca*] Mons Climax, Pamphylio mari imminens, arctum transitum in littore relinquit, et fluctibus sæpe ita opertum, ut Alexandri milites umbilico tenus demersi ibidem iter fecerint. Plutarch. et Strab. lib. XIV.

[c] *Pisidas gravi prælio*] Adi Arrianum.

X. *Memnonis morte res Persarum labefactantur.*

INTER hæc Memnon locis quibusdam[a] in maris ora recuperatis et Chio insula, dum Mitylenen[b] obsidet, morbo correptus Persarum spem maximam morte intempestiva deseruit. Nam hoc duce bellum Darius ex Asia in Europam[c] transferri posse speraverat.

[a] *Locis quibusdam*] In quibus et Lampsacus fuit.

[b] *Chio, ... Mytilenen*] Chion proditione cepit. Vid. Arrian. lib. II. ineunte. Mitylenæi post mortem ducis, cum se undique inclusos viderent, pacti salutem sunt et Macedonici præsidii discessionem liberam. Ita Arrian. c. l.

[c] *Asia in Europam*] Diodor. Sic. XVII. 29.

CHRISTOPH. CELLARII

SUPPLEMENTUM IN LIB. V. CAP. 13.

DARIUS Polystrati accedentis audita voce, præsentis fortunæ id esse solatium dixit, quod ultima verba apud intellecturum[a] sit

[a] *Apud intellecturum*] Justinus XI. 15. 6. qui tamen interprete captivo Persa cum Polystrate locutum esse addit: 'Adplicito,' inquit, 'captivo, cum civem esse ex voce cognovisset.' Quod autem Darius sermonis Græci non ignarus erat, teste Curtio v. 11. 5. Freinshemius Græce Macedoni Polystrato locutum esse autumat.

Digitized by Google

redditurus. Perferri autem Alexandro jubet, 'se nullis in eum meritorum[b] officiis, maximorum illi debitorem mori, quæ matri, uxori, liberis præstitisset. Gratiam se solam, quam moriens possit, precando referre, ut illi terrarum omnium contingat imperium. Curam sepulturæ, et parricidii ultionem non multis verbis rogare, quod hanc humanitatis officio, illam exempli caussa, et communis regum securitatis, non sit neglecturus Alexander.' Tandem hausta frigida,[c] quam postulaverat, Polystrato quoque gratias egit, de ultima infelicitate sua conquestus, quod referre non possit: velle autem, ut Alexander[d] illi, Alexandro Dii referant; in eamque rem se dextram, fidei regis pignus,[e] Alexandro ferendam dare. Hæc dicentem, accepta Polystrati manu, vox atque vita destituit. Quæ ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam isto fastigio mortem lacrymis prosecutus[f] est, et chlamyde suo contectum,[g] regioque ornatum cultu, ad matrem Sisygambim[h] patrio more sepeliendum, tumulisque majorum inferendum misit.

[b] *Nullis in eum meritorum*] Itidem Justini sunt, ejusdem et sequentia.

[c] *Hausta frigida*] Plutarch. in Alex. p. 690. πιὼν ὕδωρ ψυχρόν.

[d] *Velle ut Alexander*] Plutarch. ibidem.

[e] *Dextram fidei pignus*] Justinus. Addit Plutarchus διὰ σοῦ, *per te, te interprete.*

[f] *Lacrymis prosecutus*] Justinus.

[g] *Chlamyde contectum*] Plutarch.

[h] *Ad Sisygambim*] Idem.

CHRISTOPH. CELLARII

SUPPLEMENTUM IN LIB. VI. CAP. 1.

Deest principium hujus libri, non autem admodum magnum. Ex Diodoro historiam supplemus: verba et ornatum non divinamus.

ALEXANDRO in Asia gravibus bellis occupato, plerique Græcorum occasionem circumspiciebant, qua in libertatem se assererent: eamque invenisse credebant in Thraciæ tumultu,[a] quem Memnon præfectus militum concitaverat. Duces ceteris Lacedæmonii erant, qui, tota Græcia temporibus serviente, soli Macedonum

[a] *Thraciæ tumultu*] Memnon rebellaverat: qui Diodor. XVII. 62. dicitur ὁ καθιστάμενος στρατηγὸς τῆς Θράκης, *constitutus* ab Alexandro *dux militum per Thraciam.*

Digitized by Google

dominationi restiterant.[b] A Persis pecunia sperabatur[c] ad ampliorem belli usum. Cum ergo Antipater, quicquid militum habebat, in Thraciam duxisset, motum nuper exortum oppressurus, Peloponnesii, exceptis paucis,[d] bello Macedonas invadunt, Agidi, Lacedæmoniorum regi, summam imperii deferentes. Quo audito, Antipater, utcumque potuit, res in Thracia componens,[e] adversus Græcos proficiscitur, qui nescio qua pugna confisi,[f] Megalopolim[g] obsidione cinxerant, et jam in eo erat, ut caperent[h] oppidum, cum Antipater ex Macedonia supervenit. Utrimque acriter pugnatur,[i] et quanquam locus Macedonas, qui numero prævalebant,[k] non capiebat, irruunt tamen, urgent, cedere cogunt. Quod ubi Agis conspexit, ut inclinatam suorum aciem firmaret, illico cum regia cohorte, quæ ex lectissimis constabat, se in medium *pugnæ discrimen immisit, &c.*

[b] *Soli restiterant*] Quod ipse rex inscriptione, quam in Supplementis II. 6. vides, significavit. Clarius Justin. XII. 1. 'Philippi Alexandrique pacem soli spreverant, et leges respuerant.'

[c] *Pecunia sperabatur*] Cujus causa etiam Agis ad Pharnabazum navigavit. Arrian. lib. II. adde Diod. loc. cit.

[d] *Exceptis paucis*] Megalopolitanis et Pellensæis. Æschines contra Ctesiphont. p. 454.

[e] *Res in Thracia componens*] Diod. XVII. 63.

[f] *Pugna confisi*] Ad Corrhagum, ignobilem locum, (Freinshemio castellum Macedoniæ est) vicerunt Spartani. Æschines cap. 1. διέφθειραν τοὺς ἐπὶ Κόρραγον στρατιώτας.

[g] *Megalopolim*] Arcadiæ urbem, fidam Macedonibus ἐκ τῶν κατὰ τὸν Ἀμύντου Φίλιππον εὐεργεσιῶν, *propter Philippi in ipsam merita.* Polyb. II. 48.

[h] *In eo erat, ut caperent*] Æschines cap. 1. καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπίβοξος ἦν ἁλῶναι.

[i] *Acriter pugnatur*] Haud procul Megalopoli: in Arcadia saltem. Plutarch. Agesil. p. 604. ἐν Ἀρκαδίᾳ.

[k] *Numero prævalebant*] Diodorus enim Antipatro peditum XL. millia, Spartanis ac sociis tantum XX. tribuit.

Digitized by Google

CHRISTOPH. CELLARII

SUPPLEMENTUM IN LIB. X. CAP. 1.

Ne Græcia quidem] Quæ hoc loco usque ad cap. 2. desunt, ita quodammodo ex Diodoro lib. XVII. 108. suppleri possunt.

Ne Græcia quidem inconcussa tumultu fuit. Cum enim Alexander ex India reversus præfectos, qui desperato ejus reditu superbe imperarant, severius punisset,[a] ceteri quoque, provincialium metuentes accusationem, ope mercenariorum militum, quibus præerant, et fuga[b] sibi salutem quærebant. Harpalus Babyloniæ post Mazæi mortem præfectus,[c] cum luxuriose vixisset,[d] venia desperata, v. millibus talentum[e] correctis cum VI. millibus mercenariorum in Græciam profugit, quibus persuaserat, se pecunia effecturum, ut Atheniensium civitas adversus regem arma capiat, et communem causam tueatur.

[a] *Præfectos severius punisset*] Curt. X. 1. 8. Diod. XVII. 106.

[b] *Ope mercenariorum et fuga*] Diod. c. l.

[c] *Babyloniæ præfectus*] Plutarchus p. 686. τῆς χώρας ἐπιμελητής. Diodor. cap. 108. Ἐν Βαβυλῶνι θησαυρῶν καὶ τῶν προσόδων τὴν φυλακὴν πεπιστευμένος. *Thesaurorum et vectigalium custodiæ præpositus.*

[d] *Luxuriose vixisset*] Diodor. c. l. Athenæus XIII. 6. 7.

[e] *V. millibus talentum*] Diodor. c. l.

Hujus argumenti videntur fuisse, quæ hoc loco desiderantur. Christophorus Bruno præmittit Calani Sophistæ Indici mortem: et nuptias, quibus Statiram Darii filiam sibi Alexander junxit; etiam ducibus suis nobilissimas quasque virginum Persicarum. De Calani excessu ad VIII. 9. 32. notavimus: nuptias ipse Curtius X. 3. 12. attigit. Credo utrumque Curtium, ut solet in ultimis, festinatione prætermisisse: certe connexiones hujus loci neutrum ferunt, neque addidit de iis in supplementis Freinshemius. Qui vero memorabilem Calani exitum vult accuratius cognoscere, scriptores consulat, quos c. l. laudavimus, ex quibus hoc solum adjicere visum est, quod in rogum ascendens Alexandro imminentem mortem prædixerit. Cum enim rex eum rogaret, ut si quid vellet, diceret: 'Optime,' inquit, 'propediem te Babylone videbo.' Lege Ciceronem et Plutarchum: de nuptiis eundem Plutarchum et Diodorum XVII. 107.

Digitized by Google

CHRISTOPH. CELLARII

SUPPLEMENTUM IN LIB. X. CAP. 4.

4. TANDEM constantia[a] sua vicerunt regem, ut ad se prodiret,[b] et reconciliati animi[c] certa signa ostenderet. 5. Decem circiter millia[d] veteranorum, quibus Craterum præfecit, stipendiis donisque[e] auctos in patriam dimisit: 6. literis ad Antipatrum[f] datis, quibus honorem emeritis haberi præcepit, ut in primis ordinibus[g] et coronati ludos spectarent, et liberi demortuorum[h] in stipendia paterna succederent. 7. Iisdem literis Antipatrum cum tironibus ad se vocavit, Cratero in locum[i] ejus suffecto. 8. Verebatur enim, ne discordia præfecti[j] et Olympiadis reipublicæ damnum infer-

[a] *Tandem constantia*] Ab hoc loco ad finem capitis, seu initium capitis 5. deficiunt libri tum manu tum olim typis exscripti. Recentius excusi Supplementum nescio cujus insertum habent; quidam etiam sine ulla nota aut indicio novitatis, quasi Curtii omnia sint, ceteris conjungunt. Tellierus et Pitiscus abjecerunt, assumto Freinshemiano. Nos pro instituto ex conjecturis supplevimus res, quæ deesse videntur; verba effingere non possumus, quæ sane veteris Supplementi auctor adeo non assecutus est, ut nimium quantum a Curtianis distet. Nec materia ubique congruenti usus est: admiscet enim narrationem de veneni suspicione, quam Curtius ad caput ultimum rejecerat.

[b] *Ad se prodiret*] Tertio demum die, postquam bidui lacrymis precibusque id quæsiverant. Vid. Plut. p. 704.

[c] *Reconciliati animi*] Diodor. XVII. 109. *μόγις ἔπεισαν τὸν Ἀλέξανδρον αὐτοῖς διαλλαγῆναι.*

[d] *Decem circiter millia*] Ita Arrianus VII. p. 464. Justinus XII. 12. 'undecim millia.'

[e] *Stipendiis donisque*] Arrianus VII. p. 464. *ἐκέδωκε τάλαντον ἑκάστῳ ὑπὲρ τὴν μισθοφοράν.* *Singulis talentum ultra stipendium numeravit.* Plutarchus p. 704. *διορησάμενος μεγαλοπρεπῶς.*

[f] *Literis ad Antipatrum*] Plutarch. c. l.

[g] *In primis ordinibus*] Plutarchus ibidem: *Ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι καὶ τοῖς θεάτροις προεδρίαν ἔχοντες ἐστεφανωμένοι καθίζοιντο.* Sic etiam Augustus apud Sueton. cap. 44. in spectaculis 'militem secrevit a populo:' quod adulator Junius Gallio apud Tacitum VI. 3. usque ad equestrem dignitatem voluit extolli, 'ut prætoriani, actis stipendiis, jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi:' quod vero negavit Tiberius.

[h] *Liberi demortuorum*] Hæc etiam Atheniensium consuetudo præclara fuit. Thucydides lib. II. pag. 130. in extrema oratione Periclis, *Αὐτῶν τοὺς παῖδας τὸ ἀπὸ τοῦδε δημοσίᾳ ἡ πόλις μέχρις ἥβης θρέψει.* *Illorum* (prælio occisorum) *liberos civitas hinc ad pubertatem usque publice alet.*

[i] *Cratero in locum*] Justin. XII. 12. 9.

[j] *Discordia præfecti*] Sæpe Antipater Olympiadem apud regem arro-

Digitized by Google

ret: quippe mutuo ad regem criminati fuerant. 9. Persis quoque in supplementum [k] lectis, quorum viginti millia Peucestas adduxerat, Susis rex Ecbatana [l] profectus, Hephæstionem principem amicorum [m] amittit, cujus casum immoderate [n] ferens, sumtuosissimas [o] fieri exequias jussit, necnon, ut Deo [p] sacrificari. 10. Hinc per Cossæorum [q] gentem, liberam [r] antea, et Persarum imperium aspernantem, Babylona proficiscitur, ubi multarum gentium legati [s] ipsum expectabant. 11. Cum ccc. ab urbe stadiis

gantiæ et curiositatis insimulaverat: contra Olympias Antipatrum insolentiæ et majoris imperii, quam pro præfecto. Hujusmodi literas Olympiadis cum aliquando Hephæstio inspexisset, Alexander anulum digito detractum ori Hephæstionis inprimens sileri cupiit, quæ de simultate matris et præfecti cognovisset. Ita Plutarch. in Apophthegm.

[k] *Persis in supplementum*] Diodor. XVII. 110. Arrian. VII. p. 493.

[l] *Susis rex Ecbatana*] Diodorus c. l. (quem Freinshemius in Supplementis sequitur) multa medio itinere interponit, quæ primo intuitu turbare locorum situm videntur. Ait enim Alexandrum Susis egressum Tigri superato Carras venisse, inde quatriduo Sittam ('Sittacenen' Freinsh.) peragrasse: hinc ad Celonas, Bœotos genere, a Xerxe abductos; et in alias gentes: tandem in Mediam progressum Ecbatanis substitisse. Quo modo autem ex Susis tam propere Tigris transmitti, Carræ Euphrati viciniores peti; inde Sittacena, quæ trans Tigrin in Assyria est proxima Susianæ, peragrari potest? Nec tamen errasse Diodorum puto. 'Tigris' ipsi 'Pasitigris' est, fluvius post Susa ad orientem in limite Persiæ; ut supra ad v. 3. 1. ostendimus: Carræ non sunt Mesopotamiæ, sed ignobilis ultra Pasitigrin locus, quod Diodori verba indicant, *ἐν ταῖς Κάραις καλουμέναις κώμαις, ad Caras dictos pagos.* Utrum 'Sitta' Diodori 'Sittacena' sit, incertum: hæc quidem Mediæ subjacet ab Austro, (Plin. VI. 26.) non autem ab Oriente, sed ab Occasu Susianæ est: rex autem in ortum superato Pasitigri promoverat.

[m] *Principem amicorum*] Nepos Eumene cap. 2. num. 2. Curt. III. 12. 16.

[n] *Immoderate*] Arrian. VII. p. 473. triduo neque cibum neque potum degustasse tradit.

[o] *Sumtuosissimas*] Decem millia talentorum funeri impensa, (vid. Arrian. p. 474.) aut duodecim millia, (vid. Justin. XII. 12.) Luxum exequiarum scripsit Diodorus XVII. 114. 115. qui plus quam XII. millia insumta scribit.

[p] *Ut Deo*] Diodor. XVII. 115. *θύειν Ἡφαιστίωνι θεῷ προέδρῳ.* Plutarchus p. 704. *θύειν ὡς ἥρωϊ*, quod etiam Arrian. p. 472. confirmat.

[q] *Cossæorum*] De hac gente supra IV. 12. 10. actum fuit: cujus nunc excidio Alexander Hephæstioni parentavit, quod inde Hephæstionis *ἐναγισμὸν* Plutarchus vocat p. 705.

[r] *Liberam*] Strabo XI. p. 361. tradit, quod ne reges quidem, æstate Ecbatanis transacta, Babylonem tuto descendere potuerint, nisi Cossæos latrones muneribus placassent.

[s] *Multarum gentium legati*] Carthaginensium, ceterarumque Africæ civitatum: item Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnulli quoque ex Italia. ita Justin. XII. 13. Illyriorum, Thracum, Galatarum, e Diodor.

Digitized by Google

abesset, monuerunt vates,[u] ne intraret, quia periculum portenderetur; sed ab Anaxarcho[v] persuasus contemsit[w] præsagia ut vana atque incerta. 12. Auditis ergo legatis, et peractis quæ ad Hephæstionis funus,[x] per Pallacopam[y] fossam ad Arabum confinia navigavit, irridens Chaldæos,[z] qui periculum in urbe prædixerant, quam non modo feliciter ingressus esset, sed salvus etiam excessisset. 13. Reversus Babylonem ludis conviviisque[a] interfuit, et cum ad Medium[b] comessatum isset, in morbum incidit,[c] qui intra paucos dies ita invaluit, ut spes salutis nulla[d] aut

XVII. 113. Æthiopum et Scytharum Europæorum, ut Arrian. p. 475. an vero etiam Romanorum? aiunt Aristus et Asclepiades apud Arrianum p. 476. et Clitarchus apud Plinium III. 5. negat Arrianus c. l. tanquam inconveniens majestati Romanæ; Livius IX. 18. 'ne fama quidem illis notum fuisse' Alexandrum arbitratur, quod nimium videtur Freinshemio: non autem Casaubono in Lampridii Alexand. Sever. cap. 63. quod adeo non improbavit Salmasius, ut ad eundem locum Lampridii notaverit: 'Romanos nec fama tenus Alexandri notitiam habuisse certum est.'

[t] *CCC. stadiis*] Freinsh. Suppl. 'triginta,' ex Latino interprete Diodori XVII. 112. sed Gr. *τριακοσίους*.

[u] *Monuerunt vates*] Vel ipsi adeuntes regem, (vid. Arrian. p. 478.) vel per Nearchum classis præfectum, qui ex Oceano per Euphratis ostia in Babyloniam venerat. Ita Diodor. c. l. Plutarch. pag. 705. Hinc nata Suasoria IV. Senecæ.

[v] *Ab Anaxarcho*] Justinus XII. 13. 'Ab Anaxarcho philosopho compulsus est magorum prædicta contemnere.' Diodor. c. l. de sectatoribus intelligit, *τῶν φιλοσόφων οἱ περὶ τὸν Ἀνάξαρχον*.

[w] *Contemsit*] Diodorus ibidem *καταφρονῆσαι πάσης μαντικῆς*. Arrianus tradit, monentibus Euripidis versu respondisse: *Μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς, Optimus vates qui bene conjicit.*

[x] *Quæ ad Hephæstionis funus*] Ecbatanis mortuus erat, sed, ut augustiores exequiæ forent, Babylonem, in nobilissimam orientis urbem, corpus ingenti apparatu translatum est. Ita Diodor. XVII. 114. seq.

[y] *Per Pallacopam*] Pluribus verbis hanc maximam fossam, qua pæne Euphrates exhaustus fuit, descripsit Arrianus lib. VII.

[z] *Irridens Chaldæos*] Appianus Alexandrinus de Bell. Civ. sub fin. lib. II.

[a] *Conviviis*] Justinus XII. 13.

[b] *Ad Medium*] Medius, amicus Alexandri, Larissæus fuit ex Thessalia, unde Straboni Larissæus lib. XI. p. 365. Justino Thessalus c. l. cognominatur.

[c] *In morbum incidit*] Diodorus XVII. 117. Seneca Epist. LXXXIII. Justinus XII. 13. Herculis scypho exhausto, veluti telo confixum, ingemuisse traduut, quod negat Plutarchus p. 706. et Arrianus p. 497. Herculaneus autem scyphus est ingentis capacitatis et vel Hercule dignus, cujus nominis poculorum meminere Cic. in Verr. VI. 18. Athenæus XI. p. 500. Nicetas Choniates lib. III. 4.

[d] *Spes salutis nulla*] Justin. XII. 15. Diodor. XVII. 117.

Digitized by Google

exigua superesset. 14. Milites solicitudine anxii retineri non potuerunt, quin ultimo visuri regem in aulam irrumperent.[a]

[a] *In aulam irrumperent*] Arrianus p. 499. βιάσασθαι ἐπὶ τὴν Ἀλέξανδρον.

RECENSUS

EDITIONUM Q. CURTII RUFI,

AUCTIOR FABRICIANO,

ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS.

{EX ED. BIPONT. 1801.}

ÆTAS I. NATALIS. 1470—1517.

Auctores habuit Vindelinum de Spira, Pomponium Lætum, et Antonium Zarotum. Corrumpendo Curtio audacis signum primus sustulit Bartholomæus Merula inde ab an. 1494. Justinarum curatores extitere Lucas Robia et Ant. Francinus.

.... (circa annum 1470.) Editio princeps. Veneta I. per Vindelinum de Spira. fol. Incipit opus absque titulo aut inscriptione his verbis: Inter hæc Alexander ad conducendum ex peloponeso militem Cleandro cum pecunia misso. In fine legitur: Quinti Curcii rufi historiarum Alexandri magni Regis Macedonum liber nonus explicit. Loquitur lector ad Vindelinum Spirensem Artificem, qui Q. C. reddit in lucem:

Vindeline me .. prius hic sediturus in auras
Spiritus, et corpus linquet inane meum;
Quam tua nobilitas virtus atque inclita fama
Pectore labatur candide amice meo.

Cf. Maitt. Ann. typ. Tom. I. p. 292. Panzer Tom. III. p. 66. sq. Com. de Rewiczky in Bibl. Gr. et Lat. p. 170. Berol. 1794. Pl. Braun in Not. hist. lit. Aug. Vindel. Part. I. p. 95. cui et ob venustatem et insignem raritatem laudatur hæc editio. Addit idem: ' Bauer in Tom. I. Suppl. p. 118. et Harwood de class. auct. alterius editionis, a Vindelino Spirense una cum Plutarchi apophth.

Digitized by Google

Lacon. curatæ, quæ Venetiis 1471. in lucem prodiit, mentionem faciunt, quæ a nostra hac diversa esse haud mihi videtur, cum facile fieri poterit, ut Curtii historia et Plutarchi apophthegmata, ad quorum finem annus 1471. adpressus legitur, sicut in nostro exemplari videndum, in unum volumen compacta sit; unde et idem annus ad illam quoque ab iis relatus est.'

Ex alio Codice descripta videtur:

.... Romana s. a. (1472.) et l. (Romæ) per Georg. Lauer. 4. maj. Finis habet: Finis gestorum Alexandri magni que. Q. Curtius uir Romanus litteris mandavit. Et Pomponius nostro tempore correxit. Ac Georgius Lauer impressit.—Maitt. p. 746. Panzer Tom. II. p. 525. Crevenna Tom. v. p. 109. sq. Hæc ed. multis quidem premitur vitiis typographicis aliisque erroribus, et subinde spatii intervalla habet, ubi in Codice fuerint lacunæ; interdum tamen ad lectionem indagandam aut reducendam utilis esse possit. Sequentes editores eam fere neglexerunt. Cf. Harlesii Brevior Notitia Lit. Rom. p. 358. sq.

1474 s. l. fol. Q. Curtii historiæ de rebus Alexandri. MCCCCLXXIV.—Maitt. p. 335. Panzer Tom. IV. p. 11. Fuit olim apud Casp. Barthium, qui varias lectiones ejus, aliaque ad recensionem Curtianam factura, inter quæ et observationes suas, obtulit Freinshemio; (vid. Freinsh. Proleg. in Comment c. III.) sed temporum illorum sævitia et difficultate itinerum factum, ut eruditissimi viri beneficio uti non posset Freinshemius.

1475 Mediolanensis I. 8. Q. Curtii historia Alexandri M. In fine: Mediolani 1475.—Putatur Christoph. Valdaferi. Cf. Saxii hist. lit. typ. Mediol. p. 563. Denis Suppl. p. 47. Panzer Tom. II. p. 22.

1480 Mediolanensis II. fol. Q. Curtii historia Alexandri Magni. Mediolani per Antonium Zarotum impensis Johannis Legnani 1480.—Denis Suppl. p. 116. Panzer Tom. II. p. 38.

1481 Mediolanensis III. fol. Q. Curtii Rufi Libri de gestis Alexandri Magni. In fine legitur: Hos novem Quinti Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, quam accuratissime recognitos impressit Mediolani Antonius Zarotus, opera et impendio Johannis Legnani, Anno Domini CIↃCCCCLXXXI. die XXVI. Martii.—Maitt. p. 418. Panzer Tom. II. p. 41.

1491 Veneta II. fol.—Maitt. p. 531. Panzer Tom. III. p. 311.

— Veronæ. Fol. Quintus Curtius. In fine: Hos (sic) novem

Digitized by Google

Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum quam accuratissime recognitos impressi fuere Verone anno Domini MCCCCXCI. die XVIII. Augusti.—Maitt. p. 533. Panzer Tom. III. p. 505.

1494 Veneta III. fol. Quintus Curtius. In fine: Hos nouem. Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri magni regis Macedonum quam accuratissime castigatos ab eruditissimo uiro Bartholomæo merula. Impressit Venetiis Joannes de Tridino alias Tacuinus. Anno M. CCCC. XCIIII. die XVII. Julii.—Maitt. p. 574. Panzer Tom. III. p. 361. In aversa tituli pagina legitur Barthol. Merulæ Epistola ad Franciscum Georgii, Cornelii equitis filium, ex qua, quæ pertinent ad hujus editionis consilium, ipsis auctoris verbis huc transcribamus: 'Cumque,' ait, 'ejus (Alexandri) res gestas a Curtio elegantissime conscriptas tibi breviter exposuissem, exarsisti incredibili quadam cupidine legendi luculentissimi scriptoris historiam. Ceterum quoniam in eo loca multa depravata offenderas, injunxisti tu mihi, ut opus totum recognoscerem, ac diligenter emendarem.—Itaque collato vetere exemplari, multis etiam locis nostro Marte castigatis, collatis etiam in marginibus, quæ in historia diffusius scripta sunt, quo facilius posses ad id quod cuperes quamprimum (ut aiunt) digitum intendere, voluntati tuæ morem gessimus. Habebunt tua cura Alexandri rerum studiosi librum quam emendatissimum.'—Attamen vitiosissima est hæc editio, et optimus auctor mirum in modum in ea mutilatus. Est penes nos.

1496 Veneta IV. fol. Quintus Curtius. In fine: Hos nouem. Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri magni regis Macedonum quam accuratissime castigatos ab eruditissimo uiro Bartholomæo merula. Impressit Venetiis Joannes de Tridino alias Tacuinus. Anno M. CCCC. LXXXXVI. Tertio nonas Julias.—Maitt. p. 610. Panzer Tom. III. p. 398. Biblioth. publ. Argentor. Haud melior antecedente, quam presso pede sequitur.

1500 Regii 4. Quinti Curtii Epistolarum Lib. I. Q. C. de auctoritate data Annibali liber secundus. Q. C. Epistolarum liber tertius. Q. C. oratio contra asentatores et detractores, liber quartus. Q. C. Epistolarum liber quintus. Hæc in fronte liter. majusc. In fine: Quinti Curtii et aliorum epistolæ expliciunt. Laus Deo. Impressum in inclita ciuitate Regii per me Ugonem de Rugeriis ciuem regiensem. Dominante Bononiæ Joanne II. Bentivolo.

Digitized by Google

Anno Domini MCCCCC. ultimo Augusti.* —Maitt. p. 721. Panzer Tom. II. p. 395.

1502 Veneta v. fol. Q. Curtius. In fine: Hos novem Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri magni regis Macedonum quam accuratissime castigatos ab eruditissimo viro Bartholomeo Merula impressit Venetiis Joannes de Tridino alias Tacuinus anno 1502. die ultimo Januarii; Regnante Leonardo Lauretano Principe illustrissimo.—Accedit Q. Curtii Epistolarum Lib. I. Q. Curtii De auctoritate data Hanniball Liber secundus. Q. Curtii Epistolarum Liber tertius. Q. C. Oratio contra assentatores et detractores. Liber quartus. Q. Curtii Epistolarum Liber quintus. In fine: Impressum Venetiis per Joannem de Cereto de Tridino alias Tacuinum MCCCCCII. die ultimo Januarii.—Panzer Tom. VIII. p. 352.

1507 Juntina I. 8. ex recognitione Lucæ Robiæ. Quintus Curtius. Hæc in fronte fol. 1. a. Fol. eod. b. Petri Bargetani super Q. Curtii recognitione Endecasyllabon. Sequitur epistola sic inscripta: Lucas Robia Alexandro Acciaiolo S. In fine: Impressum Florentiæ opera et impensis Philippi Giuntæ Bibliopolæ Florentini anno salutis M. D. VII. Mense Decembri.—Panzer Tom. VII. p. 10.

* [De his Epistolis sic Fabricius in Bibl. Lat. Tom. II. p. 355. ed. Ernest. Lips. 1773. 'De Epistolis Curtio suppositis ita Jo. Frid. Gronovius in Elencho Antidiatribes Mercurii Frondatoris pag. 99. 'Quis estimabit scriptum nihili, cui docti viri nomen adscribitur? Quis Epistolas Q. Curtii, Pauli et Senecæ anœbeas, otiosorum et putidissimorum hominum figmenta, miratur, quia illustria nomina præferunt?' Eas prodiisse adjunctas editioni Historiarum Curtii Venetæ 1502. fol. discimus e Bibl. Barberina. In Bibl. Kielmanniana Epistolas illas Curtii nomine editas primum Regii Lepidi 1500. 4. ab Ugone Rugerio sive de Rogeriis, Regiense, dominante Bononiæ Joanne II. Bentivolo, traditur. Paucis foliis constant, divisæque sunt in *libros quinque*; venditantur autem scriptæ non a Q. Curtio Historico, sed a Curtio longe vetustiore duce Romano, variisque aliis Romanorum et Carthaginiensium ducibus, et Senatus Rom. nomine ad Curtium, et nomine Fabii, Lucii, Papyrii Cos. et Decemviri, Hannibalis, Persici, Hasdrubalis, Ariolorum, Faustini, Iambuli, Postumii Decemviri, Quintiani Procos. Valgarii, Eulibii, Portii, Portiæ, Sertorii, Alethis regis Corinthi, Cincinnati, Histilii, Numæ Pompilii, Sertorii, Viridiani, Ennii Montani, Masinissæ, Manlii Torquati, Alexandri, Bruti Consulis primi, Livii, Sextii, Antoniani, Appii Claudii, Pampiniani (Pompeii) magni, Julii, Catonis Uticensis, Parthici majoris, Fabii max. M. Curii, Fabricii, M. Attilii Reguli, Fulvii, Metelli, M. Marcelli, Samnitium, Scipionis Africani, Sulpicii augurii, Cambii adolescentis, Corneliæ, Lupii Liribii. Libro quarto præfigitur oratio brevis contra assentatores et detractores. In Ms. Bongusiano apud Bernenses e Sæc. XV. reperiuntur harum Epp. Libb. tres, quarti autem tantum prima et secunda, deinde tres aliæ varii argumenti. Vid. Sinneri, V. Cl. Catal. Bibl. Bern. p. 261.']

Digitized by Google

1507 Parisiis 8. Quinti Curtii elegantissime Orationes et Epistole. (Insigne Joh. Ravensberch.) Venundantur Parrhisiis in vico sancti Jacobi sub signo trium coronarum. In fine: Finis elegantissimarum Q. Curtii epistolarum—Impressum Parisiis in edibus periti calcographi Johannis Barbier Anno MCCCCCVII. die XXIIII. Novembris.—Panzer Tom. VII. p. 527.

1513 Tubingæ. Fol. Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum. In fine: Tubingæ apud Thomam Anshelmum Badensem Julio mense Anno MDXIII.—Ex Veneta an. 1494. expressa, cum præfatione Merulæ. Panzer Tom. VIII. p. 324. Bibl. publ. Argentor.

1517 Juntina II. 8. curante Ant. Francino. Q. Curtius. (Antonius Francinus Angelo Angenio Salutem.) In fine: Florentiæ sumptu Philippi Juntæ MDXVII. Die XX. Junii. Leone X. Pontifice.—Panzer Tom. VII. p. 26.

— Basileæ. Fol. per Beat. Rhenanum, cum notis Erasmi, Hutteni, Glareani, Hœningeri, adjecta Alexandri epistola ad Aristotelem de Indiæ situ et mirabilibus.—Laudatur Freinshemio in Proleg. ad Comment. et Fabricio in Bibl. Lat. Tom. II. p. 348. Sed unde hæc editio habeat Erasmi notas, nobis non liquet. Certe prima Erasmi editio anno demum sequente lucem vidit. Vid. ad an. 1518.

ÆTAS II. ERASMO-ALDINA. 1518—1579.

a duumviris Curtii emendandi Des. Erasmo et Aldo Manutio dicenda: quos insecutus Adrianus Junius, editionis Antverpiensis an. 1546. curator, præcipuam laudem meruit. Supplementorum auctor Christoph. Bruno inde ab an. 1545.

1518 Argentorati. Fol. Q. Curtius de rebus gestis Alexandri M. regis Macedonum. Cum annotationibus Des. Erasmi Roterodami. In fine: Argentorati ex edibus Schurerii mense Junio anno M. D. XVIII.—Hanc primam esse Erasmi editionem extra omnem dubitationem ponit ejusdem Erasmi Epistola dedicatoria ad Ernestum Bavariæ Ducem, Præfationis loco præmissa, et an. 1517. pridie Nonas Novembr. scripta. Apponamus ipsa summi viri verba, alio quoque nomine lectu dignissima. ‘Proinde,’ ait,

Digitized by Google

'quo, contractam (nobis) aliis studiis, orationis vel scabritiem vel inopiam aliqua ex parte corrigeremus, dum proximo vere Britanniam adirem, Q. Curtium itineris et navigationis comitem adjunxi, qui mihi olim puero lectus, mire candidus ac tersus est visus, nec alius sane visus est ex tanto regustatus intervallo. Dolet authorem lectu dignissimum ἀκέφαλον nobis superesse, nimirum duobus primoribus libris amputatis, ultimo pluribus in locis truncо mutiloque. Risimus interea Græculam in historia vanitatem, quam tamen Q. Curtius subinde temperasse videtur. Et tamen cum huc omneis ingenii sui nervos intenderent, ut eximium quendam et inimitabilem principem depingerent, quid aliud nobis, quam toties furiosum, sed ubique felicem orbis prædonem descripserunt? Neque enim ille periculosius erat vino temulentus, quam ira atque ambitione. Et quo felicior erat impotentis animi temeritas, hoc erat rebus humanis perniciosior. Mihi certe non magis placet Græcorum historicorum Alexander, quam Achilles' Homericus, pessimum uterque boni principis exemplar, etiamsi quæ virtutes tot vitiis admixtæ videri possint. Videlicet operæ pretium erat Africam, Europam, Asiam, tot misceri cladibus, ut unius furiosi juvenis animo mos gereretur, cujus ambitioni nec orbis hic solidus erat satis futurus? Bene habet quod illi pesti fortuna, ceteris in rebus nimium indulgens, longævitatem negarit. Locos aliquot obiter annotatos correximus, addito Elencho, qui potissimum indicaret, si quid nove dictum apud hunc scriptorem exstaret, ne desit quo placemus λογομάστιγας quosdam, qui ad singulas pæne voces solent obstrepere, clamitantes apud probos authores nusquam inveniri.'—Ed. Argentoratensis Erasmiana an. 1508. quam laudat Fabricius, annorum confusioni debetur. Ceterum quibus adjumentis ad emendandum textum usus sit Erasmus, id vero non constat. Notæ, in margine textus positæ, brevissimæ sunt, et vel argumenta librorum indicant, vel ad explicationem singularum locutionum spectant. Est penes nos.

1520 Venetiis. 8. Quintus Curtius. In fine: Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Mense Julio M. D. XX.—Panzer Tom. VIII. p. 460. In hac ed. Aldus, pluribus libris manuscriptis adjutus, textum multis locis reddidit correctiorem. Basin fecit Erasmianam.

1524 Compluti. 4. cur. Laurent. Balbi Liliensis; quam edi-

Digitized by Google

tionem se nec vidisse, neque a quoquam descriptam reperisse testatur Fabricius.

1531 Antverpiæ. 8. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni Libri x. Antverpiæ per Joannem Grapheum.—Panzer Tom. VI. p. 17.

1533 Parisiis. 8. Q. Curtius cum annotationibus Des. Erasmi Roterod. Parisiis apud Simonem Colinæum.—Panzer Tom. VIII. p. 164. Hanc ut omnium sine controversia optimam et correctissimam commendat Modius; vitiis tamen non caret, et videtur plane tota ex Aldina desumta.

1534 Basileæ. Fol. per Thom. Wolf. cum notis Erasmi et Ulr. Hutteni floribus sive Indice elegantiarum.

1535 Venetiis. 8. Freinshemio memorata. Forsan repetitio Aldinæ.

1538 Coloniæ. 8. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. regis Macedonum Libri, accuratius quam antehac jam recens editi. Adjecimus etiam in studiosorum gratiam, præter Erasmi Roterod. nunquam satis prædicandam operam, Hulderici quoque Hutteni equitis in eodem authore observatos flores, in compendium redactos. Joannes Gymnicus excudebat Coloniæ, Anno Domini M. D. XXXVIII.—Biblioth. publ. Argentor.

1541 Lugduni. 8. et 12. apud Seb. Gryphium, cum annotationibus Des. Erasmi.

1542 Coloniæ. 8. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. regis Macedonum Libri, accuratius quam antehac jam recens editi. Adjecimus præter Erasmi Roterod. nunquam satis prædicandam operam, Hulderici quoque Hutteni equitis in eodem authore observatos flores, in compendium redactos, ut studiosorum usui suppetant facilius. Coloniæ Joan. Gymnicus excudebat M. D. XLII.—Ed. 1538. ita recusa, ut pagina paginæ, linea lineæ respondeat. Extat in Biblioth. publ. Argentor.

1545 Basileæ. Fol. Q. Curtii historiographi luculentissimi de rebus gestis Alexandri M. regis Macedonum Opus, ita demum emendatum atque illustratum, ut posthac vix quicquam desiderari possit. Accesserunt enim antehac nunquam visa, Duorum in principio librorum, qui desiderantur, Supplementum compendiosum. Finis in quinto libro, Atque fragmentorum in decimo restitutio. Rerum memorabilium Index copiosissimus. Omnia summa fide atque diligentia, in laudem, gloriam, atque honorem illustriss. Prin-

Digitized by Google

cipis D. Alberti, Com. Pal. congesta per Christoph. Brunonem I. U. Licentiatum ejusdemque ac bonarum literarum professorem apud inclytum Monacum. Basileæ in officina Frobeniana. In fine: Basileæ, apud Hieronymum Frobenium et Nicolaum Episcopium, mense Martio, An. MDXLV.—Bibl. publ. Argentor.

1545 Lugduni. 8. Quinti Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni Macedonum regis historia. Lugduni ap. Seb. Gryphium.—Crevenna Tom. v. p. 110.

— Parisiis. 8. Repetitio ed. 1533. Ejus exemplum, manu Casauboni notatum, extare in Bibliotheca publica Leidensi, testatur Snakenburgius.

1546 Antverpiæ. 8. ex offic. Jo. Loëi, curante Adriano Junio, qui antiquissimi Codicis Schonhoviani lectiones diligenter annotavit, et ex eo Curtium bene castigavit.

— Lugduni. 12. cum Alexandri epistola ad Aristotelem.—Memoratur Freinshemio in Catal. edd. Curtii.

1547 Lugduni. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni Macedonum regis historia. Lugduni ap. Seb. Gryphium.—Crevenna Tom. v. p. 111.

1548 Lugduni. 12. ap. Seb. Gryphium.—Biblioth. Emtinck. Part. III. p. 448. n. 193.

1551 Lugduni. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri M. Macedonum regis historia, aucta et locupletata. Lugd. apud Seb. Gryphium.—Ibid. n. 194.

1553 Parisiis. 8. repet. edit. Sim. Colinæi.

1555 Lugduni. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni Libri X. quorum qui toti temporis injuria interciderant duo priores, veterum exemplarium præsidio restituti sunt. Præmissa est Alexandri M. vita a Johanne Monacho breviter scripta. Lugduni, apud Antonium Vincentium.—Biblioth. Bunav.

1556 Lugduni. 8. ap. Seb. Gryphium, adjecta Alexandri vita a Joh. Monacho conscripta, et epist. Alex. ad Aristotelem.—Citatur Snakenburgio.

1567 Lipsiæ. 12. Q. Curtii Orationes, a Valentino Thilone brevi analysi et locorum communium evolutione illustratæ. Lipsiæ ap. J. S. Fickium et J. B. Seuboldum.—Bibl. Bunav.

1568 Antverpiæ. 12. cum vita Alexandri a Joh. Monacho conscripta et ab Angelo Cospo Latine reddita.

1569 Lugduni. 12. ap. Anton. Gryphium. Quam valde exagitat

Digitized by Google

Acidalius in prima statim annotatione ad Curtium; nec minus ante eum Modius passim.

1575 Basileæ. 8. curante Henr. Glareano, qui nova partitione in XII. libros distinxit Q. Curtium, ex Arriano librum primum adjunxit, et duos primos Alexandri regnantis annos ex Diodoro, denique vitam Alexandri compendio scriptam a Joh. Zonara; singulos libros argumentis et annotationibus elucubravit: quem tamen acerbiore stylo ubique insequitur Modius, nec sane de eo præclare sentit Acidalius.

ÆTAS III. MODIANA. 1579—1639.

a Franc. Modio Brugensi, emendatioris exempli auctore, illustrata. Animadversionum et Commentariorum scriptores extitere Valens Acidalius, Matth. Raderus, Tit. Popma, et Jo. Loccenius.

1579 Coloniæ. 8. Q. Curtii libri octo superstites, nove editi et recogniti a Franc. Modio Brugensi, adjectis notis ejusdem. Coloniæ, apud Maternum Cholinum.—Modius, et ingenii bonitate et ope Codd. Mss. adjutus, novum quasi Curtium dedit, unde ejus editio sæpius deinde repetita est. Optima habetur, quæ prodiit an. 1591.

1584 Lugduni. 12. ap. Anton. Gryphium, cum Christoph. Brunonis præf. et supplementis, emendationibusque Franc. Modii, et variis lectionibus ex vetusto Codice Benedicti Theocreni, subjuncta etiam vita Alex. M. auctore Joh. Monacho. Editio præstans et rarior. Cf. Christoph. Aug. Heumann. in Sched. de libris anon. et pseud. p. 127.

1588 Lugduni. 12. ap. Ant. Gryphium eadem repetita, teste Catal. Bibl. Uffenbach. Tom. IV. p. 164.

1590 Romæ. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri M. Macedonum regis libri decem.—Bibl. Emtinck. Part. III. p. 449. n. 195.

1591 Coloniæ. 8. apud Mater. Cholinum, ex rec. et cum notis Franc. Modii.

— Lugduni. 8. ex Antonii Candidi typographia, una cum Plutarcho de vita et fortuna Alexandri et Gnomologia Curtiana.

1594 Francofurti ad M. 8. Valentis Acidalii Animadversiones in Q. Curtium. Sine textu.

Digitized by Google

1597 Lugduni, form. min. cum præf. S. G. S, Repetitio ed. 1591.

— ibid. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri M. Macedonum regis historia, aucta nunc et locupletata. Lugduni, apud Paulum Frellon et Abrah. Cloquemin.

— Francofurti ad M. 8. cum Val. Acidalii animadversionibus, an. 1594. seorsim ibid. excusis.

1598 Coloniæ. 8. ex recognitione Franc. Modii, sine notis.

1601 Antverpiæ. 8.

1602 Genevæ. 12. ap. Jac. Stoer.

1604 Coloniæ Agripp. 8. Q. Curtii Rufi historiarum de rebus gestis Alexandri Magni R. M. libri decem, ex Franc. Modii recognitione. Coloniæ Agripp. apud Gosvinum Cholinum.—Extat in Bibl. Acad. Heidelbergensi.

1611 Lugduni. 12. Q. Curtii Rufi historiarum Magni Alexandri Macedonum regis libri octo: accedunt breviaria et perpetuæ ad marginem notæ.—Bibl. Emtinck. Part. III. p. 449. n. 204.

1614 Genevæ. 12.

1615 Monachii. 12. Q. Curtius Rufus synopsibus et argumentis illustratus a Matthæo Radero.—Huic editioni, unice scholarum usui destinatæ, aliam commentariis illustratam summisit auctor an. 1628.

— Lugduni. 12. ap. Paulum Frellon. Quæ editio hoc singulare præ se fert, quod præter Brunonis supplementa Curtii aliud habeat supplementum libri primi e Bibliotheca S. Victoris; de quo vide supra p. XXIII.

1618 Coloniæ Allobr. 12. quam laudat Raderus.

1620 Coloniæ. 8. Q. Curtii Rufi historiarum de rebus gestis Alexandri Magni R. M. libri decem, ex Franc. Modii recognitione. Coloniæ, apud Petrum Cholinum.—Bibl. Acad. Heidelberg.

1621 Amstelodami. 24. ap. Guil. Janssonium.

1622 Lugduni Bat. 12. (Popmæ I.) Q. Curtii Rufi rerum Alexandri M. Libri VIII. cum notis T. Popmæ.

1628 Coloniæ. 8. Matth. Raderi ed. 1615. iterata.

1624 Lugduni. 12. ap. Ant. Candidum. Repetitio ed. 1597.

1625 Lugduni Bat. 8. min. Q. Curtii Rufi rerum Alexandri Magni Libri VIII. superstites. Accedunt Titi Popmæ et Jo. Loccenii notæ. Lugd. Bat. ex officina Elseviriana.—Bibl. publ. Argentor.

Digitized by Google

1628. Coloniæ Agripp. fol. c. figg. Matthæi Raderi ad Q. Curtii Rufi de Alexandro Magno historiam Prolusiones, librorum synopses, capitum argumenta, commentarii. Cum Indice duplici. Coloniæ Agripp. apud Jo. Kinck.—Tribus Codd. Mss. uno Constantiensi, et duobus Bavaris, usus est Raderus. Editio præstans eruditione.

— Amstelodami. 16. ap. Jo. Jansson. cura Jo. Is. Pontani,—'quam ego,' inquit Freinshemius, 'habeo pro emendatissima earum, quæ hactenus prodierunt.' Subjuncta est diss. de ætate, qua floruit Curtius s. excerpta potius ex duabus epp. Jo. Is. Pontani ad Ger. Vossium. Vult autem illum floruisse tempore Trajani.

1630 Coloniæ. 8. Q. Curtius Rufus synopsibus et argumentis illustratus, denuo recognitus, opera Matthæi Raderi. Coloniæ apud Jo. Kinckium.

1633 Lugduni Bat. 12. ex officina Elzevir. cum notis Tit. Popmæ. Quam nulli aliarum posthabendam, forsan et anteferendam omnibus, censuit Freinshemius.

— ibid. 12. ap. eundem, ut quidem legitur in titulo; sed notha est editio. De indiciis genuinæ editionis, duabus figuris æneis, vid. Com. de Rewiczky in Bibl. Gr. et Lat. p. 170. sq. ed. sec.

1634 Lugduni. 12. Q. Curtius Rufus synopsibus et argumentis illustratus, opera Matth. Raderi.

1635 Venetiis. 12. Cujus exemplum habuit Snakenburgius, ad quod varias Codicis Fl. lectiones annotaverat N. Heinsius; sed vitiosissimam esse editionem, testatur idem.

ÆTAS IV. FREINSHEMIANA. 1639—1801.

cujus princeps est Jo. Freinshemius, idem et Supplementorum scriptor. Comites se adjunxere Christoph. Cellarius, qui nova Supplementa scripsit succinctius; et Henr. Snakenburgius, editionis 1724. omnium locupletissimæ curator.

1639 et 1640 Argentorati. 8. 2 voll. (Freinshemii I.) Alexander Magnus duobus Tomis repræsentatus, quorum hic Historiam Q. Curtii Rufi cum Supplementis et Indice copiosissimo complectitur; alter Commentarios in Q. Curtii libros superstites exhibet. Edebat Jo. Freinshemius. Argentor. MDCXL. Prostant apud heredes Lazari Zetzneri. Hæc in fronte Tomi primi. Alter, Commentarios con-

Digitized by Google

tinens, hunc habet titulum: Jo. Freinshemii Commentarii in libros superstites Q. Curtii Rufi. Argentor. MDCXXXIX.—Hac editione Sospitatoris Curtii nomen meruit Freinshemius. Ad adornandam eam usus est variantibus lectionibus, a Jac. Bongarsio ex suis Codicibus ad Aldinum exemplar notatis; necnon trium Mss. Palatinorum differentiis, quas Gruterus olim ad suum Codicem contulerat: præterea edd. veteribus, Veneta 1494. Aldina, Basileensibus 1517. et 1545. Coloniense 1538. Lugdunense 1591. Elzeviriana 1. et 2. Amstelodamense Janssonii, &c. His instructus subsidiis, et, ubi ea deficiebant, nonnisi certissimam conjecturam secutus, textum multo, quam adhuc habebatur, emendatiorem dedit, additis ad eum illustrandum Commentariis varia et insigni doctrina repletis; adeoque superiorum editorum curas superavit, ut ejus textus dehinc pro norma esset, quam recentiores editores ad nostram usque ætatem sequerentur. De Supplementis in deperditos Curtii libros a se scriptis ipse auctor in Epistola ad Jac. Vicofortium, præfationis loco præmissa, hæc profitetur: 'Quum istud Supplementum quantum possem elaboratissimum dare decrevissem, eo (temporis penuria) redactus sum, ut præclare mecum actum putarem, si paulo melius efficerem, quam illud erat, quod vulgo circumferebatur ex Justini Diodorique et Arriani diversis quandoque narrationibus, sine idoneo delectu atque ordine unum in corpus conflatum. Ut non verear ne quis mihi me blandiri dicat, si me quod dixi assecutum confidam. Quamvis item singulas sententias non ut optaveram expendere, et verbis Curtii non indiligentem lectorem haud dedecentibus exprimere potui: in materia certe conquirenda non segnis fui, sed omnes auctores quos nancisci erat, ex quibus operæ pretium sperabam, percucurri: suis quæque temporibus assignavi: quæ pugnare videbantur, si qua poteram, conciliavi: in ceteris probatiores auctores antehabui: interdum neminem unum secutus sum, sed ex omnium collatione, ipsarumque etiam rerum comparatione posui, quod simillimum vero videbatur.'

1644 Amstelodami. 16. ap. Jansson.

1645 Genevæ. 16.

1648 Amstelodami. 12. cum Loccenii Indice philologico.

1649 Lugduni Bat. 8. ex accurata recensione Nic. Blancardi, cum ejusd. Comment. Lugd. B. apud Dav. Lopez et Franc. Moiard.—Ex variis aliorum commentariis compilata editio.

Digitized by Google

1649 Amstelodami. 8. cum notis Varr. accurante Corn. Schrevelio.

1650 Monachii. 12. Q. Curtii Rufi de rebus ab Alexandro M. gestis Libri octo, in capita distincti, et synopsibus argumentisque illustrati a Matth. Radero.

— Amstelodami. 12. apud Elzevir.

1655 Amstelodami. 12. Valentini Thilonis Curtius orator, sive orationes Curtianæ brevi analysi, &c. illustratæ.

1656 Amstelodami. 12. cum notis Loccenii.

— Lugduni Bat. 12. apud Elzevir.

1658 Lugduni Bat. 8. Q. Curtii Rufi Historia Alexandri M. cum notis selectiss. Variorum, Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, &c. Editio accuratissima, accurante C. S. (Corn. Schrevelio) M. D. Lugd. Bat. apud Johannem Elsevirium.—Quicquid titulus promittat, mendis tamen gravioribus subinde laborat hæc editio. Est penes nos.

— Jenæ. 12. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. historiarum quotquot supersunt Libri, Joh. Loccenii Indice philologico et Notis politicis illustrati. Jenæ, literis G. Sengenwaldi, sumtibus Casp. Mulleri Bibliop. Preslav.

— Gothæ. 8. ex Andr. Reyheri editione.

1659 Amstelodami. 12. cum Indice philologico et notis politicis Jo. Loccenii.

1660 Amstelodami. 12. ap. Elzevir.

1663 Amstelodami. 12. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. historiarum quotquot supersunt Libri, Jo. Loccenii Indice philologico et Notis politicis illustrati. Editio novissima correctior et auctior. Amst. apud Jo. Janssonium.

— Norimbergæ. 8. Phil. Caroli Animadversiones historicæ, politicæ, philologicæ in Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. libros x. quibus dissertatio nova præmittitur.—Subjunctæ ejusdem Animadversionibus in Agellii Noctes Atticas Norimb. 1663.

1664 Amstelodami. 8. ap. Hackios, cum notis Varr. accurante Corn. Schrevelio.

— Monachii. 12. sine notis. Repetitio ed. 1650.

1665 Amstelodami. 12. apud Elzevir.

1666 Trajecti ad Rhenum. 12.

1668 Francofurti. 8. cum notis Varr. ex editione Corn. Schrevelii.

Digitized by Google

1669 Antverpiæ. 16. cum synopsibus et argumentis Matth. Raderi.

1670 Argentorati. 4. (Freinshemii II.) Q. Curtius Rufus de rebus Alexandri regis Macedonum, cum Supplementis, Commentariis, et Indice locupletissimo Jo. Freinshemii. Editio nova et accurata, ab ipso auctore paulo ante beatum suum obitum adornata, et in Commentariis ac Indice dimidia amplius parte aucta. Subnexa est Indicis in dictos Comment. Appendix. Opera et studio Jo. Henr. Rapp. Argentorati sumptibus G. A. Dolhopffii et J. E. Zetzneri.—Hæc editio præstat omnibus; multa vero habet ex Raderi Comment. desumta. Nos quoque eam præ aliis secuti sumus.

— Amstelodami. 12. cum emendationibus quibusdam Jani Rutgersii, et Jos. Scaligeri palmaria correctione loci Libri III.

— ibid. 16. apud Elzevir. sine notis.

1671 Roterodami. 24.

— Amstelodami. 12. ap. Jansson. cum notis Loccenii.

1672 Londini. 8.

1673 Amstelodami. 8. ex offic. Elzevir. cum notis selectis Varr. Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, &c. accurante Corn. Schrevelio.

1674 Salmurii. 12.

— Lipsiæ. 12. cum notis Jo. Loccenii, et præfatione Joach. Gesenii.

1675 Aboæ. 12. ex Jo. Freinshemii editione, cum Indice necessario, cura Jo. Gezelii.

— Hamburgi. 8. Jo. Schefferi Notæ in Q. Curtium. — In ejusdem Lectionum Academ. Libro. Hamb. 1675. p. 109. sqq.

1677 Amstelodami. 12. ap. Elzevir.

1678 Parisiis. 4. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. cum Supplementis Freinshemii. Interpretatione et notis illustravit Michaël le Tellier e S. J. Jussu Christianissimi regis in usum Ser. Delphini. Paris. ap. Fred. Leonard.—'In hac editione,' inquit Fabricius, 'perquam incommodum est, quod capita aliter distincta sunt, quam in aliis editionibus.' Ceterum Tellerius in edendo Curtio Huetium adjutorem habuisse dicitur.

— Amstelodami. 12. ap. Waasbergios, cum notis Loccenii.

1681 Lipsiæ. 12. cum notis Loccenii.

1684 Amstelodami. 12. Q. Curtii Rufi Historia Alexandri

Digitized by Google

M. cum notis selectiss. Variorum, Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, &c. Editio novissima, cui accessit locorum difficiliorum interpretatio. Amstel. ex typographia Blaviana, sumptibus Societatis.

1685 Ultrajecti. 8. Q. Curtius Rufus de rebus Alexandri M. cum commentario perpetuo, et Indice absolutissimo Sam. Pitisci. Quibus accedunt Mottevayeri de Curtio Dissertatio; Jo. Freinshemii Supplementa; Figuræ ex veterum monumentis ad historiam Alexandri illustrandam depromptæ, et illarum exegesis; Alexandri genealogia et synopsis chronologica. Ultraj. ap. Franc. Halma.

— Lipsiæ. 12. cum notis Jo. Loccenii.

1687 Amstelodami. 8. cum Supplementis Jo. Freinshemii, et Indice copiosissimo. Amst. ap. Henr. Wetstenium: cum figg.

— Francofurti. 12. Q. Curtius Rufus cum supplementis, Jani Rutgersii emendationibus, nec non Jo. Loccenii Indice philologico.

1688 Lipsiæ. 12. (Cellarii 1.) Q. Curtii Rufi rerum Alexandri M. Libri superstites. Recensuit, Supplementis, Commentariis, et tabulis geographicis illustravit Christoph. Cellarius. Lipsiæ ap. Thom. Fritsch.

1690 Amstelodami. 12. ap. Elzevir.

1691 Lipsiæ. 12. ex recens. Christoph. Cellarii. Repetitio ed. 1688.

1693 Trajecti ad Rhen. 8. cum commentario perpetuo et Indice absolutissimo Sam. Pitisci. Auctior quidem est hæc editio priore an. 1685. sed de mendis typographicis et integris versibus in ea omissis queritur Chr. Junckerus.

1696 Lugduni Bat. 8. Q. Curtius Rufus de gestis Alexandri M. cum commentariis Varr. Raderi, Bongarsii, Popmæ, Salmasii, Gronovii, Loccenii, &c. et Supplementis Freinshemii, nec non pluribus iconibus in æs incisis. Lugd. B. excudit Petrus van der Aa.

— Lipsiæ. 12. ex recens. Christoph. Cellarii.

1698. Hamburgi. 12. c. n. Rutgersii et Loccenii.

1699. Parisiis. 8. Latine et Gallice ex versione Vaugelasii. 2 voll.

1700 Dresdæ. 12. c. n. Christ. Junckeri.

— Amstelodami. 8. cum versione Gallica Vaugelasii. 2 voll.

1701 Lipsiæ. 12. cum notis perpetuis ad modum Minellii, cura M. Andr. Stubelii.

Digitized by Google

1701 Argentorati. 4. Jo. Henr. Bœcleri Excerpta Curtiana.—In ejusd. Dissertatt. Acad. Argentor. 1701. Tom. II. p. 653. sqq.

1702 Amstelodami. 12. c. n. M. Andr. Stubelii, sed omisso auctoris nomine.

1703 Lugduni Bat. 8. Jac. Perizonii Q. Curtius Rufus restitutus in integrum, et vindicatus a variis accusationibus, &c. Jo. Clerici. Lugd. B. ap. Henr. Teering.

1704 Coloniæ. 12. sine notis.

— Coloniæ Munat. (Basil.) 12. cum Supplem. et Indice triplici. Acced. Plutarch. de vita et fort. Alex.

1705 Londini. 8. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. libri, cum Supplementis Freinshemii. Interpretatione et notis illustravit Michaël le Tellier, jussu Christianissimi regis, in usum Ser. Delphini. Lond. impensis A. et J. Churchill.—Repetitio editionis Paris. 1678.

1708 Lipsiæ et Coburgi. 8. c. n. Chr. Junckeri.

— Ultrajecti. 8. Pitisci ed. II. an. 1693. cum nova tituli pagina.

— Hagæ Comitum. 8. Q. Curtii Rufi Alexander M. et in illum Commentarius Samuelis Pitisci. Editio tertia. Hagæ Com. apud Petrum van Thol.

1710 Parisiis. 12.

1711 Lipsiæ. 12. Repet. ed. Cellarii 1688. cui editioni suas in tironum usus notas adjunxit Chr. Schœttgenius.

1712 Rothomagi. 8.

— Hildesii. 12.

— Jenæ. 8. Christoph. Aug. Heumanni Hebdomas Curtiana. —In ejusd. Parergis Criticis. Jenæ. 1712. p. 94—106.

1714 Lipsiæ, cum notis ad modum Minellii.

1715 Coburgi. 8. cum notis Chr. Junckeri.

1716 Londini. 12. Q. Curtii de rebus gestis Alexandri M. Libri. Lond. ex officina Jac. Tonson et Joh. Watts.—Editor est Mich. Maittaire, qui variantes lectiones ex Veronensi codice anno 1491. impresso præmisit.

1718 August. Vind. 8. cum notis Germanicis Em. Sinceri.

1720 Eadem, ibid. 8.

1721 Lipsiæ. 12. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. historia superstes. Christophorus Cellarius recensuit, novis Supplementis, Commentariis, Indicibus, et tabulis geographicis illus-

Digitized by Google

travit. Notulas in usum tironum adjecit Christ. Schœttgenius. Lips. ap. Thomam Fritsch.

1721 Amstelodami. 16.

1722 Lugduni Bat. 8. c. n. Titi Popmæ.

— Lipsiæ. 12. c. n. ad modum Minellii.

1724 Delphis et Lugd. Bat, 4. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, Libri superstites. Cum omnibus Supplementis, variantibus lectionibus, commentariis ac notis perpetuis Fr. Modii, V. Acidalii, T. Popmæ, Joh. Freinshemii, Joh. Schefferi, Christoph. Cellarii, Nic. Heinsii. Selectis et excerptis Ph. Rubenii, J. Rutgersii, C. Barthii, Joh. Loccenii, M. Raderi, Cl. Salmasii, Jo. Frid. Gronovii, M. Tellierii, Christoph. Aug. Heumanni, itemque Jac. Perizonii Vindiciis, et aliorum observationibus, auctioribusque Indicibus. Curavit et digessit Henricus Snakenburg. Delphis ap. Adr. Beman, Lugd. B. ap. Sam. Luchtmans.—De qua editione ita Ernestius judicat in Bibl. Fabr. Tom. II. p. 352. 'In ea basis textus facta est recensio Freinshemiana secundum primam editionem, a qua sine gravi et justa causa non discederetur, quod et paucis locis factum est. Libris scriptis usus est tribus, uno vetere et bono, duobus recentioribus Vossianis, excerptis ex Ms. altero, forte Florentino, lectionibus ab Heinsio in exemplo Veneto scriptis. Ab exemplis editis parum instructus fuit, nec habuit ullam Aldina priorem. Nempe vir doctus, ut sæpe fit, ad edendum Curtium accessit, non quia libros Curtii, et ejus exempla antiqua, diu tractasset, et observasset multa, quibus ei prodesse vel corrigendo vel illustrando posset; sed quia a librariis opportunitas edendi oblata esset. Neque tamen hæc editio contemnenda est, in qua quicquid boni ab superioribus vel editoribus, Modio inprimis, Freinshemio, Acidalio, in Curtii libros scriptum est, aut ab aliis viris doctis per occasiones alias bene, vel ad emendandum vel ad explicandum, dictum reperitur, cum Vindiciis etiam Perizonii, item Supplementa omnia edita, denique in capite, quæ Freinshemius de ætate, vita, edd. Curtii scripsit, aspersis etiam suis notis. Inter textum et notas interjecta est Lectt. varr. collectio.'

1725 Londini. 8. editio Mich. le Tellier ad usum Delphini repetita.

1726 Basileæ. 12. cura Maittarii. Repetitio ed. Lond. 1716.

Digitized by Google

1727 Hagæ Com. 12. cum Freinshemii Supplem. et c. n. Cellarii. 2 Tom.

1730 Lipsiæ. 12. c. n. ad modum Jo. Minellii.

1734 Aug. Vind. 8. c. n. Germ. Sinceri.

1737 Regiomonti. 12. c. n. Cellarii.

— Lipsiæ. 12. c. comm. Cellarii et notulis Chr. Schœttgenii.

1738 Pedepondi. 8. cum notis Desingii.

1740 Lipsiæ. 12. c. notis ad modum Minellii.

— Amstelodami. 12. eadem ed.

1743 Brunsv. 12. c. notis Loccenii.

1745 Lipsiæ. 12. c. commentariis Christoph. Cellarii et notulis Chr. Schœttgenii.

— Aug. Vind. 8. c. n. Germ. Em. Sinceri.

— Halæ. 12. sine notis.

1746 Londini. 8. min. Q. Curtius Rufus. Lond. typis J. Brindley. 2 voll.

— Berolini (s. Ulmæ) 8. cum Supplem. Freinshemii, cura J. P. Milleri, addita versione Gallica Vaugelasii. Berol. ap. Ambr. Haude, typis Wagneri typographi Ulmensis.

1747 Pedepondi. 8. c. n. Desingii.

— Aug. Vind. 8. c. n. Germ. Em. Sinceri.

1750 Eadem, ibid. 8.

1751 Londini. 12. ed. Mich. Maittarii 1716. recusa.

1752 Eadem, ibid. 12.

1757 Parisiis. 12. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. Libri decem (cum Suppl. Freinsh.) Paris. typis J. Barbou.—Editio nitida. 'Textum,' ait editor in Præf. 'quoad fieri potuit, emendatissimum exhibuimus; eumque ad celebratissimam Henr. Snakenburgii editionem potissimum conformavimus. Manuscriptos etiam bibliothecæ Regiæ codices evolvimus, ut si quid opis conferre possent, id bono rei literariæ impenderemus. Sed quoniam frustra hanc operam sumsimus; monere satis sit nos codice 700. annorum fultos, ab hac nostra editione abegisse Curtii suppositicium nec genuinum fœtum' (Curt. Lib. IV. cap. 11. coll. Justin. Lib. XI. cap. 12.) 'quem, cum e Justino fuerit invectus, restituere parenti cum fide debuimus.'

— Aug. Vind. 8. c. n. Germ. Em. Sinceri.

1764 Parisiis. 12. ex recens. Valart. cum notulis. Paris. ap. Barbou.

Digitized by Google

1765 Lipsiæ. 12. c. n. Christoph. Cellarii.

1768 Lemgoviæ. 8. Lat. et Germ.

1769 Londini. 12. Repetitio ed. Mich. Maittarii 1716.

1770 Berolini. 8. cur. Petr. Millero cum versione Gallica Vaugelasii. Repetitio ed. 1746.

1774 Lugduni. 12. cum versione Gallica Vaugelasii. 2 voll.

1776 Aug. Vind. 8. c. n. Germ. Em. Sinceri.

1777 Norimbergæ, 12. cum Suppl.

1778. Herbipoli et Fuldæ. 8. ad optimas editiones recusa.

1782 Biponti. 8. maj. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. Libri, cum Supplementis Jo. Freinshemii. Præmittitur notitia literaria. Accedit Index. Studiis Societatis Bipontinæ. Editio accurata. Bip. ex typographia Societatis. 2 voll.

1790 Mannhemii. 8. min. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. secundum optimas novissimasque editiones.

1792 Oxonii. 8. Variæ Lectiones et Supplementa Q. Curtii Rufi e Mss. Coll. Corp. Chr. et Bodl. In Musei Oxoniensis Literarii Conspectu. Oxonii 1792. pag. 1—30.

1794 Halæ. 12. Q. Curtii Rufi Historia Alexandri M. Halæ, sumtibus Orphanotrophæi.

1795 Helmstadii. 8. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri M. Libri superstites. E recensione et cum Supplementis Jo. Freinshemii. Varietate lectionis atque perpetua adnotatione illustrati a Dit. Joach. Theod. Cunze. Voluminis 1. Pars 1. Helmstadii ap. C. G. Fleckeisen.

VERSIONES.

HISPANICÆ.

1481 La Historia de Alexandro scrita de Quinto Curtio Ruffo, dialecto Valentina, ex romano sermone, interprete Ludovico de Fenollet: Barcinone per Petrum Posa Gotholaunum Presbyterum, et Petrum Bru Sabaudum socios. Fol.

1496 Q. Curtius Ruffus, hispano sermone, una cum collatione

Digitized by Google

Cæsaris cum Alexandro Magno. Hispali per Meinardum Ungut et Stanislaum Polonum. Fol.

1534 Quinto Curcio delos hechos del magno Alexandre rey de macedonia: nuevamente traduzido: y suplidos los libros que del faltan de otros autores. MDXXXIIII. Hæc in fronte. In fine: Aqui haze fin la hystoria de Alexandre magno—segun que la escrivio Quinto curcio—Impressa enla muy noble y leal ciudad d' Sevilla en casa de Iuan cromberger enel mes de Enero. Anno de Mille quinientos e treynta y quadro. Fol.—Auctor hujus versionis est Gabriel de Castaneda.

1699 Interprete Matthæo Ybannez de Segovia. Madriti. Fol.

GALLICÆ.

1530 Quinte Curce, Historiographe, des Gestes d'Alexandre, translaté en François. (auctore anonymo.) à Paris, par Jaques le Messier. Fol.

1613 Quinte Curce tourné en François par Nic. Seguier. à Paris. 8.

1614 Eadem recusa Genevæ. 8. ap. Petr. de la Roviere.

1623 Quinte Curce tourné en François par Nic. Seguier. Seconde edition enrichie d'observations. à Paris. 8.

1646 Quinte Curce de la vie et des actions d'Alexandre le Grand, de la traduction de Claude Favre de Vaugelas; avec les Suppléments de J. Freinshemius sur Quinte Curce traduits par Pierre du Ryer. à Paris. 4.—Elegans versio, cujus laus non obsoluit per tot annorum seriem, et tot linguæ mutationes. Repetita dein Paris. 1647. 4. 1653. 4. ap. Aug. Courbé. 1659. 4. ap. eund. 1662. 8. 2 voll. 1664. 8. 1668. 8. 1680. 12. 2 voll. 1681. 8. Amstel. 1665. 8. 1673. 8. 1684. 8. 1699. 8. 1700. 8. et posthac sæpissime, passim etiam cum textu Latino. Optima est editio, quæ prodiit 1668. hoc titulo:

1668 Quinte Curce de la vie et des actions d'Alexandre le Grand. De la traduction de Mr. de Vaugelas. Troisieme edition, sur une nouvelle copie de l'auteur, qui a été trouvée depuis la premiere et seconde impression. Avec les Suppléments de Jean Freinshemius sur Quinte Curce, traduits par feu Mr. du Ryer. à Paris, chés L. Billaine. 8.

Digitized by Google

GERMANICÆ.

1573 Alex. M. Kœnigs in Macedonien Historia. Frankfurt a. M. 8.

1653 Q. Curtius Rufus, &c. von Hanns Fridrich von Lehsten. Frankf. und Leipzig. 16.

1658 Eadem repetita ibid. 16.

1666 Q. Curtius Rufus von den Thaten Alexanders des Grossen, Kœnigs der Macedonier. Aus dem Latein übergesetzet, in gewisse Capitel abgetheilet, mit Summarien versorget, und nun zum dritten mal ans Licht gestellet, durch Hanns Fridrich von Lehsten, auf Wahrdau und Dœlitz. Frankfurt, auf Ioachim Wildens, Buchhændlers in Rostock, Kosten. Im Iahr M. DC. LXVI. 8.

1676 Eadem recusa ibid. 8.

1696 Eadem ibid. 8.

1705 Eadem ibid. 8.

1720 Q. Curtii Rufi de vita et rebus gestis Alexandri Magni. Das ist: Q. Curtii Rufi gegebene Nachricht von dem Leben und von denen Thaten Alexandri des Grossen, welche in die reine teutsche Sprache übersetzet, wie auch mit lateinischen Phrasibus und vielfæltigen Anmerkungen und ausführlichen Supplementis versehen worden ist; nebst einer Vorrede, worinnen unterschiedene Anmerkungen von denen teutschen Uebersetzungen vorgestellt werden (von Leonh. Christoph Rühl). Halle im Magdeburgischen. 8.

1748 Q. Curtius Rufus von Chr. Wilh. Kritzinger. Bautzen. 2 Th. 8.

1768 Q. Curtius Rufus von dem Leben und den Thaten Alexanders des Grossen, mit Joh. Freinsheims Ergænzungen ins Deutsche übersetzt von Joh. Franz Wagner. Lemgo. 2 Th. 8. Lat. et Germ.

1775 von P. A. Desing. Augsburg. 8.

1783 et 85 Q. Curtius Rufus von dem Leben und Thaten Alexanders der Grossen, mit Joh. Freinsheims Ergænzungen, übersetzt und mit erlæuternden Anmerkungen begleitet von J. P. Ostertag. Frankfurt a. M.

ANGLICÆ.

1553 The Historie of Quintus Curtius, conteyning the Actes of

Digitized by Google

the greate Alexander, translated out of Latin into Englishe by Robert Brende. London, printed by Richard Tottel. 4.

1561 Eadem, ibid. apud eundem. 4.

1570 Eadem, ibid. apud eundem. 8.

1592 Eadem, ibid. per Abel Jeffes. 4.

1652 The Life and Death of Alexander the Great, King of Macedon, in ten Books, written by Q. Curtius Rufus, and translated into English by Robert Codrington. London. 4.

1670 Eadem repetita ibid. 12.

1673 Eadem, ibid. 12.

1690 The Life of Alexander the Great, written in Latin by Q. Curtius, and translated into English by several hands, with an Epistle to the Queen Mary, by Nahum Tate, being a Comparison of some of the Actions of King William with those of Alexander the Great. London, printed for Francis Saunders. 8.

1714 The History of the Wars of Alexander the Great, translated from Quintus Curtius, by John Digby. London, printed for Bernard Lintot. 2 voll. 12.

1726 Eadem, ibid. 2 voll. 12.

1747 The History of the Wars of Alexander the Great, translated from Q. Curtius, by John Digby. Revised by the Rev. Wm. Young. London. 2 voll. 12. with maps.

ITALICÆ.

1478 La Historia. d'Alexandro. Magno. Figliuolo. Di. Philippo. Re. Di. Macedonia. Scripta. Da. Quinto. Curtio. Rufo. Et tradocta. In. Vulgare. Da. P. Candido (Decembrio). Hæc in fronte. In fine: Finisce. La. Comparatione. Di. Caio. Julio. Cæsare. Imperadore. Maximo. Et. Dalexandro. Magno. Re. Di. Macedonia. Ordinata. Da. P. Candido. Col. Suo. Judicio. Jnsieme: Felicemente. Dall. Originale. Impressum. Florentiæ. Apud. Sanctum Jacobum. De. Ripoli. Anno. M. CCCC. LXXVIII. Fol. min.

1488 Eadem, Mediolani. Fol.

1519 Q. Curtio. In fine: Impresso in Florentia per li heredi di Philippo di Giunta nel anno del Signore. M. D. XIX. di Giugno Leone X. Pontifice. 8.—Repetitio antecedentis.

1524 Quinto Curtio. In fine: Impresso in Vinegia per Gregorio de Gregorii nel anno del Signore. M. D. XXIIII. del mese de Aprile. 8.—Rep. ed. 1519.

Digitized by Google

1530 Quinto Curtio. In fine: Impresso in Florentia per gli heredi di Philippo di Giunta nel anno del Signore M. D. XXX. di Novembrio. Clemente septimo Pontifice. 8.—Rep. ed. 1519.

1531 Quinto Curtio da P. Candido di Latino in Volgare tradotto et novamente corretto. In fine: In Vinegia per Vettor q. Piero Ravano, della Serena et Compagni, Nel anno del Signore. M. D. XXXI. del mese di Agosto. 8.

1535 Quinto Curtio Ruffo Historico, nel qual si trattano i fatti, e le guerre de Alessandro Magno, tradotto di latino nella volgar lingua per l'eccellente huomo P. Candido. Aggiuntovi una comparatione di Giulio Cesare, e di Alessandro, composta per esso Candido. Nuovamente con gran diligenza stampato. In fine: In Vinegia per Vettor q. Piero Ravano, della Serena et Compagni, Nel anno del Signore. M. D. XXXV. del mese di Settembrio. 8.

1558 Q. Curtio de' fatti di Alessandro Magno, Re de' Macedoni, tradotto per M. Tomaso Porcacchi, con alcune Annotationi, dichiarationi, et avvertimenti, et con una lettera di Alessandro ad Aristotele, del sito dell' Indie, et con la Tavola copiosissima delle cose notabili. All' Illustriss. et Molto Reverendo Signore il S. Federigo Gonzaga. In Vinegia appresso Gabriel Giolito de' Ferrari. 4.

1559 Eadem. — Venetia, per Gabriel Giolito de' Ferrari. 4.

1565 Eadem. —Venetia. 12.

1661 Eadem. — Venetia, presso Gio. Pietro Brigonci. 12.

1665 Eadem. — Venetia, per Gio. Pietro Brigonci. 12.

1668 Eadem. — Venet. per Gio. Pietro Brigonci. 12.

1673 Eadem. — Venetia, per Gio. Pietro Brigonci. 12.

1676 Eadem. — Venetia. 12.

1698 Q. Curzio, da Nicolò Castelli. Lipsia. 8.

1736 Q. Curzio tradotto per Tomaso Porcacchi. Venezia, appresso Giovanantonio Remondini. 12.

BELGICÆ.

1639 Q. Curtii historie van 't leven ende de daden Alexandri de Groot, overgeset door A. Snel. t' Amst. 8.

1648 Q. Curtii historie van 't leven en daden Alexandri de Grote. Rotterdam. 8.—Repetitio antecedentis.

1663 Q. Kurcius Historie van 't Leven en Bedrüf van Alexander de Groot, met de Vervulling van 't eerste en tweede Boek en

Digitized by Google

van andere plaatsen door I. Freinshemius. Alles door I. H. Glazemaker uit het Latyn vertaalt. Amsterd. by Gerrit van Goedesberg. 8.

1683 Eadem recusa ibid. 8.

1694 Q. Curtii historie van Alexander den grooten. Antwerp. 8.—Novissime tandem Belgice conversus prodiit Curtius, tabulis etiam in æs incisis exornatus,

1728 Amstelod. 8.

SUECICA.

1695 Holmiæ. 8. interprete Jo. Sylvio.

DANICA.

1704 Hafniæ. 8. Supplementa Freinshemii et liber Curtii tertius per Wingaardum.

POLONICA.

1624 Cracoviæ. fol.

RUSSICA.

1710 Moscuæ. 4. interprete Elia Kopvewitz.

PAUCÆ quæ subsequuntur editiones vel in præcedenti Recensu omissæ sunt, vel Bipontina editione, ex qua desumtus est, recentiores sunt.

Editionibus sæc. XV. jam notatis addenda est alia, Romæ excusa, nempe, Historia Alexandri Magni, impressa a. 1490. a Steph. Planck. 4to. Vid. Audiffredi Catal. Historico-criticum Romanarum editionum sæc. XV. p. 293.

Quinte Curse de la vie d'Alexandre le grante. Par Ant. Verand, (circiter a. 1490.) in fol. Goth. Hæc est prima Gallica versio: 'Mais,' ait Brunet, Manuel du Libr. &c. tom. I. p. 483. 'qui est beaucoup plus rare, que recherchée.'

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni Historiarum Libri X. cum annotationibus Desid. Erasmi. Paris. apud Sim. Colinæum, 1543. 8vo. Extat exemplar in Biblioth. Advocatorum Edinburgi.

Digitized by Google

Q. Curtii Rufi, &c. Colon. 1545.

Quinti Curtii, &c. 12mo. 1586. Præfigitur Alexandri Magni Vita, a Joanne Monacho.

Descripserunt Bipontini editionem Lugd. 1584. 12mo. ut 'præstantem et rariorem.' Hæc post Heumannum in Sched. de Libris anon. et pseud. p. 127. Idem vir doctus memorat aliam editionem Lugd. 1592. 12mo. repetitam, et rarissimam: 'manifestum est,' ait Heumannus, 'has a diversis profectas esse typographis: ceterum non nisi semel oculis occurrit meis posterior hæc editio.' Vid. Conspectus Reipublicæ Literariæ, a C. Aug. Heumanno. Han. 1735. p. 335.

Q. Curtii Rufi, &c. libri superstites, cum Supplemento eorum qui desiderantur, Lugd. Bat. 1596.

Q. Curtii Rufi, &c. Editio prioribus correctior. Amst. 1629.

Q. Curtii Rufi, &c. ex Museo Isaaci Pontani, Amst. 1633. 12mo.

Harlesius, secutus Fabricium, describens claram Freinshemii edit. 1640. 8vo. 2 voll. adjicit edit. 1648. Sed tamen, 'num revera,' inquit, 'extet, nescio.'

Q. Curtii Rufi, &c. Lugd. Bat. ap. Elzevir. 1653. 18mo.

Q. Curtii Rufi, &c. Amst. 1696. 8vo.

Q. Curtii Rufi, &c. Lond. 1728. 8vo. repet. ed. Paris. 1678. 4to.

Histoire d'Alexandre le grand, trad. par Beauzée. Par. Barbou. 1781. 2 voll. 12mo.

Eadem, Lat. et Gall. cum Supplementis Freinshemii, a Mignot. Paris. 1781. 2 voll. 8vo. ap. Didot juniorem.

P. Ostertagii versio Germanica, quæ multum laudatur, prodiit emendatior Francof. ad M. 1799. 8vo. 2 voll.

Editio Bipontina iterum 1798. 8vo. postremo 1801. 8vo. prodiit, in 2 voll.

Prima pars Cunzii editionis jam notata est a Bipontinis sub a. 1795. Præstans hæc editio ad finem perducta est, summa cum laude, a. 1802.

Digitized by Google

Inter Classicos Romanorum Scriptores vol. III. Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, Regis Macedonum, Libri superstites, ad optimorum exemplarium fidem recensiti, atque procemio et indice rerum instructi a Frid. Schmieder. Gottingæ, 1803. 8vo.

Q. Curtii editio, ab Alb. Christ. Meineke curata, 1805. non est, censente Harlesio, viris criticis accommodata, sed prodesse possit juvenibus.

Meletematum criticorum Specimen edidit G. L. Walchius Berol. 1809. 4to. in quo, ait Klügling, partim dictio Curtii vindicatur, partim varia ejus loca critice tractantur.

Q. Curtii textum denuo recognovit, Var. Lect. et comment. perpetuo illustravit Jo. Chr. Kohen. Lips. 1818.

Versio Anglica novissima est: The History of Alexander the Great, by Quintus Curtius, translated from the Latin. With notes critical and corroborative, including illustrations from recent travels and from remains extant in Persia and India of the ancient native literature. By Peter Pratt, of the East India House. Revised edition, in two volumes. Lond. 1821. 8vo.

Digitized by Google

RECENSUS CODICUM MSS.

Q. CURTII RUFI

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

Codices in Museo Britannico.

In *Biblioth. Reg.* 17 F I. Quinte Curse Ruf. Des Faiz d'Alexandre, 9. Lib. avec Peinctures belles. Translatés par Vasque de Lucene Portugalois. Escript par la main de Iehan du Chesne, à Lille.

15 D IV. Quinte Curse Ruffe, Des Faiz du grant Alexandre, &c. Idem ut supra, sæc. XV.

20 C III. Idem. A. 1468.

In *Biblioth. Harl.* N. 2727. Quintus Curtius de Rebus Gestis Alexandri Magni. Sæc. XV.

N. 2757. Quinti Curtii de rebus Gestis Alexandri Magni Libri X. Duo priores desiderantur. Sæc. XV.

N. 4842. Cod. membran. illumin. nitide scriptus, sæc. XV. Sub finem: 'Per me Franciscum Caballum Montefortunatum hic liber feliciter est completus, 1464.'

Codex *Cotton.* Titus, D. XX. continet, inter alia, (Art. 27.) Alexandri Magni Gesta, ex Quinto Curtio. Partim membran. partim chartac. sæc. XIV.

In Catal. Mss. Indescript. in Museo Britan. conservatorum, vol. I. p. 346. Quintus Curtius. Annotata de Rebus Alexandri Magni.

Inter Codices *Burneianos*, N. 168. cod. Ms. membran. collat. ad paginas editionis Henr. Snakenburg, quæ Delphis et Lugd. Bat. edita est 1724.

Digitized by Google

N. 169. Curtius par Vasque de Lucene. cod. Ms. membran.

Codices Oxonienses.

In *Biblioth. Bodl.* inter codices Archiepiscopi Laud, est codex membran. illumin. cum tabulis pictis et deauratis, Historiam Curtii illustrantibus; splendidus et vere magnificus, in fol. max. et Gallice scriptus. Eadem versio est, quam jam notavimus inter Codices in Museo Britannico asservatos: 'composée,' ut dicitur sub initio hujus codicis, 'par vénérable personne, Vasque de Lucene, Portugalois, l'an 1468.'

Inter codices manuscriptos, et impressos cum notis manuscriptis, olim *D'Orvillianos*, sunt:

X 1. 6, 14. Collatio Q. Curtii cum cod. Bibl. Laurentianæ Plut. LXIV. n. 35. Ms. A. F. Gorii. Pp. 175. in 8vo.

X 2. 6, 33. Q. Curtius, Antverpiæ 1546. 8vo. cum Ms. ab Is. Vossio collatus.

Hæc D'Orvilliana ex Catal. cl. Gaisford. Oxon. 1806. 4to.

Canonici Lat. 136. Quinti Curtii Cod. membran. illumin. et pulchre scriptus, charact. Ital. sæc. XV.

Et N. 308. est cod. membran. eleganter scriptus a. 1425.

In *Coll. Corp. Christi* est cod. membran. in fol. complexus, inter alia, varias epistolas de Alexandro: habet præfixam Historiam a Q. Curtio conscriptam. Hic est cod. Corp. Christi, cujus variæ lectiones datæ sunt (ex codice Rawlinsoniano) a Th. Burges, in Musei Oxoniensis Conspectu, Oxon. 1792. 8vo.

Digitized by Google

CATALOGUS SCRIPTORUM

HISTORIÆ

ALEXANDRI MAGNI.

EX JOANNIS FREINSHEMII COMMENTARIIS IN LIBROS SUPERSTITES Q. CURTII DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, CAP. 4.

[Ex Ed. Snakenburg. Delph. et Lugd. Bat. 1724.]

QUONIAM ex collatione Scriptorum maxima fere lux affulget historiæ, pretium operæ fore duximus, enumerare et alios quotquot res gestas Alexandri pertexuerunt. Ex quibus qui adhuc leguntur, eorum nuda nomina apponere suffecit, aliorum ætatem, scripta, patriam, quantum in hac brevitate potuit, diligenter enotavimus.

Catalogum quoque Scriptorum Historiæ Alexandri Magni contexuerat Joh. Loccenius, sed gaudens eam operam a Viro magno et eruditissimo Ger. Joh. Vossio I. 10. et 24. de Hist. Græc. esse occupatam, eum omisit, ut ipse de se scribit ad Nostrum IX. 5. 21. His quædam addi possunt ex Reinesii Epistol. ad Hofmannum p. 311.

Monuit tamen de his Prolegomenis suis ipse doctissimus Freinshemius, quod hoc loco referre operæ pretium duximus ex notis ad X. 9. 3. Rutgersii sententiam de ætate Curtii 'Auctoris verbis apprime convenire ostendit clarissimum literarum lumen Ger. Vossius, in eximio illo opere de Historicis Græcis et Latinis, Latin. I. 28. quod si aliquanto maturius adipisci licuisset, in tribus prioribus Proleg. capp. admodum juvari, in eo etiam de scriptoribus Historiæ Alexandrinæ, omni fere cura levari poteram: nam de illis quoque diligentissime inquisitum est, de Hist. Græc. I. 10. et 24.'

Digitized by Google

Abrahamus Aben Phareg Msuli. Raderus Prolus. c. 4. scribit, hunc Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuisse: extare Ms. ἀποδα tamen in bibliotheca Bavarica.

Achmetes Molla, sive *Meulana Achmetes*, hoc est, sapiens sive Doctor Achm. 'rhythmicis versibus librum historiæ Alex. Magni composuit, et Æmiris Suleimanis nomine publicatum edidit. Hic ab eo vicissim donis eximiis liberalissime cultus, fructum sui laboris uberem tulit.' Leunclav. Hist. Musulm. lib. x. extremo. Hic forte est Turca, de quo in fine capitis hujus.

Adonis Chronicon.

Adrianus Imperator etiam Alexandreida scripsit. Stephanus in Ἀστραία, et in Σάνεια.

Æsopus. Hunc manuscriptum ineditum citat Juretus ad epist. Symmachi lib. IV. epist. 33. Latinum fecit Jul. Valerius, de quo infra. Putant autem esse historiam illam fabulosam, quæ passim circumfertur.

Agatharchides Cnidius scripsit historias, quarum lib. XXXV. citat Athenæus XII. 6. Item Asiaticam historiam, quæ maxime videtur ad res Alexandri pertinuisse, ex qua octavus liber citatur Athenæo IV. 14. Item hist. Europæam, ex qua lib. XXVIII. in testimonium adducit idem auctor IV. 19. Citatur et Æliano in hist. animal. v. 27. et XVI. 27. et Luciano in Macrobiis. Plutarchus cap. 2. Parallelorum exscribit historiam ex Agatharchidæ Samii rerum Persicarum libro secundo. Quem cur eundem cum Cnidio nostro arbitratus sit Gesnerus in Biblioth. non video. Certe Photius in Biblioth. diserte scribit, patria Cnidium, instituto Grammaticum fuisse; scribam insuper et anagnosten Heraclidæ, Lembri, et alumnum Cinnæi. De ætate ejus ita comperimus. Post Mithridaticum bellum vixisse ostendit ejus locus, quem Athenæus XII. 16. retulit. florentibus Romanorum rebus, de quibus interpretor illius verba, quæ leguntur in fine cap. 50. Excerptorum. Vixit autem ante Trajanum, nam citatur a Plutarcho Sympos. 8. Quæst. 9. scripsisse autem Asiaticas res libris decem, et de Europæ rebus libris XLIX. historiam pertexuisse, ex Photio discimus. Item quinque libros de Rubro mari, quæque ad illud pertinent, quos scripsit ætate in senium vergente. Præter hæc compendium, aiunt, reliquisse eorum, quæ de Rubro mari scripsisset; item de Troglodytis libros quinque; sed et Epitomen Lydes ab Antimacho scriptæ. Rursum aliud Breviarium eorum, quæ de collectione admirabilium

Digitized by Google

ventorum scripta extarent. Historiarum adhæc excerpta composuisse, atque de Amicorum inter ipsos consuetudine. Insigne autem testimonium ei reddit idem Photius, adeoque Thucydidi æquat, et in quibusdam anteponit. Ipse quidem fatetur, se, quamvis Attice loquatur, Camaræ tamen (urbis in Creta) dialecto familiariter uti. Photius, excerptis ejus, c. 30. Nam excerpta quædam ex eo leguntur apud eundem Photium Cod. 250. qui et Agatharchum quibusdam dici auctor est.

Agis. Hunc etiam de rebus Alexandri carmine scripsisse colligas ex Curtio VIII. 5. 8. Meminit ejus et Arrianus IV. 2. 15.

Alexandri Epistolæ. Ex his quædam diu superfuerunt: nam et Plinius lib. VI. et Plutarchus cap. 17. eas citat. Quæ vero hodie circumfertur de situ Indiæ ad Aristotelem, cum aliis nonnullis, pro germanis non habentur.

Alexandri Historia. Vide infra Jul. Valerius.

Alexandri M. 'ΟΔΟΙΠΟΡΙΚΟΝ citatur a Strabone.

Alexandri Vita. Lamprid. in Alex. c. 30. 'legit (Alexander Imp.) et vitam Alexandri, quem præcipue imitatus est.' Vide etiam infra: Μονόβιβλος Alexandrinorum.

Amyntianus. Hic de laudibus Alexandri librum dedicavit M. Antonino Imp. prædicans, se stylo res Alexandri gestas exæquaturum. At deprehensus est in orationis progressu calidus quidem et audax promissor, in promisso vero implendo frigidus atque imbecillus. Multo etiam in dicendo iis etiam inferior est, qui ante ipsum de Alex. scripserunt. Hæc Photius in Biblioth. c. 131. Citatur ab interprete Pindari Amytianus de Elephantis, qui an idem sit cum nostro, docti viderint.

Anaximenes Lampsacenus. Priscas Græcorum, et Philippi atque Alexandri res gestas perscripsit. Ei Olympicæ statuæ honorem habuit patria, quod iratum Alexandrum, et excidium urbi minitantem placavit. Vide Pausan. lib. VI. Qui addit scripsisse et historiam refertam maledictis in Athenienses, Lacedæmoniosque et Thebanos, eamque sub Theopompi nomine edidisse, ut inimico invidiam concitaret. Versus in Alexandrum, qui Anaximeni ascribebantur, illius non videri, Pausanias pronuntiavit. Eum et historias scripsisse, et poëmata, et artes tractasse, et forensia certamina aggressum esse Dionysius in Isæo scribit: sed infirmum fuisse in omnibus, et persuadendi non magnopere gnarum. Athenæus XII. 6. citat opus ejus inscriptum, Regum mutationes, et VI.

Digitized by Google

4. aliud, Historias Primas. Vide Joseph. in Appion. lib. I. pag. 1051. D. et Scalig. in Euseb. num. MDCXCII. Auctorem fabulosæ, quæ circumfertur, historiæ quidam putant: Vincent. Beluac. v. 39. Suidas Aristoclis filium, Diogenis Cynici, et Homeromastygis Zoili discipulum fuisse, ait, præceptorem autem Alexandri, quem et in bellis secutus fuerit. Eum citat et Plutarch. in Orat. priori de Fort. Alex. cap. 3. Cum his, et quæ toto hoc capite scribimus, operæ sit componere Vossium de Hist. Græc. I. 10. et 24.

Andronicus. Hunc Alexandri gestorum scriptorem citat Plutarch. in Aristide.

Androsthenes Thasius. Navigavit cum Nearcho, et quædam ad hanc historiam pertinentia edidisse dicitur. Strabo lib. XVI. Ejus Paraplus Indiæ citatur ab Athenæo, III. 13.

Angelus Cospus Bononiensis Vitam Alex. Magni a Joanne Monacho conscriptam in Latinum sermonem transtulit. Libellus iste præfixus est editioni Curtianæ, quæ prodiit apud Henricum Petri, Basileæ anno 1545.

Anticlides. Citatur a Plinio IV. 12. 30. et ab Athenæo IX. 8. liber ejus de Reversionibus septuag. octavus. Idem Atheniensem eum fuisse scribit X. 4. et XI. 6. citat eundem in Expositionibus. Scripsisse autem et Alexandri historiam clarum est ex Plutarcho in vita Alexandri cap. 81. Operis ejus de Reversionibus meminit etiam Suidas et Clemens Alex. in Admonitione ad gentes. Historiæ autem de Alex. Raphaël Volaterranus.

Antidamus Heracleapolites. Hujus historia Alexandri Magni, item libri Morales citantur à Fulgentio in Expositione sermonum antiquorum, unde colligas, eum Latine scripsisse.

Antigenes. Plutarch. Alex. cap. 81. hunc inter scriptores historiæ Alexandrinæ recenset, et ex eodem, ut suspicio est, Volaterranus. Citatur Antigenes quidam Plinio lib. VI.

Antisthenes. Volaterranus hunc Alexandri vitam et gesta posteritati tradidisse scribit. Videtur autem fuisse Rhodius, cujus Laërtius meminit in fine vitæ Antisthenis philosophi. Citatur a Plinio XXXVI. 12. ubi de obeliscis ei sermo, quos Antisthenes attingere potuit in narratione Ægypti ab Alex. occupatæ.

Antoninus Archiepiscopus Florentinus fabulas de Alexandro descripsit ex Jul. Valerio.

Appion Alexandrinus. Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri facundia fuit. Is de Alex. Regis

Digitized by Google

laudibus scripsit, ut auctor est Gellius VI. 8. Hunc Tib. Cæsar cymbalum mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri posset. Plin. in Præfat. Hist. Natur. n. 36. sub C. Cæsare tota circumlatum fuisse Græcia, et in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatum, Sen. epist. 88. n. 56. scribit. Ejus librum quartum historiarum Ægypti citat Clemens Alexandrinus libro primo Stromat. ubi et mentionem facit libri, quem contra Judæos scripserit, quem duobus refutavit Josephus. Grammaticum professione fuisse, et magnum, constat ex Plinio XXX. 2. 7. qui eum vidit et Plistonicen appellatum tradit XXXVII. 5. sed et alibi eum citat, in magicis præsertim : sed et in libro de Apicii luxu Athenæus VII. 12. et de Lingua Rom. idem auctor XV. 8. Scripsit et historiam de singulis gentibus, et commentarios in Homerum, quorum nimiam diligentiam sugillare videtur Seneca. Ob tot edita scripta appellatus est Μόχθος, id est, Labor, ut testatur Suidas.

Archelaus. Chorographus, qui omnem ab Alexandro peragratam terram descripsit. Laërtius in Archelao.

Aristobulus Aristobuli Cassandreus. Hunc in historia sua se maxime secuturum profitetur Arrianus principio operis, quod perpetuus Alexandro comes fuerit; a quo et destinatum reficiendo Cyri sepulcro sub finem historiæ prodit. Qui cum Aristobulo Judæo unum faciunt, errare videntur. Cassandrensem citant Athen. II. 6. VI. 13. Lucian. in Macrobiis, et alii. Ejus testimoniis sæpius utuntur Plutarchus, ut in Demosth. cap. 32. et Strabo. Hujus, ut videtur, librum, in quo singulare certamen Alexandri cum Poro tradiderat, Regem in Hydaspem projecisse refert Lucian. de Conscribenda historia. Vide Vossium de Hist. Græc. I. 10. Soiter. in dedic. belli Pannonici.

Aristoxenus. Commentarios hujus citat Plutarchus Alex. cap. 5. Qui an ad Alexandrum magnopere pertinuerint, dubitari possit ex Athenæi XIV. 2. videtur enim iis libris miscellanea quædam collegisse. Scripsisse autem et historias, et omnis generis libros ad 454. Suidas testatum reliquit.

Aristus Salaminius. Citat hunc Athenæus X. 10. Multo juniorem fuisse temporibus Alexandri, Strabo lib. XV. nos docuit. Scripsisse de Alexandri rebus gestis scimus ex Arriano VII. 3. 22.

Arrianus Nicomediensis. Hujus Historia cum etiam hodie satis ostendat auctoris sui præstantiam, obscurioribus, aut iis quorum opera non extant, sermonem potius commodabimus.

Digitized by Google

Arrianus Epopœus. Alexandreida, sive carmen de Alexandro, XXIV. libris constans, hunc scripsisse Suidas tradit.

Asclepiades. Inter scriptores hujus historiæ quidam hoc nomine memoratur Arriano VII. 3. 22.

Bæton. Dimensor itinerum Alexandri librum edidit, quem inscripsit Stationes expeditionis Alexandri. Athen. X. 12. Citatur et Plinio VI. 17. Ubi tamen *Biton* vocatur.

Petrus Bizarus, in Historia Persica.

Calinius Syrus. Plutarchus in Aristide.

Callisthenes, evocatus ab ipso Alexandro ad scribendam ejus historiam. Justin. XII. 6. 17. deinde interfectus. Curt. VIII. 8. 21. Scribit hoc loco Raderus famam de Callisthenis hujus historia, quam adhuc superstitem faciebat, vanam esse, idque sibi compertum ex Ducæi literis, quem rogaverat, ut exemplar transcribi curaret. Et sane ex principio pseudo-Callisthenis, quod Ducæus transmisit, apparet esse historiam fabulosam, de qua mox in Julius Val. De Callisthenis stylo judicium Ciceronis habes in Epist. ad Q. fratrem II. 12.

Cappellus, in Hist. Sacra et Exotica ab Adamo usque ad Augustum.

Carystius Pergamenus Commentarios Historicos scripsit, in quibus et de rebus Alexandri tractasse argumento sunt loca, quæ ex eo profert Athenæus X. 9. 10. XI. 10. XIII. 8. et XV. 8.

Cedrenus hodieque legitur.

Cephalon, quem patriam suam pressisse scribit Photius Cod. LXVIII. Scripsit autem libros novem, quibus Musarum nomina indidit: quorum postremis Alex. quoque res complexus, ut patet tam ex loco citato, quam alio, apud eundem Photium, Cod. CXLI. Temporibus autem Adriani vixisse eum, ex Suida notum est.

Chares Isangelus. Plutarch. Alex. c. 81. Dubito an idem sit cum sequente.

Chares Mitylenæus: citatur a Plutarcho in Alexandro cap. 33. et 96. et ab Athenæo VII. 2. XII. 2. et ab eodem III. 13. liber ejus septimus historiarum Alexandri, et XII. 9. et XIII. 4. Vide et Gellium V. 2.

Charon. Hoc nomine tres historici recensentur à Suida, quos omnes verisimile fit Alexandri quoque gesta composuisse: nisi forte Lampsaceno, qui primus inter illos memoratur, ætas obstet, quem tamen longe post primum Darium vixisse patet ex iis, quæ

Digitized by Google

Athenæus retulit, locis. Tempore Xerxis viguisse refert Ὀλυμπιάδου ἀναγραφή.

Chœrilus. Hic quoque inter Alexandri comites cum esset, res ejus carmine composuit. Horatius lib. II. Epist. I. 'Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Chœrilus, incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.' Eum pro pessimo conditore carminum Curtius habet VIII. 5. 8. Notum est de pacto, quod inter eum et Alex. intercesserit, ut pro singulis versibus, si boni forent, aureum, si mali, colaphum acciperet. Hujus Chœrili videntur esse versus, quibus epitaphium Sardanapali includitur, qui extant apud Athenæum XII. 7. Vide Scalig. ad Euseb. num. MDXXXIV.

Clearchus Solensis, Aristotelis discipulus, scripsit inter alia Vitarum libros, in quibus et de Dario ab Alex. everso, ut scimus ex Athenæo XII. 9.

Clemens. Hunc tantum ex Apuleio novimus, cujus et coætaneus fuit. Sic enim ille I. Floridorum: 'Quæ omnia (Alexandri facinora) aggressus est meus Clemens, eruditissimus et suavissimus poëtarum, pulcherrimo carmine illustrare.'

Cleo Siculus inter præcipuos Alexandri adulatores nominatur a Curtio VIII. 5. ex quo loco colligas eum etiam carmina in laudem Alexandri composuisse. Stephanus in Ἄσσος citat Cleonem Syracusium, qui de portubus scripserit, quem eundem fuisse non immerito dubites.

Clitarchus. De hoc Quintilianus X. 1. 'Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.' Ejus historiam de Alexandro, cujus et comes fuit, citat Plutarchus in vita cap. 47. Plin. VI. 13. 6. Ælian. in Hist. Anim. XVII. 2. 22. 23. 25. Athenæus quidem persæpe, quemadmodum et Strabo. Hujus historiam interpretatus est Curtius, ut quidam putant, eo argumento, quod Curtius eum laudet IX. 5. 21. Sed ipse ille locus eos diversum docere debuit: nec enim Clitarchum ibi solum, sed et Timagenem citat, quos tantum abest ut sequatur, ut potius securitatis et credulitatis eos arguat.

Cluverius in Epitome Historica.

Constantinus Manasses.

Cornelius Nepos. Epistolam Alex. de Indiæ situ, etc. in Latinum sermonem transtulisse dicitur. Nescio an idem sit, qui de rebus Alex. scripsit, auctore histor. Miscella XII. 19.

Digitized by Google

Craterus. Hic cum sub Alexandro res gereret, ejus etiam historiam dicitur conscripsisse. Meminit Crateri Plut. in Aristide cap. 51. haud dubie ex libris ejus περὶ ψηφισμάτων, ut citantur Stephano de Urbibus. qui quamvis etiam Macedo fuerit, alius tamen esse potest a nostro, quem maximis laudibus ornavit apud Suidam Eumenes. Res autem Alex. attigit etiam in epist. ad matrem Aristopatram, cujus meminit Strabo lib. xv.

Daimachus. Hujus Indica citat Athenæus ix. 11. Strabo mendacissimum scriptorem appellat lib. ii. ubi dicit missum ad Allitrochaden Indum, suarum peregrinationum Commentarios reliquisse.

Dexippus. Citat hunc Cedrenus in Historiarum Compendio. Ejus Excerptum est apud Eusebium in primo Chronicorum. Vixisse temporibus Galieni et seqq. Imp. Dexippum, qui temporum historias contexuit, virum in liberalibus disciplinis et facultate logica versatissimum, Eunapius in fine Porphyrii tradidit.

Dicæarchus. Hic videtur Alexandri res attigisse in libris de Vita Græcorum, qui citantur Athenæo xiii. 1. Fuit autem ex Messana Siculus, Aristotelis auditor, ut Suidas tradidit. Citat eum sæpiuscule Plinius in libris prioribus ex Geometricis scriptis, cum ea laude; fuisse virum eruditum, et Regum cura montes permensum. Locum ex primo ejus libro refert Africanus in Sylloge Regum Ægyptiorum annexa a Scaligero editioni Eusebianæ.

Dio Chrysostomus Prusicus, inter alia, de Alexandri Virtutibus libros octo scripsisse dicitur apud Suidam. Plura de eo Photius in Bibliotheca.

Diodorus Siculus.

Diodotus Erythræus Ephemerides Alexandri scripsit, ut colligitur ex Athenæo x. 9.

Diogenes Babylonius. Hunc de Alexandro scripsisse clarum ex Quintil. i. 1. 8. et Clemente Alexandrino lib. i. Stromatum. Ut, qui Antipatri præceptorem fuisse volunt, de juniore Antipatro intelligere necesse habeant.

Diognetus cum Bætone conjungitur apud Plinium vi. 17.

Dionysius, a Philadelpho missus in Indiam, ut Plin. vi. 17. tradit, cum regibus Indicis moratus, vires quoque gentium prodidit. Quod certe fieri non potuit, sine præcipua Alexandri, rerumque iis locis ab eo gestarum, mentione.

Diotimus Atheniensis. Hunc etiam inter scriptores historiæ

Digitized by Google

Alexandrinæ forte reponendum colligas ex Athenæo x. 10.

Dorotheus Ascalonites. Historias hujus de Alexandro citat Athenæus VII. 2.

Dresserus. In Millenariis.

Duris Samius. Varia scripsit, inter quæ et Res Macedonicas huc maxime pertinentes. Citatur sæpissime ab Athenæo, et Plutarcho in rebus ad Alex. spectantibus.

Ephippus Olynthius de Alexandri et Hephæstionis exequiis scripsit, ut constat ex Athenæo, x. 9. XII. 9. Alius est Ephippus, itidem Historicus apud Suidam.

Eratosthenes Cyrenæus. Huic se non plane assentiri dicit Arrianus v. l. 12. quanquam probatissimum auctorem nominet, mox, v. l. 20. Citat eum et Plut. in Alex. c. 3. et alibi sæpius. Quin et alii multi, et inprimis Strabo. Sed hic ea tantum auctorum loca indicare propositum nobis est, quæ de historia Alexandri ab uno quoque perscripta fidem faciant.

Eumenes Cardianus. Hic sub Alexandro res gessit, ut patet ex Arriano, et Plutarcho, qui et Vitam Eumenis edidit, quomodo et Æmilius Probus, sive Cornelius Nepos est. Ejus autem Ephemerides Alexandreos citat Athenæus x. 9. Eum mire confundit Suidas cum Rege Pergameno cognomine, quin et ex utroque Macedonum Regem conflat. Restituendum hoc nomen Æliano III. 23. in fine, de Varia Historia; nam quæ ibi relata fuerunt, et apud Plutarchum reperiuntur, haud dubie fuerunt ex Ephemeridibus Eumenis: ergo caput ita claudit: Ἦν καὶ Εὐμένης ὁ Καρδιανὸς καὶ ἐκεῖνός ἐστι, pro quibus vulgo legitur, Ἦν καὶ εὖ μὲν ὁ Καρδιανός. Eandem emendationem reperi postea in Emendation. Leopardi II. 12.

Eusebius Chronographus.

Eusebius quidam. Vid. mox Julius Valerius.

Gualterus Belga scripsit carmine Heroico gesta Alexandri Magni libris decem, qui editi sunt. De hoc Guillermus Briton. in præfat. Philippidos:

Gesta ducis Macedum celebri describere versu
Si licuit Galtere, tibi, quæ sola relatu
Multivago docuit tevociferatio famæ.

Glycas in Annalibus.

Harpocration. Hic cur a Radero scriptorum horum catalogo inseratur, nondum reperi.

Hartliebus Bojus. Julii Valerii historiam in Germanicum sermonem transtulit, teste Radero.

Digitized by Google

Hecatæus Eretriensis. Recensetur inter Auctores hujus historiæ a Plutarcho in Alex. c. 81. Quia et Abderitam Hecatæum verisimile est hanc Spartam ornasse, cum et historiam scripserit, et Alexandri comes fuerit, ut legitur apud Josephum lib. 1. contra Appionem. Adde Vossium de Hist. Græc. 1. 10.

Hegesander. Quod hic multa ad Alexandrum pertinentia in Commentariis præcipue suis scripserit, patet ex iis eorum locis, quæ passim recenset Athenæus.

Hegesias Magnes. Hujus fragmenta ex Historia, ut credibile est, Alexandrina, reperiuntur apud Dionys. Halicarn. de Orationis structura, et Agatharchidem in excerptis apud Photium, utrobique producta in exemplum exilis et languidæ compositionis: sed et Cicero ineptum eum vocat in Bruto cap. 83. et de Oratore cap. 67. frigidum exclamatorem Plut. Alex. cap. 4.

Helymon cecinit res Alexandri, quem idem Rex in cavea mori coëgit, ausum tentare tanti regis opera, vires ejus superantia. Hæc Raderus. Vide Gyrald. de Poët. Dial. III. et Suidam in Χοιρίλος.

Heraclides citatur ab Plutarcho in Alex. cap. 46. quem credam fuisse Alexandrinum, qui Laërtio teste, de successionibus, regum scilicet suorum, scripsit. Fuit et alius hoc nomine gente Cumanus, qui res Persicas enarravit, et ab Athenæo citatur. Ex quo tamen deprehendere non potui, post Alexandrum, an ante eum vixerit.

Hermippus. Vide Plut. Alex. c. 96.

Hieronymus Cardianus. Vide Voss. de Hist. Græc. 1. 11. ex Suida, in quo dubitabam.

Hister, qui forte *Istrus* Volaterrani, dicitur multa scripsisse apud Suidam. Plutarcho refertur inter Scriptores hujus historiæ in vita Alex. c. 81.

Historia Miscella XII. 19.

Jason. Vossius de Hist. Græc. 1. 10. f.

Idomeneus videtur inter scriptores Alexandrinæ historiæ cieri a Plutarcho in Demosth. cap. 32.

Joannes Antiochenus Historiam ab Adamo usque repetiit, in qua et Alexandrum memoravit, ut patet ex Excerptis Constantini, quæ ante hoc quadriennium Henricus Valesius publici juris fecit.

Joannes Monachus. Huic multum tribuit Cœlius Rhodiginus, eumque persæpe laudat, ut III. 5. XVIII. 18. XXII. 20. XXIII. 4. Adjunctus est editioni Basileensi, quæ prodiit anno 1545. Interprete Angelo Cospo Bononiensi.

Digitized by Google

Julianus Imp. in Cæsaribus.

Julius Valerius Latinam fecit Historiam fabulosam de Alexandro, quæ ab aliis Æsopo, ab aliis Callistheni ascripta fuit. Unde fabulas suas certatim hauserunt Antoninus, Vincentius, Urspergensis, alii. Pretium videbatur ascribere hoc loco judicium C. Barthii ex II. 10. Adversariorum: 'Talia multa in non inerudito monacho sunt, qui vitam Alexandri Magni prodigiosis mendaciis farctam edidit ante aliquammulta sæcula: quæ fabula tantum olim fidei habuit, ut a prudentibus etiam scriptoribus sit testimonio citata, qualis sane ante plus quam quatuor sæcula fuit in Anglia Silvester Giraldus, qui non dubitavit ejus cellionis auctoritate uti. An ea egregia historia edita unquam sit nescio: nos in charta scriptam habemus, sed tanti vix æstimamus, ut in Bibliothecam recipiamus. Est idem auctor, quem Æsopum vocat, et interpretatum a Julio Valerio Franciscus Juretus ad Symmachi lib. I. Epist. 54. Editione quidem priore. Ego vero neque de auctore, neque de interprete credo Romani Græcive hominis esse, maxime enim in eo Græci sermonis ignorantia, nec ulla Romani notitia est.' Hactenus Barthius. Typis excusa est Germanice, anno 1486. Argentorati. Citatur et Salmasio ad Solinum pag. 1025. vetus scriptor qui res Alexandri fabulose composuit.

Justinus.

Laxius in rebus Græcis.

Lycus. Stephanus in Σκίδρος.

Lynceus Samius. Hujus Commentariis Alexandri gesta pertractata fuisse, suspicio est ex Athenæo X. 9.

Marsyas Periandri F. Hujus Res Macedonicas citat Athenæus XIV. 7. et Plutarch. Demosth. cap. 24. quas perscripsit libris decem, initio ducto a primo Macedonum rege, progressus usque ad Alexandri expeditionem in Syriam. Composuit et ipsius Alexandri educationem; cum quo simul educatus fuerat. Fuit etiam patria Pellæus, Antigoni, qui postea regnavit, frater, ut auctor est Suidas. Marsyam Macedonem citat Plinius lib. XII. et XIII. Præfectus navium fuit sub Demetrio. Diodor. XX. 51. Vide Vossium de Histor. Græc. I. 10.

Megasthenes. Hunc probatissimum auctorem vocat Arrianus V. 1. 20. et persæpe citat, præsertim in Indicis suis: sicut Ælianus in Hist. Animal. Cum regibus Indicis moratus vires quoque gentium prodidit, ut Plinius scribit VI. 17. Missus ad Androcotum

Digitized by Google

Indum suarum peregrinationum Commentarios reliquit, fabulis refertos, arguente Strabone lib. II. Scripsit et Politica, quæ cita Athenæus.

Menæchmus Sicyonius scripsit historiam Alexandri Magni. Suidas. Volaterranus.

Μονόβιβλος *Alexandrinorum*. Hunc Alexandrinos de vita Alexandri conscripsisse auctor est Nicephorus Ecclesiast. Historiæ X. 36.

Nearchus. Iste cum Alexandro militavit, et de Alex. historiam conscripsit. Mentitus autem est, quod se Navarchum esse scripserit, cum fuerit unius tantum navis gubernator. Hæc Suidas. Sed si recte memini, crimen illud ab aliis fide dignioribus impingitur Onesicrito. Certe Navarchum appellat etiam Philostratus in Apollonii vita lib. III. et diserte Arrianus in Indicis III. 12. Multa autem in historia mentitum ait Strabo lib. II.

Nestor. Hujus Alexandriada citat Stephanus in Ὑστάσπαι.

Nicanor Res gestas Alexandri Macedonis scripsit, Auctore Varrone in quarto rerum Divinarum, quem citat Lactantius I. 6. et ex eo Sabellicus Enneadis 2. lib. III. et Lud. Vives ad Augustin. de Civitate Dei XVIII. 27.

Nicobule. Hujus fragmentum de Alexandro legitur apud Athenæum XII. 9.

Nymphis Heracleotes scripsit de Alex. et successoribus ejus. Suidas. Librum ejus nonum de Ptolemæis citat Ælian. Hist. Animal. XVII. 3.

Olympiadum Descriptio. Hanc cum Eusebio edidit Jos. Scaliger.

Onesicritus citatur a Plinio VI. 22. 2. Alexandri incunabula et originem scripsit, Laërtio teste. Strabo cum reliquis multa mentitum arguit lib. II. et præsertim lib. XV. in hunc sensum: hunc meliore jure fabulosarum et incredibilium de Alex. narrationum, quam gubernatorum navalium ejusdem rectorem dicere possis. Equidem quotquot Alexandrum comitati, de rebus ejus gestis aliquid scripsere: ii admiranda veris antehabuerunt, monstrosis tamen narrationibus omnes eos hic superasse videtur. Nomen hujus corruptum arbitror apud Lucian. de Conscribenda historia. Ut enim conjicere est, hic fuit, ad quem Alex. dixisse fertur, haud dubie historiam ei suam offerentem, optare se, ut in vitam redire posset, et cognoscere, quibus animis istam narra-

Digitized by Google

tionem accepturi essent homines. Quare pro istis vocibus, ὁ Ὀνησίκριτος scribendum erit, ὁ Ὀνησίκριτος.

Orthagoras. Hunc cum Onesicrito navigasse conjicio, ex Æliano de Hist. Animal. XVII. 6. conscripsit autem libros de rebus Indicis, quos idem auctor citat in Hist. Animal. XVI. 35. et Philostratus in vita Apollonii lib. III.

Otto Frisingensis.

Patrocles apud Strabonem lib. II. ait, eos, qui Alexandro comites expeditionis fuerunt, obiter tantum singula cognovisse: Alexandrum vero ipsum accurate omnia indagasse, cum ei regionum descriptiones a peritissimis traderentur; ita hanc descriptionem sibi postea temporis exhibitam esse ait a Xenocle gazæ præfecto.

Phanias apud Clementem lib. I. Stromat. de transitu Alexandri in Asiam meminit. Quem puto fuisse discipulum Aristotelis, cujus Suidas meminit.

Philippus Chalcidensis.

Philippus Isangelus. Hujus et superioris meminit Plut. in Alex. cap. 81.

Philon Thebanus. Plutarchus dicto loco.

Phylarchus. Hunc inter hos scriptores non retulissem, nisi id jam fecisset Raderus. Nihil enim reperi, quod eum in hanc classem admitti jubeat. Citat quidem locum ex ejus lib. VI. Athenæus VI. 13. qui ad Alex. spectat: sed certum est, esse eum librum ex iis, quos de Pyrrho, et posterioribus regibus composuit.

Pindarus. Hujus versus in Alexandrum Macedonem refert Dionysius in Rhetoricis pag. 179. Unde Raderus colligit, esse eum Pindarum posteriorem ἀνέψιον πρεσβύτερον, cujus quidem et Suidas meminit. Sed potius crediderim versus Dionysio citatos esse Pindari senioris, scriptos ad Alexandrum Macedonem, non Magnum nostrum, sed alium, Magni proavum, et propterea neminem huic Catalogo Pindarum inserendum videri. Facit mecum Dio Chrys. Orat. II. Tzetzes Chil. E. VII. 139.

Plutarchus.

Polyænus.

Polycletus Larissæus. Ejus librum octavum Historiarum citat Athenæus XII. 9. Citatur et Straboni Polycletus, quem hunc ipsum esse puto, lib. XVI.

Polycritus. Plutarchus Alexandro cap. 81.

Digitized by Google

Pompeius Trogus. Cujus epitomen Justinus fecit. Eum citari puto in Historia Miscella XII. 19.

Potamon Mitylenæus. Hic etiam in hunc censum refertur a Volaterrano et aliis, auctore Suida, qui eum tempore Tiberii vixisse, et ab eo summe honoratum fuisse asserit.

Praxagoras. Photius Cod. LXII.

Ptolemæus. Qui post Alexandrum in Ægypto regnavit. Eum se præcipue secuturum esse profitetur Arrianus. Citat eum et Curtius noster IX. 5. 21. et Plutarch. in Alex. cap. 81. quod ideo refero, quod in hoc nomine errasse video Gesnerum in Bibliotheca, qui hunc Ptolemæum, et sequentem in Plutarcho Anticlidem pro uno eodemque habet. Laudat et Athenæus ejus Commentarios sæpissime.

Reineccius.

Sabellicus.

Seleucus. Hunc etiam, qui cum Alexandro militavit, nonnihil de rebus ejus edidisse, ni memoria me fallit, apud Diodorum Siculum legi.

Sigonius. In libello de temporibus Atheniensium.

Solinus.

Sopater scripsit Eclogas variæ doctrinæ libros duodecim, quorum decimo Alexandri gesta referuntur, ut prodit Photius Cod. CXLI.

Soterichus Asites. Poëta Heroicus, scripsit Alexandriacum, h. e. Historiam Alexandri Magni, cum Thebas, et alia cepisset. Suidas.

Sotion. Plutarchus Alexandro c. 107.

Strabo. Hic tam in Geographicis suis libris multa passim de Alexandro refert, quam etiam historiam ejus peculiari opere complexus est, quod ipse citat non longe a principio lib. II.

Strattis Olynthius scripsit Ephemerides Alexandri libris quinque, item de obitu ejus. Auctor Suidas.

Suidas.

Tarik Mircond in historia Persica.

Petrus Texeira Lusitanus, de regibus Persarum in suo Itinerario.

